

3620

JUS PUBLICUM

ECCLESIASTICUM

METHODICE EXPOSITUM

ET NOTIONIBUS

JURIS PUBLICI INTERNATIONALIS

LOCUPLETATUM IN USUM SEMINARIORUM

A

Pre. D. Emmanuele de la Peña et Fernandez, Pbro.,

LINGUÆ HEBRAICÆ

ARCHÆOLOGIÆ CHRISTIANÆ ET JURIS CANONICI INSTITUTIONUM IN GENERALI

PONTIFICIO SEMINARIO HISPALENSI PROFESSORE.

VOLUMEN I.

CUM ECCLESIASTICA APPROBATIONE.

HISPALI

TYPIS IZQUIERDO ET SOC.

Via dicta Francos 54.

MCM

LICENTIA ORDINARII

HISPALI VIII JANUARII MCM.

Quum opus novissime a Dre. Dño. Emmanuele de la Peña et Fernandez lucubratum, et "JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM *methodice expositum et Notionibus Juris Publici Internationalis locupletatum in usum Seminariorum*„ inscriptum, ex Censoris ecclesiastici testimonio eamdem prorsus mereatur laudem, ac caetera cl. Auctoris opera tum ob doctrinae integritatem, tum etiam ob perspicuam edocendi methodum, ideo, quod ad nos spectat, libenter facultatem facimus illud typis mandandi, ac evulgandi in forma consueta.

✠ *Marcellus*, Archiepiscopus Hispalensis.

Praefatio Auctoris

A dimidio saeculi XVIII, quo Jus Publicum Ecclesiasticum a Privato sejungi coepit, plures viri et sapientia conspicui et de scientia canonica optime meriti operam navarunt novae Disciplinae enucleandae atque intra proprios limites finiendae, necnon quamplurima opera typis vulgata sunt praesenti centuria; nobis tamen indulgendum est, ut Praelectiones in Seminario Generali et Pontificio Hispalensi traditas in lucem edere audeamus, cum haec audacia ex laudabili motivo oriatur ac legitima excusatione honestetur, uti cuique patebit, si vel leviter innuatur *ratio* hoc opus prelo mandandi, *methodus* in expositione rerum servata, et *forma* pro hac disputationi adhibita.

Et ad primum quod attinet, non vana laudis cupiditate vel novitatis studio aut lucri gratia permoti hunc tractatum edimus, sed amore sincero ducti erga Ecclesiam, quam ut Matrem impensissime reveremur, erga Clerum, in cujus censum licet indigni cooptamur, atque erga juventutem studiosam, ad cujus institutionem plus quam viginti annis vires nostras conferimus, ejusmodi orales explicationes evulgamus.

Et sane Ecclesia nostra aetate, teste quotidiana et luctuosa experientia, non impetitur hoc vel illo errore, una vel alia haeresi, singulari

processu vel determinato systemate, sed, cum propter ominosam temporum conditionem *radicalismus* ubique praevaleat, cunctosque ordines pervadat, sive moralem et socialem, sive religiosum ac politicum, societas a Christo Domino condita undequaque impugnatur, non jam equidem in ejus dogmate, disciplina, externa politia, legibus, cultu vel praxibus, verum etiam in ipsa sua origine, divina institutione, fundamentali constitutione ac suprema potestate.

Postquam enim Pseudoreformatores rebellionem in Ecclesiam consummarunt, ejusque divinam auctoritatem oppugnare inceperunt, procudentes veluti novam quamdam scientiam Jus Publicum Ecclesiasticum erroneis principiis informatum, falsisque conclusionibus conflatum, eorum vestigia premere veriti non sunt prope innumeri neoterici, etiam ex ipso Catholicorum gremio procedentes, qui sub nomine Richerianorum, Febronianorum, Gallicanorum, Jansenistarum, Regalistarum vel Liberalium nefaria systemata invexere, viam planam sternentes recentissimis Ecclesiae hostibus, ut postrema consectaria eruerent stulto atque impio conatu opus supernaturale evertendi et divinam Ecclesiae institutionem prorsus labefactandi.

Hinc licet majores nostri peculiari disputatione de Jure Publico Ecclesiae non egerunt, quia, juxta illius aetatis mores, potestas Ecclesiae colebatur, ejusque essentialis constitutio ab omnibus agnoscebatur; actuali centuria, praesertim vero nostris diebus, maximi interest Ec-

clesiam tueri, naturam ejusdem juridicam perpendere, fundamentalem ipsius constitutionem vindicare, supremam et infallibilem suam auctoritatem adversus tot advesariorum incursus propugnare, summatim, omnium magnopere refert Ecclesiam intime cognoscere, cunctique quibus docendi facultas, scribendi munus vel praedicandi officium concreditum est, hanc cognitionem ubique diffundere obstringuntur, quod quidem mirum in modum ac praecipue obtinebitur Jus Publicum exponendo, ejusque inconcussa principia hinc et illinc inculcando. En potissima ratio publicationis hujus libri.

Deinde, erga Clericalem ordinem speciali status vinculo et grata ejusdem dignitatis professione tenemur. *Ecce enim regnum Dei intra vos est*, ait Christus Dominus Suprema Veritas, (1) hoc est, Ecclesia Catholica *Regno* in Divinis Litteris comparata *intra nos est* post XX circiter saecula.

Jesus Christus, Divinus hujus Regni Conditor, apud nos imperat et a cunctis populis et gentibus adoratur; Princeps ejusmodi Regni a Petro ad Leonem usque XIII supremum dominatum obtinet et in universo orbe obtemperatur; Episcopi Magistratus hujusmodi Regni gregi christiano ubivis gentium praeficiuntur; leges fundamentales hujuscemodi Regni adhuc vigent et obligant; fideles subditi istius Regni, etsi per universas mundi regiones dispersi, sub Cathedra Petri in communione fidei et charita-

(1) Luc. cap. XVII, v. 21.

tis adunantur; organizatio primaeva magni Regni integra perseverat; dogmata in constitutione fundamentali Regni Dei exarata summa veneratione et unanimi consensu a populo christiano profitentur; sacramenta ad finem hujus Regni assequendum instituta quotidie et indesinenter fideles, membra spiritualis Regni, sanctificant, renovant atque reficiunt; cultus publicus pro vita externa et unione sociali ejusdem Regni asservanda *ab ortu solis usque ad occasum et in omni loco* Deo tribuitur; uno verbo, in hoc novo Ecclesiae regno a Jesu Christo ad nos permanet, et usque in consummationem saeculi perdurabit *unus Dominus* colendus, *una fides* profitenda, *unum baptisma* suscipiendum.

Sed accurate notanda sunt illa etiam verba quae protulit Salvator humani generis: *Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei* (1); nobis, inquam, honoratissimi Patres et dilectissimi Clerici, datum est nosse mysterium Regni Dei; nobis singulari Dei gratia et altissimo dono incumbit munus sacratissimum et onus gravissimum perscrutandi et congnoscendi secreta et reconditiora arcana hujus Regni, id est, inquirendi, populosque edocendi intimam naturam, divinam institutionem, salutarem missiomen, sacratissima jura, supremam auctoritatem, paucis verbis, originem, summam atque extensionem potestatis socialis a Domino nostro suae Ecclesiae collatae, in quo proprie versatur Jus Publicum Ecclesiasticum. Nos igitur, qui in

(1) Marc. cap. IV, v. 11.

haereditatem Domini vocati et ad fastigium Clericatus evecti, Christi ministri in suo Regno constituti sumus *(pro Christo ergo legatione fungimur*, juxta effatum D. Pauli) (1), urget specialissima obligatio Jus Publicum addiscendi, ejusque praestantissima principia pro diversis rerum ac locorum adjunctis hisce praesertim dificillimis temporibus applicandi. En alia ratio editionis hujus libri.

Demum, debitores sumus studiosae juventuti clericali militiae adscriptae et in scholis ecclesiasticis sacris scientiis vacanti, cui facilius reddere studium Juris Publici totis viribus intendimus. Scimus equidem hodiedum non solum plures viros eruditos jurisprudentiae ecclesiasticae enixe dedi, et exarandis lucubrationibus canonicis operam suam impendere, verum etiam multa ac eximia de Jure Publico scripta prodiisse. Attamen fatendum est adhuc desiderari saltem in Hispania opus methodicum, ordine logico concinnatum, et studiis ecclesiasticis accommodatum, in quo doctrina Juris Publici Ecclesiastici apte definita appareat, et ad scientiae normam severe diligenterque exacta sit.

Alii enim materiam Juris Publici Ecclesiastici ita pertractarunt, ut a materia Juris Privati haud satis discreta et separata saepenumero videatur; unde facile est suboriri caliginem et induci confusionem in praefigenda notione utriusque Juris. Alii vero, proprio ingenio et methodo subjectivae nimium indulgentes, Jus

(1) II ad Cor. cap. V, v. 20.

Publicum Ecclesiasticum tradidere, non deducendo doctrinam ex ipsa rei natura, hoc est, propositis primum generalibus principiis cum eo connexis, deinque derivatis conclusionibus, quae cunctas disquisitiones in illis veluti quodam germine inclusas per varios gradus evolvant; sed rem totam placitis suis conformando cum ingenti veritatis et scientiae detrimento; siquidem, spectato jure sub arbitrario respectu consequitur diversas et singulares opiniones passim assumi tamquam principia certa, et aliunde majorem vel minorem scientiae canonicae partem, juxta ingeniosam scriptorum conceptionem, apte exponi posse, sed totam complecti et explicari vix aut ne vix quidem posse: hinc amore systematis praeconcepti scientiam ipsam adulterare necesse est, fucatos vel violentos rerum nexus proponere, ipsasque veritates mutilare vel detorquere, quando proprio systemati vel singulari sententiae consonae non habentur.

Quidam etiam in explicando Jure Publico Ecclesiae, principiis Juris Naturalis tribuentes non tantum vim necessariam et justum valorem, ut par est, sed totam praestantiam et potissimum locum, melius videntur curam impendisse adlaborando tractatui de Jure Naturali, quam conscribendo operi supra Jus Ecclesiasticum.

Nonnulli insuper Institutiones de Jure Publico Ecclesiastico pervulgarunt praecipue versantes circa quaestiones practicas, quae inter Ecclesiam et Statum agitari solent; ejusmodi methodus valde deficiens et a recta disciplina

aliena nobis videtur; etenim scientia veri nominis non quaestionibus practicis, sed principiis constat, quae nisi prius adstruantur atque effulgeant, ipsa quaestionum solutio incerta erit, crebrisque erroribus obnoxia.

Non desunt denique aliqui Juris Publici Ecclesiastici tractatores qui tum ob quosdam abusos practicos, temporum injuria pluribus in locis tamquam mores receptos, tum propter perniciosam propagationem doctrinae febronianae, jansenianae, regalisticae vel liberalis, ingenti librorum numero diffusae, et sensim sine sensu ipsos Catholicorum animos invadentis, non modo generalia principia parvipendunt, verum etiam falsas theorias et placita erronea docent in re tam maximi momenti.

Exstant absque dubio opera non pauca a viris catholicis elaborata, tum eruditione tum doctrina praeclara; sed horum alia pro tyronibus nimis extensa sunt; alia disputationes peculiares vel monographias tantum complectuntur; alia vernaculis linguis scripta non patent omnibus; alia denique antiquiora jam non sufficiunt necessitatibus et praesenti conditioni societatis civilis ac religiosae, neque recentioribus scientiae canonicae incrementis respondent.

Inter hujusmodi opera, integritate doctrinae commendanda et idiomate latino exarata, praecipua laude memorari merentur *Institutiones* ab Emmo. Card. Camillo Tarquini elucubratae, pariterque *Institutiones* quas in Scholis Pontificii Seminarii Romani nuperrime tradidit

perillustris Felix Cavagnis; at illae, quamvis optima methodo et solidissima doctrina conscriptae non recte aptantur tradendo nunc Juri Publico; istae vero, etsi omnium locupletissimae, quippe quae caeteris hactenus editis copia argumentorum, necnon quaestionum numero atque praestantia antecellunt, nihilominus ob *magnam* materiarum *extensionem* et *nimiam* rerum *divisionem*, confusionem gignere et animos tyronum fatigare solent; attamen ex hoc egregio et eruditissimo opere, data opportunitate, quasdam notitias vel probationes, quae magni pretii et firmissimi roboris nobis visae sunt, sumere non abnuimus.

Quae cum ita sint, tum meis alumnis, tum aliis etiam clericis nec ingratum, nec inutile fore existimavi opus Juris Publici Ecclesiastici *methodice* dispositum, ut candidati vel studiosi lectores hanc praestantissimam Disciplinam et discere et retinere facile queant; *sufficienter* completum, ita ut, ducibus probatissimis auctoribus, nulla desideretur ex illis quaestionibus tractari solitis in hujusmodi lucubrationibus; *breviter* conscriptum, ne fastidium in lectoribus generet. En nova ratio excudendi hunc librum.

De methodo in hoc opere adornando servata perpauca dicam, cum structura cujuslibet artefacti potius innotescat ex intima ejus inspectione, quam ex levi atque externa descriptione. Totam disputationem in duas Partes dispescimus, quae totidem volumina efficient: in priori Parte Jus Publicum sive *Internum*, sive *Exter-*

num exponemus, perscrutantes *naturam* juridicam Ecclesiae, fundamentalem ejus *constitutionem*, essentiales *relationes* quae inter Ecclesiam caeterasque societates civiles et religiosas existere debent, necnon cunctos *errores* atque perniciosa *systemata* contra Jus Ecclesiasticum tum in ordine *interno*, tum in ordine *externo* conficta. Altera Pars dilucidandas curabit complurimas quaestiones speciales maximae utilitatis et frequentissimae applicationis, cum potestate Ecclesiae *independente*, *directa*, *plena* et *indirecta* immediate vel mediate copulatas. Solutio ejusmodi quaestionum perspicue edisseret potissima jura, quae Ecclesiae divina Christi ordinatione competunt.

Postremo loco subjungimus ordinatum Compendium Juris Publici Internationalis ad mentem exsequendam Sacrae Congregationis Studiorum, quae in Decreto erectionis Facultatum S. Theologiae, Juris Canonici et Scholasticae Philosophiae in almo Seminario Hispalensi die IV Augusti anni 1897 edito, pro primo curriculo Facultatis Juris jubet Institutionibus Juris Publici et Privati adjici *Notiones Juris gentium*.

Ad formam quod spectat, trito sermone et simplici stylo utimur, quia haec scribendi ratio nobis videtur aptior ad res didactice explanandas; oratio perpolita et nitida dictio academicis dissertationibus, publicis concertationibus et solemnioribus actibus relinquatur.

In probationibus afferendis et objectionibus diluendis methodum, ut ita dicam, *mixtam*

insectati sumus, formam nempe tum *syllogisticam* tum *academicam*, juxta rerum naturam et argumentationis opportunitatem, perspicuitati, integritati aut efficaciae expositionis semper consulentes.

Monitum tandem volumus lectores ordinem logicum diligenter servatum esse in tota serie hujus operis, ita ut ordo ipse pro demonstratione foret, ex quo nimirum manifestum fieret insequentes propositiones vera esse praecedentium corollaria.

Plura invenies, chare lector, emendatione digna; doctrinam sequere et veritatem amplectere; formam autem contemne et errores rejice, tibi inquam cum Maximo Ecclesiae Doctore S. Augustino: *Quae vera esse perspexeris*, *tene, et Ecclesiae Catholicae tribue; quae falsa, respue, et mihi qui homo sum ignosce; quae dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel praecipiat auctoritas. Intende igitur in haec quae sequuntur, diligenter et pie, quantum potes: tales enim adjuvat Deus* (1).

Faxit Deus postremus hic exigui mei ingenii fructus intensiorem amorem erga Ecclesiam gignat, pleniorem lucem in mentes discipulorum effundat, solidioremque firmitatem in fidei professione, religionis observantia et Romano Pontifici adhaesione cunctis lectoribus afferat.

(1) *De Vera Religione* X, 20.

JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM

METHODICE EXPOSITUM.

INTRODUCTIO.

§ I.

JUS PUBLICUM.

1. *Juris* et *officii* correlatio.—2. Subjectum *juris* et *obligationis* terminus.—3. Acceptiones *personae* in sensu juridico.—4. Notio Juris tum *publici* tum *privati*, subjective, objective atque efficienter sumpti.—5. Discrimen inter utrumque.

1. Antequam ad rectam Juris Publici explanationem deveniamus, aliquid, etsi leviter, praemittere debemus de intima *juris* cum *officio* connexione, atque de *subjecto* illius et hujus *termino*.

Omnes aperte norunt ex tritis Juris Naturalis principiis notioni cujuslibet *juris* correlativam esse notionem alicujus *officii* seu obligationis; quandoquidem non concipitur ulla lex moralis, sive naturalis, sive positiva, sive mixta, uni tribuens facultatem aliquid

agendi aut exigendi, quin hoc ipso caeteris imponat necessitatem sese non opponendi huic facultati, vel etiam praestandi illud quod exigitur. Unde sub nomine *officii* usuvenit: *obligatio aut necessitas moralis aliquid faciendi, omittendi aut praestandi.* Duplex officii genus cum Angelico Doctore distinguere oportet, *juridicum* nempe seu legale et *ethicum* seu morale: "est, inquit S. Thomas, duplex debitum, scilicet morale et legale... Debitum quidem legale est, ad quod reddendum aliquis lege adstringitur, et tale debitum proprie attendit justitia, quae est principalis virtus. Debitum autem morale est, quod aliquis debet ex honestate virtutis" (1).

Ex doctrina igitur S. Doctoris officium *juridicum* dici solet: *obligatio determinata, quae vi aut coactione exigi potest,* utpote juri *perfecto* respondens, hoc est, juri titulo strictae justitiae innixo; officium vero *ethicum* seu morale passim definitur: *obligatio indeterminata, quae vi adhibita, minime exigi potest,* quia juri *imperfecto* respondet, id est, juri aliquo decentiae vel charitatis motivo tantum fulcito.

2. Animadvertendum etiam est jus semper ad *personam* referri, et si acceptione *formali* usurpetur, non solum referri, verum etiam in *persona* semper residere tamquam in suo subjecto; ac vicissim, cum tam arcta conjunctio et necessaria correlatio inter jus et officium exstet, clarissime patet omnis quoque obligationis terminum esse personam; notissimum namque est *personam* tantum capacem et esse et putari posse moralitatis, et omnium elementorum, quae moralitatis notionem constituunt, veluti juris et obligationis, meriti vel demeriti, praemii aut poenae, aliaque id genus.

3. Persona sumi potest *metaphysice* et *juridice;* persona *metaphysica* est: *rationalis naturae individua substantia,* hoc est, prout ajunt philosophi, sui juris et alteri incom-

(1) 2.ª 2.ªᵉ quaest. 89. a. un.

municabilis seu intrinsece independens in operando; persona *juridica* denominari valet: *quaelibet rationalis natura subsistens capacitatem habens ut subjectum juris esse possit.* Juxta philosophos et juristas christianos quaecumque persona in sensu metaphysico est etiam persona in sensu juridico generico; quia saltem juribus naturae omnibus hominibus communibus et essentialibus gaudet; sed juxta juristas paganos persona juridica non erat eadem ac metaphysica, siquidem in Jure Romano servi nullius juris proprii subjectum censebantur.

Persona *juridica* tribui solet in *phisycam* vel *moralem*, et *perfectam* vel *imperfectam:* physica perinde est ac persona in sensu metaphysico; *moralis* nuncupatur *collectio plurium physicarum personarum, quae vinculo aliquo morali ita inter sese connectuntur, ut simul sumptae deveniri queant subjectum juris;* persona *perfecta* dicitur *quae in proprio ordine est sibi sufficiens et independens ac proinde plene sui juris*; *imperfecta* apellatur *quae neque in suo ordine independentia et plenitudine juris potitur*, eo quòd ab alia persona pendet vel tamquam pars alterius ejusdem ordinis uti praeses provinciae, vel tamquam medium proportionatum fini ejusdem generis velut dux militiae.

4. His praejactis, notionem juris tum *publici* tum *privati* sub triplici respectu *subjectivo, objectivo* atque *efficiente* sumpti (1) explanare aggredimur.

Jus Publicum SUBJECTIVE acceptum definitur: *quo gaudent personae morales perfectae seu societates perfectae ad finem immediatum ipsius adsociationis assequendum, nempe, bonum commune totius societatis*; OBJECTIVE: *complexus eorum ad quae agenda, omittenda aut exigenda*

---

(1) Qui ampliorem notitiam circa genuinam notionem et diversas *Juris* acceptiones aurire velit, adeat nostram INTRODUCTIONEM IN JUS ECCLESIASTICUM tum Generale, tum Hispanicum, ubi de hac re longe lateque pertractavimus, cap. I, art. I.

facultatem moralem habent societates perfectae; EFFICIENTER: *quod societatis constitutionem atque jura magistratuum definit.*

Jus Privatum SUBJECTIVE usurpatum definiri potest: *quo gaudent personae imperfectae, physicae vel morales, ad consequendum finem remotum societatis, videlicet, bonum proprium ac individuale singulorum sociorum;* OBJECTIVE: *complexus eorum ad quae agenda, omittenda aut exigenda facultatem moralem habent personae imperfectae;* EFFICIENTER: *illud quo determinantur jura et officia subditorum in ordine ad consequutionem finis societatis proprii.*

5. Ex allatis definitionibus plane consequitur quodnam sit discrimen inter Jus Publicum et Privatum; differunt enim inter se tum ratione *subjecti*, tum ratione *finis;* ratione *subjecti,* quia subjectum Juris Publici semper est persona moralis perfecta, subjectum vero Juris Privati habetur persona imperfecta, sive physica, sive moralis; ratione *finis,* Publici enim finis in bono communi societatis consistit, Privati autem in bono peculiari singulorum sociorum situs est.

§ II.

JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM.

6. Jus *Publicum Ecclesiasticum* in triplici significatione *formali, materiali, legalique* usurpatum.—7. Notio generalis Juris *Privati Ecclesiastici.* 8. Communis utriusque Juris definitio.—9. Diversae sententiae circa distinctionem Juris Ecclesiastici in publicum ac privatum.—10. In quo differant.—11. Divisiones Juris Publici Ecclesiastici.

6. Cum Jus Ecclesiasticum a dimidio saeculi XVIII unanimi omnium plausu atque consentione in Publicum et Privatum distingui soleat communiter in scholis, et tam hoc quam illud triplici sub aspectu spectari valeat

juxta sensum *formalem*, *materialem* vel *legalem*, quem in omni jure detegere fas est, operis pretium ducimus nonnullas heic subjicere definitiones ad veram rerum notionem praefiniendam et meliorem dicendorum intelligentiam assequendam.

Jus Publicum Ecclesiasticum FORMALITER sumptum est: *quo gaudet Ecclesia tamquam societas perfecta,* seu *complexus facultatum moralium agendi, omittendi aut exigendi Ecclesiae competentium ut societati juridice perfectae;* MATERIALITER: *complexus eorum ad quae agenda, omittenda aut exigenda facultatem moralem habet Ecclesia veluti societas juridice perfecta*; LEGALITER: *complexus legum, quibus totius Ecclesiae ejusque rectorum jura et officia determinantur.*

7. Quamvis de Jure Privato Ecclesiae, hodie apud omnes canonico nuncupato, disserere nobis minime incumbit, et alioquin diversas ejus denominationes, sensus ac divisiones in nostra *Introductione ad Jus Eclesiasticum* satis enucleavimus; tamen, ne de hac re prorsus hic taceamus, generalem ejusmodi juris notionem innuere sufficiat.

Jus Privatum Ecclesiasticum crebro vocatur: *complexus legum quibus singula societatis christianae membra diriguntur ad finem assequendum.*

8. Sed si sub unica et communi definitione comprehendi velimus *Jus Ecclesiasticum,* sive publicum, sive privatum, ita cum Emmo. Tarquini definiri posset: *systema legum, quibus Ecclesia Christi ordinatur, ut rite conservetur finemque proprium consequatur.* Quatenus leges societatem ecclesiasticam ordinant, ut apto membrorum ordine sit constituta, simulque viribus ad semetipsam conservandam finemque suum consequendum proportionatis praedita sit, Jus *publicum* efficiunt; prout vero per hoc systema legum diriguntur singula membra societatis christianae, ut praestitutum finem assequantur, emergit Jus *privatum.*

9. Circa conceptum et distinctionem Juris Ecclesiastici in publicum et privatum quatuor praecipuae sententiae apud canonistas vigent, quarum unaquaeque aliquid verî continet, sed nulla exactam praefatae distinctionis notionem tradit, neque essentialem utriusque juris limitem aperte praefinit, ideoque veluti deficientes et incompletae existimandae sunt; illas tamen innuemus, simulque quaenam praeponenda sit, vel quid hac de re cogitemus paucis verbis declarabimus.

1.ª Franciscus Schmier, qui primus memoratam distinctionem induxit (1), jus publicum nuncupat jus *constituens* societatem, hoc est, illud quod potestatem socialis auctoritatis determinat; jus vero privatum, juxta ipsum, est jus *constitutum* a societate, seu quod idem est, leges jam latae.

2.ª Alii vero cum Card. Soglia (2) per jus publicum complexum legum jura atque officia Magistratuum Ecclesiae determinantium intelligunt secundum naturam, formam et finem societatis, quae jura et officia ideo dicuntur *publica*, propterea quòd communem alicujus populi aut civitatis utilitatem spectant; sub nomine juris privati systema legum jura et officia populi christiani definientium designant, quae jura et officia *privata* vocantur, quia illis fruuntur et haec praestare debent personae privatae Magistraturam vel rectoratum in Ecclesia minime exercentes.

3.ª Non desunt canonistae, qui a jure naturali exemplum sumentes sic per similitudinem ratiocinantur in praedicta distinctione exponenda: quemadmodum jus naturae distingui solet in publicum ac privatum, et privatum appellatur quod, notione moralitatis semel determinata, actus humanos in se respicit hominis jura et officia statuens, quin conditionem civis vel principis

(1) *Jus Can. Universum*, Avenioni, 1738.
(2) *Praenotiones in Jus Canonicum*, cap. I. § 6.

in eo spectet; publicum autem dicitur quod jura et officia hominis considerat, praecise quatenus subditus vel princeps: ita etiam in Jure Ecclesiastico potest discriminari jus quoddam privatum jura et officia christianorum quatenus fideles sunt regulans; et aliud jus publicum jura et officia christianorum determinans, prouti rectores vel subditi sint in Ecclesia, secundum formam regiminis a Christo institutam.

4.ª Nonnulli demum normam atque rationem distinctionis a Jure Romano ducunt; sicut enim Justinianus (1) inquit: "hujus studii (juris civilis) duae sunt positiones, publicum et privatum; publicum ad statum rei romanae pertinet, privatum ad singulorum utilitatem": similiter Juri Ecclesiastico potest aptari haec divisio, ita ut ad jus publicum ecclesiasticum spectet status rei christianae seu generalis oeconomia et relationes exteriores societatis christianae; ad privatum vero omnia, quae ad bonum singulorum fidelium referuntur.

Nobis autem planior et magis adaequata videtur notio, quam de hac distinctione edidit Emmus. Tarquini, cui sub varietate verborum assentiuntur Čavagnis atque Huguenin; juxta celeberrimum in Collegio Romano professorem (2), Jus publicum systema legum complectitur, quo uniuscujusque societatis constitutio determinatur; Jus vero privatum leges continet, quibus alicujus societatis membra diriguntur ad finem in ea propositum assequendum: unde Jus publicum ecclesiasticum partem essentialem legislationis ecclesiasticae constituit, in qua de institutione, natura et fundamentali structura societatis a Christo fundatae disseritur, hoc est, de divina Ecclesiae origine et fundatione, de potestate divinitus eidem tradita, deque subjecto ejusmodi potestatis seu de Magistratibus ab ipso Christo constitutis; dum

(1) *Instit.* pars ult. *de Just.* et *Jure*, tit. I.
(2) *Juris Ecclesiastici Publici Institutiones*, Introd.

Jus privatum parte dispositiva ecclesiasticae legislationis constat, in qua leges habentur ab Ecclesia pro diversis temporum et locorum adjunctis eo consilio latae, ut omnes fideles in societatem christianam cooptati finem ejusdem proprium facile et tuto obtinere possint, videlicet, sanctificationem in praesenti vita et coelestem beatitudinem in futura (1).

10. Jus publicum a privato differt tum ratione *objecti*, tum ratione *fontium*; ex parte *objecti*, quia quaecumque ex sententiis supra relatis amplectatur aut praeponatur, compertum et indubitatum semper erit, et in hoc omnes consentiunt, quod aliud sit objectum primarium atque directum Juris publici, aliud autem objectum proprium ac peculiare Juris privati: ex parte *fontium* siquidem Jus publicum unico tantum fonti innititur, nempe, divinae revelationi, et quidem nobis ab Ecclesia propositae uti magistra veritatis, fidei custode et verbi Dei interprete, non ut legislatrice; sed Jus privatum varios agnoscit fontes, atque inter ipsos etiam divina revelatione, nimirum Sacra Scriptura et Traditione fulcitur, quamvis nobis ab auctoritate Ecclesiae

---

(1) Georgius Phillips, in Universitate Oenipontana professor, praepostera Juris Publici Ecclesiastici notione magis quam solida argumentatione ductus, distinctionem Juris Ecclesiastici in *publicum* et *privatum* rejecit in opere germanico in linguam gallicam verso *(Droit ecclesiast. trad. par M. Crouzet, Introduct.* § 3). Praecipua ratio, quam pro sua singulari sententia affert ejusmodi auctor caeteroquin de re canonica optimè meritus, in eo sita est, quòd ex allata divisione sequeretur in Ecclesia duplex norma regiminis et legislationis pro sociis, altera applicanda fidelibus singillatim sumptis, altera vero eisdem simul vel collective spectatis addicenda.

Sed, prout cuique patet, hoc consectarium haberetur, si praefata distinctio a canonistis facta fuisset ratione *subjecti*, quo in sensu videtur accepta apud Germaniam; at vero, cum tantum ratione *objecti*, in quod cadit facultas moralis agendi, sit facta, eo ipso cessat conceptus absurdus vel erroneus a clarissimo Phillips ex memorata divisione deductus.

Alia argumenta circa originem hujus distinctionis a jure romano atque subordinationem juris privati statui civili silentio praeterimus, quia adeo futilia apparent, ut refutatione non indigeant.

propositis tamquam legislatrice, non uti magistra (1).

11. Jus Publicum Ecclesiasticum recte dividitur: 1.° in *internum* atque *externum*; 2.° in *divinum* et *humanum*. *Internum* illud dicitur: *quod naturam juridicam, intimam constitutionem et socialem Ecclesiae potestatem determinat; externum* apellatur: *quod versatur circa relationes juridicas Ecclesiae cum aliis societatibus perfectis, sive catholicis, sive acatholicis, sive infidelibus; divinum, fundamentale* seu *essentiale* etiam nuncupatum, est: *quod definit fundamentalem Ecclesiae constitutionem, et relationes essentiales cum caeteris societatibus ex natura juridica ejusdem profluentes; humanum* vocatur: *quod respicit constitutionem accidentalem ab ipsa Ecclesia pro suo regimine inductam, et relationes secundarias cum aliis societatibus perfectis ortas ex pactis inter utramque potestatem initis.*

Dicitur *humanum* hoc jus, quia origo ejusmodi constitutionis et relationum est humana, cum ab ipsa Ecclesia, vel sola, vel conjugata reipublicae civili, proficiscatur.

§ III.

Jus Publicum Divinum.

12. Variae Juris Publici *Divini* acceptiones. – 13. Conceptus scientificus ejusmodi Juris.—14. Origo atque evolutio hujus novae Disciplinae. – 15 Ordo tractationis.

12. Conceptu Juris *Publici* atque Juris Publici *Ecclesiastici* explanato, notionem Juris Publici *Divini*, in cujus expositione et evolutione disciplina nostra tota versabitur, tradere nobis superest, quod levissime perficiemus, cum de definitionibus sat notis et supra relatis fere agatur

(1) Vid. nostram *Introductionem in Jus Ecclesiasticum*, cap. 1, art. III, n. 36.

Jus Publicum Divinum in acceptione *formali* usuvenit: ***complexus facultatum moralium agendi, omittendi aut exigendi Ecclesiae competentium ut societati juridice perfectae*** VI DIVINAE SUAE INSTITUTIONIS; significatione *materiali* usurpatum designari solet: ***complexus eorum ad quae agenda, omittenda aut exigenda facultatem moralem habet Ecclesia veluti societas juridice perfecta*** EX SUPREMA DEI ORDINATIONE; demum, si Jus Publicum Divinum in sensu *legali*, secundum frequentiorem loquendi usum, sumatur, dici poterit: ***complexus seu systema legum, quibus divina Ecclesiae constitutio definitur*** JUXTA POSITIVAM CHRISTI DOMINI VOLUNTATEM.

13. Objecto proprio, et ut ita dicam, ***attributionis***, circa quod disceptatio haec versabitur, recte et distincte definito, logica methodo procedentes, ad nostram disciplinam definiendam modò pergimus, ut simplici obtutu rem totam pertractandam complectamur.

Disquisitio, quam aggredimur, apposite definiri potest: ***scientia quae agit de jure Ecclesiae competente tamquam societati perfectae, ex divina ejus institutione.*** Verba ***scientia quae agit de jure*** genus proximum definitionis exprimunt; caetera vero differentiam specificam denotant. Dicitur ***scientia***, quia nostrae tractationi vere et proprie convenit ejusmodi denominatio, character atque dignitas; additur ***quae agit de jure*** ad genus scientiae significandum, agitur enim de disciplina cum aliis scientiis juridicis consentiente; sequitur ***Ecclesiae competente***, ut objectum ***materiale*** hujus scientiae seu species juris, nempe jus ecclesiasticum declaretur; subditur ***tamquam societati perfectae*** determinandi gratiâ objectum ***formale quod***, hoc est, naturam atque specificationem Ecclesiae, quae in jure publico respicitur sub aspectu suae perfectionis et independentiae veluti quaelibet alia societas necessaria, inaequalis et in suo ordine suprema; in postremis verbis ***ex divina ejus institutione*** continetur objectum ***formale quo*** hujusmodi

scientiae, siquidem principium fundamentale, fons unicus et ratio adaequata tum juris publici divini, tum scientiae idem exponentis, ex divina revelatione necessario haurienda est.

Et sane Ecclesia societas est institutionis divinae et supernaturalis, ideoque *existit* quia Christus Dominus voluit, et eamdem *constitutionem* praeseferre debet quam Christus Dominus voluit, atque *iis juribus* instructa esse debet, quae Christus supremus rerum omnium Dominus ipsi concessit; hinc est quod divina revelatio habenda est tamquam basis, fulcimentum et ratio formalis Juris et Scientiae, quorum studio operam navare intendimus; quin ex hoc generali et inconcusso principio eruatur argumenta juris naturalis seu principia rationis rejicienda aut contemnenda esse in nostra disciplina. Hoc tantum ex praejacta regula inferre licet, quod veritates, argumenta et probationes ex ratione naturali depromptae, tantum in eo sensu accipiendae, interpretandae atque applicandae sunt, quo revelatio probaverit. Divina namque revelatio approbat, proponit et perficit ipsa principia naturalis justitiae, aequitatis et honestatis; unde ad lumen rectae rationis recurrere fas est in quaestionibus juris publici divini, sed sub custodia, directione atque sanctione divinae ac supernaturalis revelationis, cui veluti principio formali et firmissimo motivo innititur nostra scientia.

14. Omnibus innotescit veteres canonistas in tradendo Jure Canonico Jus Publicum Ecclesiasticum a Privato non sejungere, sed singula argumenta ita pertractare, ut ea simul exponerent, quae sive ad Jus Publicum, sive ad Privatum pertinerent. Postquam vero Franciscus Schmier in suo opere *Jus Canonicum Universum* Avenioni anno 1738 edito Jus Publicum Ecclesiasticum a Privato primum distinxit, et Joannes Adamus Ickstatt Inglostadii anno 1747 opusculum sub titulo *De studio Juris ordine atque methodo scientifica insti-*

tuendo evulgavit, ac paulo post Joannes Nepomucenus Endres anno 1751 Wirceburgi dissertationem elucubravit, cui titulus *De necessario Jurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu*, separatio Juris Publici a Privato visa est aptissima ad faciliorem uberioremque Juris Publici Ecclesiastici cognitionem in scholis adipiscendam.

Hinc recte asseri potest Scientiam Juris Publici Ecclesiastici, quam decursu hujus operis evolvendam curabimus, ortum habuisse circa dimidium saeculi XVIII; semel ac viri docti agnoverunt hanc exponendi Juris Canonici rationem ad meliorem et distinctam ecclesiasticae legislationis notitiam quam maxime conducere, novam methodum amplexati fuere. Primus omnium Antonius Schmidt S. J. Institutiones Juris Publici Ecclesiastici seorsum a Jure Privato edidit anno 1771, ejusque exemplum in posterum hisce praesertim temporibus quamplurimi scriptores sequuti sunt.

Romani quoque Pontifices ejusmodi segregationem suprema sua auctoritate atque sanctione confirmare et commendare haud dubitarunt; Leo enim XII (1824) Constitutione edita *Quod divina Sapientia* ad rationem studiorum in tota ditione ecclesiastica moderandam, peculiarem cathedram Institutionum Juris Publici Ecclesiastici creavit in magnis Lyceis Romano et Bononiensi, ac Leo XIII nunc feliciter Ecclesiae gubernacula tenens, cum persentiret quod et Ecclesiae Catholicae et Status civilis summopere interesset jura societatis christianae ex professo vindicare, perniciosas pseudo-politicorum theorias impetere, Christique ministros ad sacra praelia certanda munire, non solum cathedram pro tradendo Jure Publico Ecclesiastico in Pontificio Seminario Romano anno 1881 instituendam curavit, cui Illmum. D. Felicem Cavagnis praefecit, verum etiam in novissima Instructione pro instaurandis studiis in Seminariis Hispanicis *Centralibus* a Sacra Studiorum Congregatio-

ne die 30 Julii anni 1896 edita, necnon in Decreto erectionis Facultatum Theologiae, Juris Canonici ac Philosophiae Scholasticae pro Seminario Hispalensi ab eadem S. Congregatione die 4 Augusti anni 1897 expedito, aperte praecepit alumnos in Facultatem Juris Canonici adscriptos primo anno Institutionum studio Juris Publici Ecclesiastici quotidiana lectione esse vacaturos.

15. Ut ordo, quem in expositione hujus disciplinae stricte servabimus, ab ipso tractationis exordio omnibus innotescat, et ita candidati Juris Publici has praelectiones facile ac distincte complecti et intelligere queant, en paucis verbis textura nostri Operis.

Universum Tractatum in Duas magnas Partes dividimus, et unaquaeque Pars in Quatuor Capita subdividimus:

Pars Prima quaestiones fundamentales de Ecclesiae *Natura* et *Constitutione* complectetur, ideoque Jus Publicum Divinum, tum *Internum*, tum *Externum*, longe lateque exponet.

Pars Secunda quaestiones speciales de Ecclesiae *Potestate* seu examen praecipuorum *Jurium* Ecclesiae continebit.

Pars Prima in quatuor Capita partitur:

Caput I aget de *Natura juridica* Ecclesiae.

Caput II disseret de *fundamentali* Ecclesiae *Constitutione*. In his duobus capitibus Jus Publicum *Divinum* atque *Internum* explicabitur.

Caput III de *Relationibns juridicis* Ecclesiae cum caeteris societatibus pertractabit. In hoc capite *Jus Publicum Divinum* et *Externum* evolvetur.

Caput IV systemata omnia, quae circa *Naturam*, *Constitutionem* et *Relationes* Ecclesiae aberrarunt, perpendet. In hoc postremo capite recensebuntur et refel-

lentur cuncti errores ad Jus Publicum, sive *Internum*, sive *Externum* spectantes.

PARS SECUNDA in quatuor etiam Capita dispescitur:

Caput I quaestiones speciales de Potestate *independente* Ecclesiae investigabit.

Caput II quaestiones speciales de Potestate *directa* Ecclesiae solvet.

Caput III quaestiones speciales de Potestate *plena* Ecclesiae explanabit.

Caput IV quaestiones speciales de Potestate *indirecta* Ecclesiae enucleabit.

PARS PRIMA.

QUÆSTIONES FUNDAMENTALES

DE ECCLESIÆ NATURA ET CONSTITUTIONE.

CAPUT I.

NATURA JURIDICA ECCLESIÆ.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

16. Notio societatis humanae.—17. Elementa essentialia omnis societatis.—18. Quare finis censendus sit praecipuum elementum.—19. Quaenam corollaria ex praestantia finis inferantur.—20. Variae societatum species.

16. Cum in tractatione Juris Publici Ecclesiastici passim memorandae atque inter sese conferendae sint societates ecclesiastica, civilis et domestica, ad quas revocantur tres praecipuae societates necessariae, ut melius pateat natura Ecclesiae, in antecessum tradere cogi-

mur notionem genericam societatis, constitutiva ejus elementa, diversasque species, quae apud tractatores recenseri solent.

Societas humana, de qua hic loquimur, communiter definitur: ***Congregatio hominum ad eumdem finem communibus mediis consequendum.***

17. Ex ipsa definitione sequitur quatuor esse elementa essentialia cujuslibet societatis, videlicet: ***Multitudinem*** seu pluralitatem hominum, ***Vinculum*** aut conjunctionem moralem inter eosdem, ***Finem*** ad quem conspirant, et ***Media*** ad finem consequendum: ex his quatuor elementis Multitudo hominum ***materia*** societatis dicitur, reliqua nomine ***formae*** designari consuescunt, quia id constituunt, quod compositum hoc morale efficiunt; sed tamen Finis est praecipuum elementum et objectum, ad quod caetera tendunt.

1.° Requiritur ***Multitudo*** hominum, aliter enim haberetur solitudo, segregatio, sejunctio vel quodcumque aliud, minime vero societas vel adunatio.

2.° Requiritur etiam ***Vinculum*** morale, hoc est, simultanea tendentia ad eumdem finem assequendum ut talem cognitum ac volitum, alioquin nec consistere posset vera associatio et conjunctio, nec adesset mentis et voluntatis conspiratio, quae ad societatem humanam proprie dictam, entibus intelligentibus coalescentem, prorsus necessaria est.

3.° Requiritur deinde ***Finis***, quia, cum finis sit ***id cujus gratia aliquid fit***, eo ipso princeps elementum putandum est, quod multitudinem hominum adunat in conjunctionem moralem, cognitionem determinans appetitionemque movens, ut ita mentis et affectus conspiratio exsurgat. Finis autem debet esse: a) ***unus*** saltem collective, secus si finis esset disparatus, socii non tenderent ad idem, ideoque deficeret conspiratio et vinculum quoddam morale; b) ***communis*** seu bonum aliquo modo commune sociis, caeteroquin non exstaret societas, sed

servitus obnoxia seu proprie dicta; c) *honestus*, quia ubi deest honestas, nec est nec concipi potest conjunctio moralis, sed associatio iniqua, ex qua vinculum juridicum enasci nequit.

4.° Requiritur denique *Media*, siquidem, his sublatis, necessario ruit atque evertitur simultanea tendentia et mutua conspiratio ad finem, in qua sita est conjunctio moralis seu vinculum adsociationis; tunc enim jam socii ad illum minime tenderent, eo quòd vel jam possiderent, vel consequi nequirent. Oportet quoque haec media esse aliquo modo communia, quoniam ratio unionis inter socios tota consistit in reciproco juvamine atque auxilio ex conjunctione sequendo; si igitur societas media communia ab omnibus suis membris indiscriminatim adhibenda non proponeret, immediate consequeretur vel nullam esse unionem, vel esse inefficacem, id est, mera benevolentia innixam: jam vero compertum est in societatibus proprie dictis seu juridicis vinculum juris ex unione efficaci solummodo oriri posse.

18. Finis nuncupatur et reapse est praecipuum societatis elementum, quia caetera ad illum ordinantur, eique serviunt, quod quidem multiplici ratione ostenditur.

1.° Finis rationem existentiae cujuslibet societatis continet, etenim, ut nuper innuimus, finis est illud quod unitatem multitudini hominum tribuit, ipsos vinculo morali conjungendo.

2.° Media omnia a fine pendent, cui proportionata esse debent, et in quo fulcitur ratio, natura, applicatio et extensio eorumdem.

3.° Finis adaequatus uniuscujusque societatis ejusdem naturam, essentiam seu *specificationem* clare et distincte definit, quandoquidem determinatio essentiae alicujus rei fit inquirendo et eidem assignando notam aliquam intrinsecam atque immutabilem, quae sit ei unice propria. Nunc vero nota intrinseca et immutabi-

lis, quae singulis societatibus sit unice propria, non potest esse nisi finis; quia ex quatuor elementis essentialibus duo priora, nempe, *multitudo* hominum atque *moralis* inter eos *conjunctio*, in se spectata cum separatione a fine, communia sunt *generi*, id est, cuilibet societati; tertium autem, videlicet *media*, non est per se determinatum, ideoque aliis adsociationibus potest esse commune; sed quartum elementum, nimirum *finis*, licèt in genere societatum sit plane indeterminatum, determinatur vero tantum in singulis societatibus, ita ut uniuscujusque sit unice proprium. Unde recte sequitur ex fine tantum determinari posse essentiam seu veram societatum *specificationem;* quod si sint plures societates, quae eumdem finem specificum sibi proponunt, eae non specie, sed numero tantummodo differunt, velut plures status seu regna: hinc si finis societatis temporalis vel naturalis fuerit, societas suapte natura ordinis temporalis vel naturalis erit; si autem finis adaequatus societatis exstiterit spiritualis vel supernaturalis, ipsa societas ad ordinem spiritualem vel supernaturalem spectabit, et ut talis specificabitur ratione finis proprii et adaequati, quamvis ob media non solum spiritualis aut supernaturalis erit, sed etiam externa et visibilis, ita ut media adhibere possit mixtae naturae, scilicet spiritualia et supernaturalia, simulque sensibilia atque exteriora; *spiritualia* et *supernaturalia*, ut effectum spiritualem et supernaturalem causare valeant, *sensibilia* ac *exteriora*, ut ab hominum societate administrari et usurpari queant.

4.° Postremo, jura omnia, quae pro sua natura societati competunt, ex ejus fine dimanant; ut enim ait clarissimus Taparelli (1), jus est potestas ad illud, quod ad rationis normam competit; at in qualibet societate quidquid alienum est a fine, non est ad rationis normam,

(1) *Saggio teoretico di diritto naturale*, § 341 *et seqq.*

quia non habet rationem sufficientem, siquidem tota ratio sufficiens societatis in fine sita est. Igitur jura omnia, quae pro sua natura cuicumque societati competunt, ex ejusdem fine necessario prodeunt.

19. Ex praestantia finis uniuscujusque societatis proprii deducuntur tria consectaria magni momenti, quae ob oculos semper habenda sunt, si in perpendendis atque recte definiendis humanis societatibus errores vitare velimus.

1.° Ex fine desumitur et juxta illum determinatur *status juridicus* seu qualitas et quantitas juris societati competentis ex ejus natura; ratio omnibus patet: cum societas sit pro consociatis tamquam medium ad consequendum finem, prouti fuerit relatio ad finem, erit consequenter tum relatio ad societatem ad eum ordinatam, quia jus habens ad finem, per se jus habet ad media eidem natura sua proportionata, tum determinatio, nomen, character et significatio juridica societatis finem respectivum prosequentis. Hinc si finis societatis liber sit, et societas voluntaria erit; si vero obligatorius, tunc jus ad societatem obligatorium, et ipsa societas juridice necessaria seu obligatoria evadet; si finis fuerit absolutus vel conditionatus, eo ipso emerget jus ad societatem relativam absolutum vel conditionatum, simulque habebitur societas juridica per se vel tantum dependens; denique si finis sit supremus, independens, subordinatus vel subalternus, jus ad societatem pro assequutione finis respectivi ad eumdem ordinem spectabit, atque etiam exsurget societas suprema, independens, subordinata vel subalternata.

2.° Ex natura finis insuper derivatur ac dignoscitur *constitutio interna* societatis, subque hoc respectu ejusdem vis seu indoles juridica; quando enim finis est liber, societas est per se aequalis, ita nuncupata ex eo quòd omnes socii eadem potestate pro regimine societatis gaudeant, licèt postea mutuis pactis inaequalita-

tem constituere possint; quando vero finis est necessarius, nascitur atque efformatur societas inaequalis, in qua non eadem auctoritate insigniti sunt adsociati, sive ejusmodi inaequalitas ex rei natura, sive ex jure praevalente oriatur.

3.° Ex natura finis pendet et dimetiendum est *jus societatis ad operandum,* hoc est, potestas adhibendi, proponendi atque urgendi ea omnia media, quibus quaelibet societas uti potest ad finis proprii et adaequati consecutionem, dummodo cum eodem proportionem habeat, subaudita tamen hac duplici restrictione: 1.ª *salvo ordine finium;* 2.ª *servata subordinatione bonorum iisdem finibus respondentium.*

Dicitur primum *salvo ordine finium,* quia 1.° fines necessarii finibus liberis praeponendi sunt; 2.° fines majores finibus inferioribus; 3.° fines aequales seu collaterales ex aequo servandi erunt, quatenus fieri poterit, etiam alterius consecutionem differendo, si non urgeret; 4.° cum verus adest conflictus, exstat libertas optandi pro assequutione unius vel alterius finis concurrentis.

Additur quoque *servata subordinatione bonorum iisdem finibus respondentium,* quoniam attenta bonorum specie, ex qua derivatur ordo ipsorum, admittatur necesse est quaedam essentialis classificatio et logica categoria seu gradatio. Hinc in schala bonorum postremum locum obtinent bona *materialia* tamquam omnibus inferiora; materialibus succedunt *sensibilia;* deinde sequuntur *intellectualia,* et ultimo veniunt *moralia* utpote nobiliora. Inter ipsa vero bona moralia, *naturalia* bonis *positivis* praeferuntur, quia illa necessaria sunt ex natura sua, haec autem contingenter; item in ipso ordine naturali quae ad Deum attinent, praeponi debent iis quae societatem respiciunt, atque haec vicissim individualibus anteponenda.

20. Societates in varias distinguuntur species, spe-

ctatis diversa earum origine, elementis, cooperatione, gradu, juribus atque ordine.

1.° Ratione *originis* societates dividuntur in *voluntarias* et *necessarias*; *voluntariae* dicuntur: *quae libera hominum voluntate, hoc est, jure non cogente congregantur*, uti societas scientifica, commercialis, etc.; *necessariae* vocantur: *quae necessitate juridica vel jure praevalente* (1) *homines adunant*, velut societas filialis, civilis et religiosa.

2.° Ratione *multitudinis* seu *sociorum* in *organicas* et *inorganicas* tribuuntur; *organicae* nominantur: *quae minoribus societatibus aliqualiter autonomis constant*, ita se habent Ecclesia seu societas religiosa, et societas civilis; familia autem seu societas domestica dici potest tum organica, quia tribus societatibus *conjugali, paternali* et *herili* vel saltem duabus prioribus componitur, tum inorganica, quia centrum est in omnibus paterfamilias; *inorganicae* apellantur: quae *ex individuis immediate constant*, prout in caeteris societatibus evenit.

3.° Ratione *vinculi* aut *moralis conjunctionis* dispesci valent in *simplices* et *juridicas*; *simplices*, quae etiam *inchoatae, amicales* seu *foederatae* nuncupantur sunt: *illae in quibus vinculum morale ex mero affectu oritur*, sic ex. gr. contingit in societate musicali, litteraria, cynegetica, etc.; *juridicae* denominantur: *illae in quibus conjunctio moralis ex aliqua obligatione derivatur*, sive obligatio procedat a jure praevalente sive a pacto, ejusmodi sunt societas civilis, religiosa et domestica, et societates mercantiles aut quaelibet aliae mutuo pacto initae.

4.° Ratione *finis* frequentissima est partitio societatum in *subalternas* seu *subalternatas* et *subordinatas*; *subalternatae* designantur: *quae sunt ejusdem ordinis et*

---

(1) Jus praevalens duplici sensu accipi potest, generice et specialiter; generice sumptum est jus alicujus alios sibi obligantis, pari jure non praeditos; specialiter usurpatum legem, sive naturalem, sive positivam significat.

habent finem incompletum atque inadaequatum, ideoque tum ratione materiae, tum ratione finis partem constituunt societatis principalis; *subordinatae* autem cognominantur: *quae sunt diversi ordinis et habent finem completum et adaequatum, sed ratione finis altioris societati majori subsunt*. Ex quo datur intelligi quamnam esse veram distinctionem inter *subalternationem* et *subordinationem* ponendam; illa enim subjectionem *juridicam* importat, haec verò subjectionem seu dependentiam mere *rationalem* includit; sic, ex. g. dioeceses vel municipia, respectu Ecclesiae vel Status societates subalternae dicuntur, societas civilis relate ad societatem religiosam, qui finem altiorem prosequitur, subordinata denominatur.

5.° Ratione *cooperationis* distingui possunt in *completas* et *incompletas*; *completae* sunt: *quae de universa hominis activitate disponunt relate ad finem suum*, ejusmodi recensentur societates religiosa, civilis ac domestica, quia homo integer totis suis viribus ad unamquamque ex his concurrit; e contra *incompletae* nuncupantur: *quae de parte humanae activitatis tantum disponunt*, ita v. g. habentur adsociationes scientificae aut commerciales, ad quas viribus tantum animae vel corporis, vel aliqua solummodo ex parte concurritur.

6.° Ratione *gradus* duplicis generis sunt *perfectae* et *imperfectae*; societas *perfecta* ea vocatur: *quae in suo ordine est sibi sufficiens et independens*, uti societas religiosa atque civilis; *imperfecta* vero definitur: *quae non est sibi sufficiens, neque independens in suo ordine*, quod quidem in societate domestica verificatur, quae, licèt sit completa, quoniam fini proprio intendit, videlicèt, conservationi, evolutioni et perfectioni personarum eam constituentium, et idcirco de ipsis personis et de integra earumdem activitate disponat, tamen societas perfecta censeri nequit, juxta D. Thomam (1), quandoqui-

(1) En verba Angelici Doctoris: «ad tertium dicendum quod sicut homo est pars domus, ita domus est pars civitatis; civitás autem est

dem non est sibi providendi sufficiens: hinc natura ipsa familias ordinat ad societatem civilem, tamquam partes ad totum, servata semper aliqua autonomia, nempe, propria organizatione et sphaera competentiae propriae (1). Duae tantum societates perfectae recensentur, Ecclesia atque Status; adsociationes vero imperfectae, quae etiam passim *collegia* nuncupantur, tot habentur, quot sunt societates religiosae et civiles subalternatae, in Eclesiam vel Statum cooptatae et ab illa vel ab hoc tum ratione *materiae* tum ratione *finis* dependentes. Fundamentum et origo imperfectionis et consequentis subalternationis in ejusmodi societatibus seu collegiis ex duplici causa provenire potest, vel quia sunt pars alterius societatis ejusdem ordinis, uti provincia quae est pars regni, vel quia habentur tamquam medium proportionatum ad finem ejusdem generis, velut militia, cujus finis est medium ordinatum ad finem civitatis adipiscendum.

7.° Ratione *jurium* societates classificari queunt in *aequales* et *inaequales;* appellantur *aequales: illae adsociationes in quibus omnes socii pari jure praediti sunt pro societatis regimine, sive illud collective exerceant, sive subjectum aliquod ultrò designent nomine caeterorum regimini praepositum,* ita se habet quaelibet hominum congregatio libera et voluntaria pro honesto fine assequendo adunata; *inaequales* autem denominantur: *quae ex rei natura vel jure praevalente constant magistratibus aut superioribus jure imperandi insignitis atque subditis seu*

---

communitas perfecta, ut dicitur in I. Politicorum (cap. 1 et 2). Et ideo sicut bonum unius hominis non est ultimus finis, sed ad commune bonum ordinatur, ita etiam bonum unius domus ordinatur ad bonum unius civitatis, quae est communitas perfecta. Unde ille qui gubernat aliquam familiam, potest quidem facere aliqua praecepta vel statuta; non tamen quae proprie habeant rationem legis» (I. 2. q. 90. a. 3. ad 3).

(1) Animadvertere oportet, etsi, proprie et stricte loquendo, societas completa in sua notione a perfecta distinguatur, et incompleta ab imperfecta, hodie communiter et juxta usitatum sermonem has denominationes veluti synonimas et accipi et usurpari.

inferioribus officio parendi obstrictis, uti evenit in societatibus juridice necessariis, videlicet, religiosa, civili et familiari (1).

8.° Ratione *ordinis* seu *naturae* bifariam etiam dividi possunt, in *homogeneas* et *heterogeneas*; *homogeneae* usuveniunt: *quae vel Ecclesiae vel Status sunt partes atque intra proprium ordinem continentur quia eumdem finem, sive spiritualem, sive temporalem, sibi proponunt, licèt sub respectivo Ecclesiae vel Status regimine*, tales considerantur Ordines religiosi, Congregationes piae, Confraternitates, etc. relate ad Ecclesiam, vel Ordines equestres, Collegia militaria, Coetus mercantiles relative ad Statum; *heterogeneae* autem sunt appellandae: *quae finem diversum prosequuntur, ideoque partes reputantur societatis alterius ordinis*, uti Dioecesis vel Municipium, Metropolis vel Provincia. Unde sequitur: 1.° tum Ecclesiam, tum Statum esse superiores respectu societatum, quae sibi sunt *homogeneae*, ita ut hae illis plene subsint, quandoquidem veluti *partes* existimantur, et pars in toto continetur; 2.° societates *heterogeneas* absque ulla controversia regimini societatis majoris seu principalioris subjici, juxta suum ordinem, hoc est, Ecclesiae, si religiosae sint, Statui, si e contra civiles exstiterint.

---

(1) Aliquando pro varia societatum confligentium natura distingui valent in *pares* vel *impares*, sed alio sensu, spectato nempe fine; et tunc *pares* dicendae sunt, quae parem finem habent, quaeque proinde non natura, sed numero distinguuntur, cujusmodi sunt duae societates civiles, seu duae nationes inter se independentes: *impares* verò, quae imparem finem habent, ex. gr. societas civilis atque ecclesiastica.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

21. Ecclesiae notio.—22. Quaenam spectari debeant ad naturam juridicam Ecclesiae dignoscendam.—23. Errores tum veterum, tum recentiorum Regalistarum circa juridicam Ecclesiae naturam.—24. Prima Thesis seu principium fundamentale.—25. Argumentum rationis.—26. Sententiae SS. Patrum hac de re.—27. Perpetua Romanorum Pontificum doctrina.—28. Christianorum Principum pro veritate juridico-dogmatica luculenta testimonia.

21. Determinato societatis humanae genuino conceptu, pergimus modò ad veram Ecclesiae notionem praefiniendam, ut ita plenissime poteat perfecta atque mirifica doctrinae catholicae consonantia cum essentialibus et immutabilibus juris naturalis principiis.

Ecclesia, re mature perpensa, recte definiri potest: *societas a Christo Domino instituta, ut homines, mediis praestabilitis rite applicatis, in ea exclusive salutem aeternam consequantur*. Tria maxime momenti ex praefata definitione eruuntur: 1.° *elementa* Ecclesiae tamquam verae et proprie dictae societatis; 2.° *excellentia* Ecclesiae supra omnes societates quae fingi possent; 3.° *characteres* peculiares atque juridici Ecclesiae in genere societatum.

1.° Ecclesia quatuor elementis essentialiter requisitis in qualibet societate constat, scilicet: *Multitudine (homines)*; *Vinculo morali (rite applicatis, in ea)*, quia ex usu et recta mediorum applicatione, facta in Ecclesia, exsurgit simultanea tendentia seu conspiratio consociatorum ad finem assequendum, in qua sita est conjunctio moralis; *Mediis (mediis praestabilitis)*, quae quidem in societate ecclesiastica sunt tum *spiritualia* utpote fini spirituali et supernaturali proportionata, tum *temporalia*, quippe agitur de societate externa et visibili, quae mediis temporalibus sibi congruis uti debet, tum

mixta, quamvis enim media ad finem proprium cujusque societatis ordinantur, eique respondere debent, tamen Ecclesia, cum suo fini immediato, nempe, sanctificationi animarum intendit, internam sanctitatem in fide et gratia consistentem procurare tenetur per media exteriora et sensibilia; nuncupantur insuper ejusmodi media *praestabilita*, eo quòd in societatibus necessariis non libere eliguntur a sociis, sed a jure praevalente proponuntur et determinantur, ideoque in Ecclesia a Christo Domino ab ejusdem fundatione instituta et ordinata fuere; *fine (salutem aeternam)*.

2.° Deinde ex notione Ecclesiae nuper allata sequitur ipsam esse societatem omnium perfectissimam; etenim perfectio cujuslibet adsociationis eo erit nobilior atque praestantior, quo major sit multitudo, arctius vinculum morale, sive ex obligatione, sive ex affectu proveniat, altissimus finis et efficaciora media: nunc vero ex quadruplici capite vel constitutivo elemento evidentissime patet societatem ecclesiasticam cuicumque aliae humanae congregationi maxime antecellere; quandoquidem Ecclesia ratione *pluralitatis* seu extensionis, omnes gentes cunctosque populos amplectitur *(homines)*; ratione *vinculi*, obligationi omnium sacratissimae a Domino nostro Jesuchristo universo hominum generi impositae, et mirabili charitatis legi ab ipso Dei Filio solemniter intimatae ac promulgatae innititur (*in ea exclusive*); ratione *mediorum*, a suo Divino Fundatore facultatibus efficacissimis, facillimis et clarisime determinatis *(mediis praestabilitis rite applicatis)* ditata est; denique ratione *finis*, tendi atque dirigit ad scopum omnium praestantissimum, ad supremum vitae terminum, ad finem nempe ultimum et supernaturalem, cujusmodi est adeptio salutis aeternae, ratio vera et adaequata sublimis originis, innatae propensionis et futurae destinationis creaturae rationalis seu entium intelligentium (*salutem aeternam)*.

3.° Demum ex conceptu Ecclesiae supra relato

aperte colliguntur characteres juridici Ecclesiae, quae proculdubio in genere societatum et denominari potest et haberi debet tamquam ***necessaria, obligatoria, visibilis, externa, supernaturalis, inaequalis*** atque ***suprema***; ***necessaria*** ratione ***originis*** (*a Christo Domino*), quia ortum habuit a Jesu Christo, jure praevalente omnium potissimo, qua Deus, Dominus et Legislator; *obligatoria* non solum ratione *facti* positivi aut divinae ***institutionis*** (***instituta***), verum etiam ***praecepti*** Christi formalis *qui crediderit* seu explicitae voluntatis (*exclusive*); ***visibilis*** (***homines***); ***externa*** (***mediis rite applicatis, in ea***); ***supernaturalis, inaequalis*** atque ***suprema*** (***salutem aeternam***), siquidem ex fine uniuscujusque societatis, uti alias animadvertimus, omnino pendet ***natura*** seu ***specificatio, interna constitutio*** et ejusdem ***status juridicus;*** sed, cum finis societatis ecclesiasticae sit ***salus aeterna,*** et hujusmodi finis ad ordinem ***supernaturalem*** spectet, ac ***necessarius obligatoriusque*** existat, necnon ***ultimus*** censeatur unaque habeatur, hinc ipsa Ecclesia optimo jure tam est, quam dici potest ***supernaturalis, inaequalis*** atque ***suprema.***

22. Ut in hac controversia adeo praestantissima simulque valde complexa recto ordine et magna perspicuitate procedamus, ante omnia operae pretium erit tres Theses generales veluti totidem principia fundamentalia statuere ac vindicare, quibus tamquam basi firmissima fulcitur natura juridica Ecclesiae, tota quanta est, videlicet: *Distinctionem, Perfectionem* et *Majoritatem* Ecclesiae prae societate civili.

23. Verum, antequam probationes pro unaquaque thesi in medium afferamus, ad rectius dignoscendos definiendosque Regalistarum, tum veterum, tum recentiorum, errores circa naturam Ecclesiae juridicam, nonnulla praenotare oportet de tribus principiis fundamentalibus, quae uti tot Theses generales cognosci et demonstrari debent, nimirum, de *Distinctione, Perfectione et Superioritate* Ecclesiae relate ad societatem civilem.

Jam vero in *Distinctione* secernenda est duplex distinctio: 1.ª *generica seu materialis*, quae exsurgit tantum ex diversa multitudine vel aggregatione hominum, hoc est, ex eo quod constituit *genus* in qualibet societate; 2.ª *specifica* seu *formalis*, quae desumitur ex diversitate societatum mutuo inter sese independentium ratione finis, ordinis, mediorum, jurium et officiorum, quae omnia *speciem* seu naturam peculiarem et specificam societatum efficiunt.

Veteres regalistae distinctionem in utroque sensu fatebantur, id est, agnoscebant distinctionem tam *genericam*, quam *specificam*; recentiores autem *genericam* tantum concedunt.

Perfectio societatum potest esse *absoluta* aut *totalis* et *relativa* seu *partialis*, prout autonomia vel independentia circa omnia versetur, aut e contra in aliquo restrictioni obnoxia sit.

Regalistae antiquiores perfectionem *absolutam* rejiciebant, solummodo *relativam* admittentes, hoc est, quoad potestatem *ordinis* et res *directe* et *proprie* spirituales, quae immediate conferunt ad Dei cultum et animarum sanctificationem; sed Ecclesiae denegabant *totalem* perfectionem quoad potestatem *jurisdictionis* et res *indirecte* et *improprie* spirituales vel temporalibus adnexas; hinc, juxta majorem vel minorem gradum religionis vel catholicismi ab iisdem professi, asserebant regimen externum, cultum, bona, judicia, aliaque id genus Statui competere, quia cum ordine publico et potestate temporali connectebantur. Recentiores vero regalistae, qui jam ultraregalistae aut caesaristae, vel statolatri seu athei politici rectius appellari debent, omnem independentiam, sive *absolutam*, sive *relativam* excludunt, siquidem, juxta eorum placita, Ecclesia tamquam quodlibet *collegium* Statui subjiciatur.

Denique *Superioritas* aut *Majoritas* societatum etiam duplici acceptione usurpari valet, *directe* vel *indirecte;*

directa dicitur: "quae subjectionem juridicam societatis inferioris importat vel exposcit, eo quòd ratione *materiae* et *finis incompleti* superiori societati necessario subest" (quod *subalternationem* vocavimus); *indirecta* nominatur: "quae mere includit subjectionem *rationalem* seu *logicam* societatis inferioris, quia ipsa rerum natura postulat fines omnes cujuslibet societatis, licèt adaequatos, fini altiori, ultimo et supremo subjici» (quod *subordinationem* nuncupavimus).

Jam vero antiqui règalistae superioritatem *indirectam* Status in Ecclesiam tuebantur, quoniam eam uti societatem *specifice* distinctam et *relative* perfectam agnoscebant; moderni autem regalistae vel potius caesaristae aut statolatri eò usque progressi sunt, ut superioritatem *directam* Status in Eclesiam defendant, quippe hanc spectant tamquam collegium vel quamlibet aliam societatem imperfectam potestati saeculari in omnibus subditam.

24. Prima Thesis seu principium fundamentale, quod hac super re stabilire ac propugnare cogimur, ita se habet: *Ecclesia juridice distinguitur a societate civili.* Pro hujusmodi veritate asserenda tuendaque mirifice conspirant validissima rationum momenta, effata Sanctorum Patrum luculentissima, Romanorum Pontificum ineluctabilia testimonia, ipsorumque regum ac christianorum principum aperta confessio, quae quidem potissima argumenta singillatim perpendere atque evolvere oportet.

25. In primis enim, pro juridica Ecclesiae distinctione militant multiplices rationes ex ipsa societatis ecclesiasticae et civilis natura depromptae; quandoquidem utraque societas essentialiter differt ac toto coelo distat *origine, fine, mediis, rectoribus* et *proprietatibus.*

Origine; etenim societas civilis est originis *naturalis* quoad *jus*, hoc est a Deo procedit tamquam Auctore naturae, origine *juridica* spectata, quia lege naturali

homines feruntur ad societatem constituendam, atque etiam jus naturae determinat essentialem potestatem reipublicae civilis et essentiales ejusdem relationes cum reliquis societatibus perfectis; quoad *factum* vero est originis *humanae*, id est, ab homine oritur, considerata *historica* origine, quia institutio societatis, determinatio formae regiminis, ordo relationum accidentalium aliaque id genus sunt facta humanae voluntatis legi naturae obsequentis: Ecclesia autem est originis *positivae divinae* et supernaturalis tum quoad *jus* tum quoad *factum*, nempe a Deo tamquam gratiae Largitore provenit et *juridice* et *historice*, quoniam sive inspiciatur ejus *institutio*, sive inquiratur ipsius *constitutio*, omnia reperiuntur a Christo Domino jam autoritative atque in perpetuum praescripta, determinata et solemniter promulgata.

Fine; utraque equidem societas homines ad finem ultimum dirigit, sed *finis proximus* Ecclesiae spiritualis atque supernaturalis est, nimirum, hominum sanctificatio per gratiam; verum *finis proximus* societatis civilis est naturalis, videlicet, felicitas hominum temporalis seu communis civium prosperitas obtinenda promovendaque per ordinem exteriorem interno moralitatis ordine informatum.

Mediis; Status civilis media temporalia tantum adhibet utpote ad finem suum proprium unice ordinata; Ecclesia autem utitur primario et potissimum mediis spiritualibus, cum haec sint fini suo immediato et adaequato, scilicet, animarum santificationi rite et vere proportionata; dein vero, prouti alias diximus, media etiam temporalia atque mixta sibi congrua adhibet tamquam societas humana et visibilis, quae utique internam sanctitatem gignere intendit, sed hunc spiritualem effectum vel gratiae infusionem producere debet per media externa seu instrumenta sensibilia.

Rectoribus; regimini Ecclesiae praefecti sunt Ro-

manus Pontifex Christi in terris Vicarius atque B. Petri Successor, et Episcopi Apostolorum Successores, qui jure divino ut veri Principes ac legitimi Pastores positi sunt ad regendam Ecclesiam Dei; societatem civilem gubernant atque moderantur Principes saeculares et laici Magistratus.

Proprietatibus; denique, societas ecclesiastica a civili distinguitur ratione *extensionis*, *temporis* et *stabilitatis:* ratione *extensionis*, Ecclesia una et universalis existimatur; imperia vero civilia certis limitibus circumscribuntur, ideoque pro diversitate locorum multiplicantur: ratione *temporis*, Ecclesia perpetua est; e contra regna terrena temporalia et nutantia evadunt: ratione *stabilitatis*, Ecclesia Christi immutabilitate et indefectibilitate gaudet; nationes autem ac politici status rerum humanarum vicibus obnoxia sunt, hinc immutantur, dividuntur atque labefactantur.

26. Deinde Sancti Ecclesiae Patres legitimi traditionis catholicae interpretes ejusmodi veritatem juridico-dogmaticam unanimi consensu docent ac proclamant: praeclaras eorum sententias proferre nimium esset; satis sit nonnullas insinuare.

S. Joannes Crysostomus ita ait: *Duplex imperii genus est; alterum cujus opera homines populis et urbibus imperant ac civilem hanc vitam moderantur... At vero heic aliud quoque imperii genus est, ac civili quidem imperio sublimius. Quodnam igitur est hoc? Quod in Ecclesia viget... hoc enim imperium tanto civili excellentius quanto coelum terra, imo etiam praestantius (1).*

S. Isidorus Pelusiota inquit: *Ex sacerdotio et regno rerum administratio conflata est; quamvis permagna utriusque differentia sit. Illud enim veluti anima est; hoc velut corpus* (2).

27. Sententiis SS. Patrum accensenda est perpetua

(1) *Hom. 15 in* II *ad Cor. num.* 3 et 4.
(2) *Lib. III. epist.* 246 *Edit. Parisiens.* 1658

ac irrefragabilis Summorum Pontificum doctrina: audiamus hac super re duo pretiosa et luculenta testimonia ex antiquis temporibus nostraque aetate desumpta.

S. Gelasius Papa ad imperatorem Anastasium scribens sic alloquitur: *Duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas* (1).

At recentissima nostra aetate sapientissimus Pontifex Leo XIII in toties laudata et mirabili Encyclica *Immortale Dei* rursus declarat: *Deus humanis generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet, ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam* (2).

28. Postremo, veritati thesis enuntiatae aperte suffragantur ipsi quoque Imperatores et christiani Principes, qui data occasione in suis epistolis, legibus atque resolutionibus ejusmodi doctrinam de distinctione juridica et essentiali Ecclesiae explicite confirmarunt; brevitatis gratia unum vel alterum memorabimus.

Constantinus Magnus episcopis arianis supplicem libellum eidem offerentibus ita opportune et sapienter reposuit: "Deus vos constituit sacerdotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; et ideo nos a vobis recte judicamur; vos autem non potestis ab hominibus judicari." (3).

Imperator Honorius fratrem suum Arcadium in Oriente regentem vehementer reprehendens, eo quod S. Episcopum Constantinopolitanum Joannem Chrysostomum in exilium egisset judicio saeculari innixus, sic ad eum loquitur: "Cum si quid de causa religionis inter antistites ageretur, episcopale oportuerit esse judicium;

---

(1) *Epist. ad Anast. imperat.* anno 494.
(2) Encycl. *Immortale Dei*, § *Itaque Deus.*
(3) Rufinus *in Hist. Eccl.* lib. I, cap. 2.

ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium„ (1).

Demum Justinianus in suis Novellis asserere non dubitavit: "Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei a suprema collata clementia, sacerdotium videlicet et imperium; et illud quidem divinis ministrans; hoc autem humanis praesidens ac diligentiam exhibens; ex uno eodemque principio utraque procedentia exornant vitam„ (2).

ARTICULUS III.

SUMMARIUM.

29. Secunda Thesis seu principium fundamentale.—30. Probatio *juridica* pro tnenda Ecclesiae perfectione.—31. Argumentum *philosophicum* ex ipsa societatis ecclesiasticae natura depromptum.—32. Probatio *historica* voluntate sui Divini Fundatoris fulcita.—33. Objectiones.

29. Secunda Thesis seu principium fundamentale necessario exponendum pro germana et essentiali Ecclesiae natura recte introspicienda hisce verbis formulari potest: *Ecclesia Christi est societas juridice perfecta.*

Uti ex simplici enuntiatione thesis colligitur tria nobis inquirenda et demonstranda sunt: 1.° *quaenam* societas sit Ecclesia in *genere* societatum, an perfecta vel imperfecta, completa vel incompleta, inaequalis vel aequalis: 2.° *qualis* in *ordine* societatum existat, utrum naturalis vel supernaturalis, spiritualis vel temporalis, suprema vel dependens; 3.° *qualiter* in sua *origine* a Christo instituta sit, num necessaria vel voluntaria, una vel multiplex, universalis vel particularis, seu quod idem est, hoc in loco investigare intendimus quomodo denominari et specificari debeat societas ecclesiastica ratione *gradus*, *naturae* et *institutionis*: huic tri-

(1) *Epist. ad fratrem suum Arcadium.*
(2) *Nov.* VI.

plici quaestioni responsio in promptu est; asserimus, contendimus ac profitemur Ecclesiam *juridice*, *specifice* et *historice* spectatam societatem esse vere et proprie perfectam, quod quidem demonstrare aggredimur triplici praefato argumentorum genere.

Sive consulantur principia juris naturalis circa notionem societatis perfectae a juristis et sociologis communiter recepta; sive inspiciatur ipsa natura societatis a Christo institutae; sive demum consideretur mens atque voluntas ejus Divini Fundatoris, meridiana luce patebit Ecclesiam vi suae internae constitutionis, propriae essentiae et historicae originis jure meritoque et nuncupandam et habendam esse veluti societatem perfectam, completam, independentem, necessariam et inaequalem.

Has tres probationes, quas recte vocare possumus *juridicam, philosophicam* atque *historicam* paucis verbis evolvemus.

30. Primum itaque, si jus naturale attendatur et principiis a tractatoribus juris publici communiter traditis standum sit, ut recta et genuina societatis perfectae notio habeatur, triplex societatum genus in memoriam revocare oportet, nempe, *simplices* seu *amicales*, *juridicas* et *perfectas*.

Societas *inchoata* aut *simplex* appellatur: *congregatio hominum ad eumdem finem mediis communibus consequendum;* unde sequitur: 1.° in societate *amicali* conjunctionem esse mere ethicam, hoc est, ex afectu seu benevolentia provenientem; 2.° non esse jura neque officia mutua proprie dicta; 3.° deesse proinde auctoritatem vi praeditam cogendi socios ad assecutionem finis socialis.

Societas *juridica* nuncupatur: *congregatio hominum ad eumdem finem communibus mediis obtinendum juris vinculo colligatorum;* ex quo colligitur: 1.° in societatibus *juridicis* exstare connexionem seu unionem vere

juridicam, innixam aliqua obligatione vel ex jure praevalenti, vel ex contractu exorta; 2.° existere idcirco officia et jura mutua: inter socios, *officia*, quia eo ipso quòd sint conjuncti vinculo juris, singuli remanent obstricti obligatione exteriori seu coram ipsa societate; *jura*, non solum in singulis consociatis qui facultate pollent tendendi ad finem honestum, quando obligatio pactitia est uti in adsociationibus voluntariis, vel obtinendi finem determinatum, cum obligatio legalis est velut in societatibus necessariis, verum etiam in ipsa associatione, quae persona moralis est seu *subjectum juris* respectu sociorum, facultate gaudens illos ducendi ad plenam finis consecutionem; 3.° in qualibet societate juridica etiam imperfecta necessariam esse auctoritatem seu *jus socios obligandi in ordine ad consequutionem finis socialis*, secus haberetur contradictio, esset enim et non esset juridica seu obligatoria sive ex pacto sive ex jure praevalenti. Cum dicimus auctoritatem prorsus necessariam esse in societate juridica, non loquimur de auctoritate generica et abstracta, insufficienti ad declaranda et definienda obligatorie media necessaria, sed agimus de auctoritate concreta atque determinata, quae sit, ut ita dicam, personificatio hujus juris, ideoque nominari queat *subjectum potestatis socialis*.

Societas denique perfecta apud omnes audit: *quae est in suo genere independens, in se completa et sibi sufficiens, ideoque plene sui juris*; ex quo eruitur ad societatem perfectam et vere denominandam et proprie constituendam tria necessario postulari: 1.° ut sit auctoritas principalis seu suprema potestas cunctos socios obligans ad jurium et officiorum observantiam; ejusmodi potestas, triplici attributo leges condendi, judicium ferendi et poenas infligendi instructa, vocari assolet *Majestas*, *Imperium* (hispanice *Soberania*), ut ita evadat *in suo genere independens*; 2.° ut non sit alterius pars, neque finem habeat ad alterius finem (in eodem scilicet

genere) ordinatum, ut possit dici *in se completa*; 3.° ut media ad sui conservationem propriique finis assecutionem necessaria in semetipsa *realiter* vel *virtualiter* (1) habeat, ut *sibi sufficiens* existimari queat.

In hoc societatis perfectae conceptu tradendo non solum consentiunt juristae et theologi catholici, uti Taparelli (2), Cavagnis (3), Soglia (4) ac D. Thomas (5), verum etiam ipsi jurisperiti acatholici, cujusmodi est celeber Puffendorfius (6).

His praejactis, sic argumentamur: societas perfecta dicitur consociatio hominum quae vero imperio ad socios regendos potitur, finem proprium et adaequatum persequitur alterius societatis fini minime subordinatum, atque media ad finem proportionata in se possidet, quin in eorum usu et applicatione ab alia societate pendere cogatur: atqui Ecclesia potestate principali et imperio proprio pollet (*euntes ergo — ego mitto vos — pasce — pascite — regere Ecclesiam Dei*); ad finem ultimum et supremum, cui caeteri fines subordinantur, ducit (*veni ut vitam habeant — haec est voluntas Dei sanctificatio vestra — vitam aeternam habebitis)*; et media sibi propria adhibet,

(1) Diximus *realiter* vel *virtualiter*, quia ut societas sit perfecta, necessaria non est actualis seu realis mediorum possessio, sed sufficit quod media ad suum finem obtinendum *virtualiter* in semetipsa habeat, ita nempe ut ab alia societate ea repetere *proprio jure* possit, neque illi facultas insit aut eadem negandi, aut suo judicio rem dirimendi.

(2) *Juris Ecclesiastici Publici Institutiones*, Lib. I, cap. I, sect I.

(3) *Institutiones Juris Publici Ecclesiastici*, Pars I, lib. I, cap. I, art. I.

(4) *Institutionum Juris Publici Ecclesiastici* Liber I *de Statu Ecclesiae*.

(5) Angelicus Doctor ita loquitur: «Cum omnis communicatio hominum ordinetur ad aliquid necessarium vitae, illa erit perfecta communitas quae ordinatur ad hoc quod homo habeat sufficienter quidquid est necessarium ad vitam. Talis autem communitas est civitas. Est enim de ratione civitatis, ut in ea inveniantur omnia quae sufficiunt ad vitam humanam, sicut contingit esse.» (I *Politicorum*, cap. I).

(6) Ejusmodi percelebris jurista Reformationis Societatem inaequalem et perfectam sive Statum sic definit: «Conjunctio aut consociatio plurium hominum, quae imperio per homines administrato, sibi proprio, et aliunde non dependente continetur.» (*De habit. Relig. Christ.* § 11).

quin in eorum oeconomia et usu ab alia societate pendeat, nec repetere teneatur (*qui crediderit*—fides, *et baptizatus fuerit*—sacramenta, *docete*—magisterium, *hoc facite*—sacrificium, *servare omnia* — praecepta, *quaecumque ligaveritis* —leges disciplinares, *dum lucem habetis operate bonum*—bona opera): societas igitur a Christo Domino instituta vere et proprie perfecta est, cum pro se habeat, juxta naturalia principia et apertum atque unanime juristarum testimonium, ea omnia requisita, quae ad societates in hoc gradu constituendas desiderantur.

31. Praeter argumentum juridicum, ratione duce, plane ostenditur perfectio Ecclesiae, tamquam legitimum consectarium distinctionis societatis ecclesiasticae a societate civili in articulo praecedenti demonstratae; etenim fundamentum et causa hujusmodi distinctionis tota sita est in natura peculiari, in ipsa specificatione Ecclesiae a Christo institutae: agitur equidem de societate *suprema, una, universali,* atque *supernaturali,* quae omnia omnimodam perfectionem et plenam independentiam ineluctabiliter expostulant, uti facile evincitur.

1.° Probatur perfectio Ecclesiae ex ejus *suprematia*: societas suprema perfecta est; atqui Ecclesia est societas suprema; ergo perfecta est.

Prob. maj. Societas perfecta, ut nuper explicavimus, ea dicitur quae potestate principali seu vero imperio pro regendis sociis pollet, ad finem completum et adaequatum in suo ordine alterius societatis fini minime subordinatum tendit, atque in semetipsa media necessaria habet pro conservatione et finis proprii assecutione ita ut ea nec ab alia societate recipiat, nec in eorum usu et aplicatione pendeat; atqui societas suprema imperio proprie dicto gaudet ad socios cogendos pro juribus servandis et officiis adimplendis, ad finem directum omnium completissimum, id est, ad finem ultimum ducit, adeo ut ad aliam societatem nullo modo or-

dinetur, quin caeterae eidem subordinantur vel ratione materiae si sint ejusdem ordinis et generis, vel ratione finis si sint diversi ordinis et generis, atque demum non solum media juridice propria habet, sed etiam jus absolutum et illimitatum omnia media judicio suo necessaria adhibendi pro fine absolute necessario adipiscendo; ergo societas suprema perfecta est.

Prob. min. Societas suprema ea nuncupatur quae ad finem supremum tamquam ad finem suum directum dirigit ac tendit, gradus enim, natura et specificatio societatis, juxta principia toties laudata, ex ejus fine proprio et adaequato desumenda sunt; atqui Ecclesia directe ducit ad finem supremum seu ultimum, nempe, ad salutem aeternam, quia instituta est ut medium exclusive necessarium ad hanc obtinendam; Ecclesia igitur societas suprema est, ideoque perfecta.

2.° Probatur perfectio Ecclesiae ex ejus *unitate*: Ecclesia est una tam *specie* quam *numero*; atqui ejus unitas prorsus pessumdaretur, si non esset societasperfecta et independens; ergo necessario debet esse perfecta.

Prob. maj. Ecclesia est una tam *specie* quam *numero*, si *formaliter* tantum et non *materialiter* a societatibus civilibus distinguatur; atqui societas ecclesiastica tantum *formaliter* a societatibus civilibus distinguitur, hoc est, fine et mediis, sed non *materialiter*, quia iidem homines debent esse membra Ecclesiae et alicujus societatis civilis, dum e contra non iidem homines sunt membra omnium societatum politicarum, unde exsurgunt societates vel nationes numero plures; ergo Ecclesia una est tam *specie* quam *numero*.

Prob. min. Si Ecclesia non esset perfecta, a potestate civili penderet, quae, cum ex alia parte suprema sit uniens in se omnes partiales auctoritates societatum imperfectarum quae ab alia majori societate juris divini non dependeant, evaderet auctoritas etiam suprema in ipso ordine ecclesiastico seu subjectum proprium

per se ecclesiasticae potestatis, quod absurdum est; ex alia vero, cum ejusmodi potestas civilis sit adaequate distincta et in tot atque diversos summos imperantes tributa, pluribus statibus vel totidem regnis praefectos, haberentur plures Ecclesiae, non una Ecclesia; pessundaretur igitur et penitus rueret unitas Ecclesiae, sublata ejus juridica perfectione atque necessaria independentia.

3.° Probatur perfectio Ecclesiae ex ejus *catholicitate*: societas religiosa *universalis* non solum in abstracto seu quoad religionem, sed etiam in concreto seu quoad regimen exterius, hoc est, tamquam societas visibilis et externa, perfecta atque independens esse debet; atqui Ecclesia est societas religiosa *catholica* aut universalis non solum in abstracto seu spectata ut religio, verum etiam in concreto seu considerata in sua externa politia et regimine; ergo Ecclesia perfecta ac independens esse debet non tantum ut religio juxta Regalistarum placitum, sed insuper uti societas visibilis et externa, juxta principia juridico-dogmatica.

Prob. maj. Societas universalis tam in ordine religioso, quam in ordine gubernativo, statim ac imperfecta et dependens deveniret, notam universalitatis in regimine externo amitteret, eo quòd subjiceretur diversis Principibus aut Summis Imperantibus, ideoque haberentur tot Ecclesiae quot Status, tot societates religiosae quot Moderatores civiles, seu quod idem est, recenserentur plures Ecclesiae locales, peculiares et circumscriptae, minime vero Ecclesia una et universalis; atqui conceptus universalitatis et dependentiae in hoc sensu regiminis inter se pugnant, quia societas, quae ab alia pendet in regendo, non gaudet catholicitate ut cunctos populos omnesque homines sub ejus auctoritate amplectatur; ergo societas religiosa *universalis* non solum in abstracto seu quoad religionem, sed etiam in concreto seu quoad regimen exterius, hoc est, tamquam societas visibilis et externa, perfecta atque independens esse debet.

Prob. min. Societas auctoritate suprema et magisterio auctoritativo atque infallibili divinitus instructa supra cunctos populos, regna et gentes quocumque tempore, loco atque adjunctis indubitanter habenda est velut societas religiosa catholica aut universalis, non solum in abstracto seu spectata ut religio, verum etiam in concreto seu considerata in sua externa politia et regimine; atqui Ecclesia a Christo Domino potestate plena, divina atque immediata donata est docendi et pascendi *omnes gentes*, *in universum mundum* et *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* igitur Ecclesia est societas *catholica* aut universalis non solum uti magistra veritatis et custos religionis, sed etiam tamquam societas visibilis et externa, cujus divinae auctoritati et supremo regimini omnis creatura subesse tenetur, ideoque inter omnes societates perfectas perfectissima et maxime independens putanda erit.

4.° Probatur perfectio Ecclesiae ex ejus *supernaturalitate:* societas supernaturalis ejusque potestas debent esse perfectae atque independentes a quacumque alia societate et potestate naturali; atqui tum Ecclesia tum ipsius potestas supernaturales sunt; ergo perfectae vel independentes a societate civili et potestate saeculari habendae sunt.

Prob. maj. Societas ejusdemque potestas proportionem servare debent cum suo ordine et fine; atqui nulla adest proportio inter societatem ac potestatem supernaturalem et societatem potestatemque naturalem, quia sunt diversi ordinis et finis; ergo societas supernaturalis ejusque potestas debent esse perfectae atque independentes a quacumque alia societate et potestate naturali; ergo repugnat potestatem civilem, cum sit naturalis, esse per se supernaturalem seu subjectum potestatis spiritualis et religiosae, vel ab ipsa, minori et infima, pendere potestatem supernaturalem, majorem atque nobilissimam.

Prob. min. Natura societatis summaque jurium eidem competentium desumuntur ex fine proprio et adaequato ad quem tendit; atqui finis proprius et adaequatus quò tendit Ecclesia, sive proximus, nempe, sanctificatio animarum, sive remotus, videlicet, consecutio vitae aeternae, supernaturalis est; ergo tum Ecclesia, tum ipsius potestas, quae in summa jurium eidem competentium sita est, supernaturales existunt; ideoque oportuit Christum Dominum constituisse et potestatem ecclesiasticam distinctam et independentem a civili, et subjectum potestatis supernaturalis a se institutae etiam distinctum et prorsus independens a subjecto potestatis naturalis, id est, a principibus vel magistratibus saecularibus, nisi dicatur vel supponatur Divinum Ecclesiae Fundatorem speciali providentia et singulari oeconomia potestatem civilem ejusque subjectum ad ordinem supernaturalem elevasse, ut ita per *elevationem* haberet in Ecclesiam potestatem, qua *per se* carebat.

Sed ejusmodi assertio vel hypothesis et unitati Ecclesiae plane adversatur, et a veritate omnino aliena est, siquidem Redemptor noster nullam potestatem ecclesiasticam principibus contulit, immo vero pluries in Evangelio praedixit eosdem aperta hostilitate et saevissimis insectationibus suam Ecclesiam esse vexaturos: *et ad praesides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis, et gentibus* (1).

Ex his, quae leviter adumbravimus, legitime infertur Ecclesiam, etiam spectata tantum intima ejus natura et propria essentia, quatenus nempe suprema, una, catholica et supernaturalis est, omnibus tamquam societatem summe perfectam et magnopere independentem necessario apparere.

32. Inquirendum modò venit *qualiter* Christus Dominus suam Ecclesiam instituerit, utrum eam perfectam vel imperfectam, supremam vel dependentem constituerit; ejusmodi quaestio *historica* est, versatur enim

(1) Matth. cap. X, v. 18.

circa factum positivum, cujus veritas atque interpretatio ex documentis sinceris et authenticis nobis constare debent. Et re quidem vera, Ecclesia erit societas talis, qualem Christus ipsius Fundator voluit, qualem traditio catholica divinarum institutionum testis et oraculum docuit, qualem ipsamet Ecclesia divinitus edocta et infallibilis verbi Dei interpres suprema sua auctoritate solemnibus definitionibus tradidit; probatio igitur *historica* ex triplici informationis fonte repetenda est, nimirum, ex Sacra Scriptura, traditionali sensu et ecclesiasticis definitionibus.

1.° Ex Divinis Litteris luculentissime patet Jesum Christum constituisse in Ecclesia magistratus *proprios*, eisque potestatem *plenam* contulisse, eosdemque simul auctoritate *suprema* et independente muniisse. Ita scilicet ait Petro Vicario suo, supremoque Ecclesiae Capiti: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversum eam: Et tibi dabo claves regni coelorum: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* (1). Ad omnes autem Apostolos similia prorsus verba dicta leguntur a Christo: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* (2).

Ex his duobus testimoniis evangelicis tria legitime consequuntur pro evincenda constabiliendaque societatis christianae perfectione: primum, *institutio* solemnis magistratuum pro regenda Ecclesia seu explicita designatio *subjecti* proprii potestatis ecclesiasticae, *Tu, Vobis,* scilicet Petrus et Apostoli eorumque Successores, quibus tantum haec verba dicta fuere; alterum, *plenitudo* potestatis expresse significata per vocabulum *quodcumque* — *quaecumque* continens in suo logico conce-

(1) Matth. cap. XVI, vv. 18 et 19.
(2) Matth. cap. XVIII, v. 18.

ptu atque in sensu etiam mere grammaticali formulam adaequatam potestatis omnino amplissimae, omniaque media ad finem assequendum necessaria certissime complectens; tertium, *suprematia* et absoluta *independentia* potestatis a Christo Domino collatae ex illis commatibus clarissime deducta *erit ligatum et in coelis, erit solutum et in coelis,* vel *erunt ligata et in coelo, erunt soluta et in coelo,* siquidem hujusmodi evangelici textus incisa, quae in hac sacra et concludente periodo leguntur, aperte docent inter potestatem Petri et Apostolorum ligantium vel solventium in terris, atque potestatem ipsiusmet Dei sancientis in coelis sententiam Petri Apostolorumque nullam aliam esse auctoritatem mediam ac humanam, ne quidem regiam aut imperialem, cujus judicio standum sit, antequam Deus suprema et irrevocabili sanctione ligata vel soluta ab Apostolis in coelis confirmet.

2.° Sed videamus ad pleniorem facti evangelici, cujus investigationi intendimus, corroborationem, quid de voluntate positiva Christi Ecclesiam instituentis senserit traditio catholica et christiana antiquitas. Cum tantis SS. Patrum testimoniis obruamur, speciminis gratia nonnulla pretiosissima effata tantum afferemus.

a) Alii docent plenitudinem principatus ac potestatis ad Ecclesiam regendam in propriis ejus magistratibus, id est, in Episcopis residere; ita loquitur S. Ignatius Martyr: *Quid aliud est Episcopus, quam is, qui omnem principatum ac potestatem in Ecclesia obtinet?* (1).

b) Alii affirmant in Ecclesia esse verum imperium, et quidem non modo praestantius, verum etiam perfectius civili; sic inquit S. Gregorius Nazianzenus: *Te quoque, Imperator, imperio meo et throno lex Christiana subjicit. Imperium enim et nos quoque Episcopi gerimus: addo etiam praestantius et perfectius; nisi vero aequum est*

(1) Epist. *ad Trallenses.*

spiritum carni fascem submittere, et coelestia terrenis cedere (1).

c) Alii demum tradunt praeter ecclesiasticos Magistratus neminem prorsus in Ecclesia quidquam posse, licet ille Rex aut Imperator sit; en quam strenue adversus imperatores iconoclastas S. Joannes Damascenus scribit: *Tibi parebimus, Imperator, in his quae ad hujus saeculi negotia pertinent... Verum ad res Ecclesiae statuendas, pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque instituta ecclesiastica tradiderunt* (2).

3.° Postremo, ad uberiorem thesis juridico-dogmaticae confirmationem, operis pretium ducimus rem totam conficere perpetua Ecclesiae catholicae doctrina et dogmaticis Romanorum Pontificum definitionibus.

a) In primis memoranda est Constitutio dogmatica Joannis XXII edita X. Kal. Nov. anno 1327 adversus errores Marsilii Patavini et Joannis de Janduno, quae incipit *Licet* (3) et in qua *generaliter* defenditur independentia Ecclesiae a potestate imperatoria, quod idem est ac asserere Ecclesiam insignitam esse nota juridica societatis perfectae; *specialiter* autem Ecclesiae ipsi tribuitur illud, quod maxime proprium est societatis perfectae, nempe, jus potestatis coactivae etiam quoad inferendam vim materialem; *singulariter* vero Marsilius, qui pro cohonestando schismate Ludovici Bavari catholicam doctrinam negabat, damnatur hac de causa ut haereticus.

b) Dein memorandae veniunt omnes Summorum Pontificum Constitutiones adversus *Placitum Regium* (4),

---

(1) Orat. 17. *ad Theodosium.*

(2) Orat. 2. *de Imaginibus.*

(3) Qui illam legere velit, adeat Raynaldum, continuatorem Baronii ad annum 1327, n. 27 et seqq., atque Roskovany—*Monumenta Catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae*, vol. I.

(4) Canonistae, qui de *Placito Regio* egerunt, recensere assolent viginti duo Constitutiones Pontificias illud damnantes: Illmus. Felix Cavagnis eas ordine chronologico exhibet in suo praeclaro opere *Insti-*

in quibus eadem Ecclesiae perfectio et independentia, ut doctrina catholica ab omnibus tenenda, gravissime adstruitur ac vindicatur.

c) Memorandae pariter sunt propositiones XIX et XXIV damnatae a venerabili Pontifice Pio IX felicis recordationis, quae ita se habent: XIX—"Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites, inter quos eadem jura exercere queat„; XXIV—"Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque ullam potestatem temporalem directam vel indirectam.„

d) Memoranda denique sunt ac firmiter retinenda luculentissima Leonis XIII verba: "Intelligi debet Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et jure perfectam; neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quidquam de caeteris juribus detrahant quae in ipsam a Jesu Christo collata sunt (1).„

OBJECTIONES.

33. Object. 1.ª contra probationem *juridicam*. Si potestas Eclesiae independens esset ad omnia media ejus fini proportionata adhibenda, sequeretur conflictus cum societate civili, quia duae societates perfectae atque independentes coexistere nequeunt, quin independentia unius excludat independentiam alterius, unaque tantum existat vere independens, vel e contra habeatur bellum perpetuum, antagonismus mutuus et conflictus

---

tutiones Juris Publici Ecclesiastici, Parte Secunda, Lib. III, cap. I, art. II. Emmus Car. Tarquini plures earum Constitutionum collegit in sua Dissertatione de *Placito Regio.*

(1) Encycl. *Immortale Dei,* § *Ex iis autem.*

permanens; atqui conflictus duarum societatum est inordinatio seu perturbatio, quae concipi nequit juxta mentem divini Fundatoris Ecclesiae, et inde ortum habet evulgatum axioma ***status in statu repugnat;*** ergo admitti nequit hypothesis perfectionis atque independentiae societati ecclesiasticae competentis.

Resp. *Dist.* maj.: sequeretur conflictus ***per se,*** hoc est, spectatis fine, natura et institutione utriusque societatis, ***nego; per accidens,*** id est, aliquando et partialiter ex contigenti aliquo adjuncto, puta ex vitio hominum, potius vero magistratuum civilium quam ecclesiasticorum, quia, ut ajebat S. Ambrosius, ***cupidiores sunt Imperatores sacerdotio, quam Sacerdotes imperio*** (1), ***conc.***

Quoad minorem ***nego,*** quia perturbatio ibi tantum esse potest, ubi nulla est ratio ***ordinis,*** idest, si coexistentes societates non modo inter se distinctae sint, verum etiam plane disjunctae, nulloque pacto inter se coordinatae. At Ecclesia, Civilisque societas coordinatae inter se sunt, ita ut civilis societas sit Ecclesiae subordinata, quemadmodum vita temporalis est subordinata vitae aeternae. Si igitur oriantur conflictus, ita omnia determinata sunt, ut nulla possit exoriri perturbatio, nisi ex hominum malitia vel vitio. Et quidem ipsum jus naturale regulas praescribit, quibus et modus et judex designatur ad controversias inter societatem majorem ac minorem ortas dirimendas: etenim vel societates sunt ratione finis pares vel impares; si impares, hoc est, una tendens ad finem superioris ordinis, altera inferioris, norma est hanc cedere primae; hinc societas civilis cedat Ecclesiae; si pares ut duae nationes, tunc vel dividant bonum ad quod ambae per se jus habent, si est divisibile, vel statuatur compensatio; quod si imposibile fuerit, ad sortes recurrendum esset, quin ex utraque parte nunquam per se adesset causa justi belli.

---

(1) *Epist. ad Soror.*

Quoad confirmationem minoris, nempe, ad praetensum axioma *status in statu repugnat, dist.*, status in statu repugnat circa eumdem finem *con.*, circa finem diversum *subdist.;* si agatur de finibus oppositis absolute *conc.*, si de oppositis per accidens *iterum dist.*, si nullo modo sint subordinati, *transeat*, si sint subordinati, *nego*. Comperta namque sunt apud omnes haec tria: 1.° Ecclesiam non eumdem finem habere, ac societas civilis, sed plane diversum; 2.° fines societatis religiosae et politicae non esse inter se oppositos, sed mirifice semetipsos adjuvare (1); 3.° eosdem utriusque societatis fines inter se esse coordinatos, ita ut finis societatis civilis Ecclesiae fini sit subordinatus.

Object. 2.ª Societas perfecta gaudere debet juribus *majestaticis* ita dictis a Majestate vel Imperio, id est, complexione jurium, quae naturaliter societati independenti competunt, alioquin plena jurisdictione non polleret; atqui Ecclesia juribus majestaticis caret, quia tantum status civilis iisdem potitur; ergo Ecclesia non est societas perfecta.

Resp. *Con.* maj. *Dist.* min.: Ecclesia caret juribus *majestaticis* ordinis *civilis, conc.*, ordinis *ecclesiastici, nego.* Et sane, si per jura majestatica significetur suprema potestas cum triplici facultate legislativa, judiciaria et executiva ordinis civilis, ejusmodi potestas Ecclesiae non competit; si vero intelligatur, ut debet intelligi, cum de re ecclesiastica agitur, auctoritas suprema ac independens cum triplici attributo legislativo, judiciali et coactivo ordinis ecclesiastici, proculdubio jura majestatica Ecclesiae competunt, quamvis passim hoc nomen usurpetur pro juribus potestatis civilis definiendis.

---

(1) Cons. de hoc praestantissimo argumento S Agustinum—*Epist.* 5, *alias* 138. *ad Marcellin*; Roskovány —*Monum. Cathol. tom, III, pag.* 649: Nonnotte—*Dictionaire Philosophique sur la Religion*, verbo *Christianisme*, art. VII; Leibnitz—*Epist. censoria contra Puffendorf*, § 6.

Quod autem Ecclesiae competat suprema potestas in suo ordine independens obligandi per leges, judicandi et puniendi subditos suos non modo per poenitentias et censuras, se etiam coactive, hoc est poenis exterioribus et salubribus adhibitis, capite II fusius ostendetur.

Object. 3.ª Societas perfecta pro exercitio plenae jurisdictionis indiget territorio proprio, nemo enim in territorio alieno potestatem libere exercere potest nisi cum permissione vel dependentia a domino; atqui Ecclesia territorio proprio caret, siquidem ad principes pertinet; ergo non est societas perfecta.

Resp *Dist.* maj.: indiget territorio tamquam loco, ubi ad instar servitutis activae jus habeat exercendi jurisdictionem suam, in hoc sensu *conc.*, indiget territorio tamquam dominio civili vel politico, in hac acceptione dominii proprii sive civilis sive politici in aliquam regionem, uti conditionis necessariae ad exercendam jurisdictionem, *nego*.

Ad minorem quod attinet, *nego*. Falsum est enim Ecclesiam non habere territorium in sensu exposito et de quo heic tantum agitur, quia jus exercendae jurisdictionis ineluctabile est corollarium *legitimae*, immo *necessariae* existentiae Ecclesiae, quandoquidem obligatio ejus finem assequendi omnes obstringit. Praemissa igitur legitima, multoque magis necessaria existentia hujusmodi societatis, quae quidem et natura sua et voluntate Divini sui Institutoris independens et vere perfecta est, amplius carere non potest iis omnibus ad suam conservationem necessarie ordinatis, cujusmodi praesertim est jus exercendae jurisdictionis.

Praeterea, cum nemo hominum sit, qui officio finem Ecclesiae assequendi non adstringatur, unde eo ipso Ecclesia sit societas natura atque institutione sua *catholica*, sequitur totum terrarum orbem esse territorium Ecclesiae, juxta ipsam divinam voluntatem in Evangelio expressam: *ite in universum mundum, docete omnes gentes, praedicate omni creaturae.*

Haec objectio falso supposito innititur; desumitur enim ex eo quòd jus in aliquod territorium existimetur indivisibile, quod quidem falsitate laborat, quia jus in territorium oritur ex titulo illud conferente; sed titulus potest conferre dominium privatum, quin conferat politicum; et politicum, quin conferat ecclesiasticum. Hinc dominium unius est jus exclusivum aliorum, licèt in eodem ordine, id est, dominium privatum unius proprietarii excludit dominium privatum alterius proprietarii, sed non excludit politicum Regis; ita et dominium politicum Principis non excludit dominium seu jus religiosum Pontificis; unde patet quam alienam a veritate esse pervulgatam Protestantium sententiam: "cujus est regio, illius est et religio".

Object. 1.ª contra probationem *philosophicam*. Ecclesia est societas spiritualis, proindeque media tantum spiritualia adhibere debet, etenim necesse est media sint fini proportionata; atqui societas utens tantum mediis spiritualibus perfecta dici nequit; ergo nec Ecclesia.

Resp. *Dist.* maj. quoad utramque partem. Ecclesia est societas spiritualis quoad finem *conc.*, quoad materiam seu quoad membra quibus constat, *nego*, siquidem non meris spiritibus sed hominibus conflata est. Ecclesia adhibere debet media spiritualia, id est, ejusmodi quae habeant proportionem ad finem spiritualem obtinendum, *conc.*, quae in se et natura sua sint tantum spiritualia, *nego*. Qui enim plane non desipiat, novit homines, eo ipso quòd spiritus conjunctus sit corpori, moveri, corrigi, coerceri et ad finem, licèt spiritualem, perduci minime posse mediis tantum spiritualibus; quia materia, qualitas atque *mediorum* proportio a *finis* necessitate determinandae erunt, cum finis, ut jam demonstravimus, sit praecipuum elementum, cui caetera in qualibet adsociatione subordinantur ac serviunt.

Ad minorem quod spectat, etiam *dist.* Societas hominum utens tantum mediis spiritualibus, hoc est, ex-

cludens media externa et sensibilia, perfecta dici nequit, *conc.*, societas humana utens mediis spiritualibus, quae tamen simul sensibilia sint, *nego*. Exploratum namque est media proportionata esse debere fini assequendo, attenta natura subjecti a quo adhibenda sunt; igitur si a societate hominum applicanda sunt, oportet sint sensibilia, quoniam sensibilis est homo, et homines tantum sensibiliter inter se valent communicare, ideoque socialis auctoritas uti potest tantum mediis sensibilibus, quae tamen tendunt ad finem et effectum spiritualem.

Object. 2.ª Finis Ecclesiae est salus aeterna; sed salus aeterna tantum libere obtineri potest; ergo Ecclesia nequit cogere fideles. Atqui societas quae vi coactiva caret, perfecta nec dici nec esse potest; Ecclesia igitur societas perfecta non est.

Resp. Ante omnia praemonendum ducimus libertatem, quaejuxta doctrinam catholicam, immo etiam dogmaticam, servanda est in prosequutione finis spiritualis, duplici in casu spectari posse: 1.° ad merendum; est enim necessaria, ut actus sit meritorius; 2.° ut quis adultus fidem amplectatur et Ecclesiae adscribatur; est etiam necessaria, quippe nulla vi obstricti ad Ecclesiam Christi homines vocandi sunt. Jam vero sub utroque respectu ex dogmate christiano salva atque incolumis servatur humana libertas, quin ab Ecclesia excludatur potestas ejus coactiva; quod evidenter apparet distinguendo relate ad duo doctrinae catholicae capita proposita propositionem minorem prioris sillogismi, in qua objectio proprie sita est.

Quoad primum caput; salus aeterna tantum libere obtineri potest, *dist.*: ita ut ad merendum vel demerendum libertas a *necessitate intrinseca* in fine ecclesiastico persequendo requiratur, *conc.*; ita ut requiratur etiam libertas simpliciter a *coactione* vel *necessitate extrinseca*, *nego*.

Quoad alterum caput, nempe, si agatur de homini-

bus ad finem ecclesiasticum, hoc est, ad aeternam salutem extrinsecus dirigendis, iterum *dist.:* libertas a coactione salva esse debet pro infidelibus ad Ecclesiam vocandis, *conc.;* pro baptizatis, qui Ecclesiae curae ac potestati traditi sunt, ut munere pascendi sibi a Christo injuncto rite fungatur, illos *corrigendo,* ne pereant, simulque *coercendo,* ne alios perimant, *nego.*

Object. 1.ª contra probationem *historicam.* Juxta sacra eloquia Ecclesia tenetur: 1.º temporalibus vel saecularibus abstinere.—*Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit. Nam et qui certat in agone non coronabitur nisi legitime certaverit* (1); 2.º ab omni dominatu abhorrere.—*Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent inter eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: et qui praecessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat?.. Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat* (2); 3.º adhibere per suos magistratus media tantum suasiva, exhortationes, lacrymas, patientiam, etc.—*Praedica verbum; insta opportune, importune:.. increpa in omni patientia et doctrina... Tu vero vigila, in omnibus labora,... ministerium tuum imple. Sobrius esto* (3); 4.º potestatem punitivam non exercere in eos qui ipsi adversantur.—*Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorraehorum in die judicii, quam illi civitati* (4).

Sed societas, quae rebus temporalibus et externis non utitur, omni dominatu vel imperio destituitur, me-

---

(1) Paul. II *ad Tim.* cap. II, vv. 4 et 5.
(2) Luc. cap. XXII, vv. 25 et 26.
(3) Paul. II *ad Tim.* cap. IV, vv. 2 et 5.
(4) Matth. cap. X, vv. 14 et 15.

dia tantum suasiva adhibere potest, ac denique facultate puniendi privatur, perfecta esse nequit. Ergo Ecclesia, quae, juxta Divinas Litterras, hac precaria conditione praedita est, societas perfecta haberi nequit.

Resp. Ad singulas argumenti adducti partes singillatim respondebimus.

Ad 1um: Ecclesia tenetur temporalibus vel saecularibus abstinere, *dist.*: abstinere debet a temporalibus, quae eam removeant a proprio fine, *conc.;* quae sint media ad finem, *nego.* Sub eadem distinctione explicandus est textus Apostoli.

Ad 2um: Ecclesia ab omni dominatu abhorrere tenetur, *dist.:* Ecclesiae abhorrendum est ab omni *dominatu,* quatenus hac voce intelligitur *spiritus ambitionis,* qua quispiàm alios sibi subjicit, ut privatae suae gloriae, privatisque suis commodis inserviat, *conc.;* ab omni *dominatu,* quatenus hoc nomine designatur officium regendi, mediaque ad finem consequendum idonea apte administrandi, *nego.* Hac ipsa distinctione intelligendus est textus evangelicus objectus *Reges gentium,* etc.

Ad 3um: Ecclesia tenetur adhibere per suos magistratus media tantum suasiva, ita ut, juxta adversariorum placitum, universa Ecclesiae arma et media ad exhortationes et lacrymas restringantur, *nego.* Pro textu Paulino exponendo haec prae oculis habere oportet: 1.° verba Apostoli adversus jansenianos aliosque ejusdem furfuris recte retorqueri queunt; sunt enim generalia et acria *argue, increpa, insta opportune, importune;* complectuntur utique media omnia quae necessitas postulet, sive mansuetudinem, sive severitatem sapiant; 2.° quatenus vero testimonium D. Pauli *patientiam* et *doctrinam* quae in exhortando sit, laudat, cum distinctione accipiendum est, videlicet, patientia et doctrina seu exhortatio adhibendae sunt, si necessitas aut justa ratio haud postulet severiora media, *conc.*; exclusive,

nego (1); 3.° in ejusmodi textibus expendendis praecipue attendenda erit ratio temporis, quo scripti sunt; agitur namque de aetate, in qua Ecclesia plenitudinem suae potestatis nondum exerere poterat propter tum Judaeorum, tum maxime Ethnicorum persequutionem.

Ad 4um: Ecclesia, secundum ipsiusmet Christi doctrinam sibi reservantis judicium eorum qui illi adversantur, potestatem punitivam in eos exercere nequit, *dist.:* punire nequit infideles, *conc.;* fideles, *nego.* In loco ex S. Matthaeo deprompto agitur de infidelibus, qui non adhuc christianam fidem susceperunt, neque idcirco Ecclesiae potestati subjecti sunt, juxta id quod ait Apostolus: *Quid enim mihi est de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis* (2). Loquebatur igitur Jesus Christus in textu allato de iis, qui Evangelium respuebant et extra Ecclesiam reperiebantur.

Object. 2.a SS. Ecclesiae Patres inficiantur eam potestate coercitiva instructam esse, passim asserentes Ecclesiae tantum competere media suasiva et arma mansuetudinis et constantiae; in hac sententia praesertim consentiunt SS. Ambrosius, J. Chrysostomus et Augustinus: en quomodo loquuntur.

S. Ambrosius ita inquit: *Dolere potero, potero flere... Talia enim munimenta sunt sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere* (3). D. J. Chrysostomus explicite ait: *Sacerdotis est tantum arguere et audacter et libere admonere; non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, neque arcum tendere, neve jacula mittere, sed ar-*

(1) Conf. S. Augustinum *Epist.* 185 ad Comitem Bonifacium, ubi sapienter de patientia Ecclesiae propria disserit, simulque docet eam Christum Dominum imitari etiam in poenis physicis a delinquentibus repetendis.

(2) I *ad Cor.* cap. V, vv. 12 et 13.

(3) *Serm. contra Auxent.*

guere tantum, et constantiam ostendere (1). Ad S. Augustinum quod attinet, necesse non est testimonia adducere, etenim constat Doctorem Africanum in nonnullis priorum operum locis aperte reprehendisse usum potestatis coactivae.

Resp. Testimonia SS. Ambrosii et Joannis Chrysostomi ad rem non pertinent. Chrysostomus enim agit de Sacerdote Veteris Testamenti Azaria, contra quem *Rex* (Ozias), ut ait ipse S. Doctor, *arma movebat, et clypeos et hastas suamque intentabat potentiam.* Ambrosius autem de se ipso loquitur, quem Imperator Valentinianus armis et gothis militibus oppugnabat. In textibus laudatis agitur proinde de casu extraordinario, necnon de bello et seditione cienda, quod longissime abest a praesenti quaestione: notum est S. Thomam Cantuariensem, quamvis Martyrium pro vindicanda Ecclesiae libertate ejusque independentia subierit, diserte asseruisse: *Non est Ecclesia more castrorum defendenda.*

Sententiam autem S. Augustini in trutinam revocare oportet, quoniam neoterici adhuc ejus auctoritate abutuntur, recensentes more suo quae neophitus scripsit, et omittentes quae jam maturus Doctor nobis tradidit. Certum exploratumque est D. Augustinum initio suae conversionis putavisse vim coactivam non esse adhibendam in delinquentes contra religionem; sed etiam certissime constat eum postea et propria experientia et pleniori cognitione ductum tum istam tum alias opiniones mutasse et retractasse, ut ex sequentibus locis aperte colligitur.

In suis Retractationibus loquens de coactione ministerio imperatorum vel principum ab Ecclesia exercenda ita ait: *Tunc mihi non placebat, quoniam nondum expertus eram vel quantum malum eorum* (haereticorum) *auderet iniquitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre*

(1) *Hom. IV in illud Isaiae: Vidi Dominum.*

posset diligentia disciplinae (1). In Epistola ad Marcellinum Africae tribunum, agens jam de coactione directa per Episcopos illata, eum laudat, quia puniebat Donatistas: *Virgarum verberibus, qui modus exercitationis et a magistris liberalium artium et ab ipsis parentibus et saepe etiam in judiciis ab episcopis solet adhiberi* (2). Demum, cum Donatistae catholicos accusarent, quasi defecissent ab exemplis Apostolorum et praeceptis Domini, invocando contra ipsos leges imperiales, hisce verbis alloquitur ad comitem Bonifacium: *Quod enim dicunt qui contra suas impietates, leges justas institui nolunt, non petiisse a regibus terrae apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus, et omnia suis temporibus agi* (3).

ARTICULUS IV

SUMMARIUM.

34. Quaenam praenotanda de superioritate Ecclesiae.—35. Triplex conditio societatum respectu Ecclesiae.—36. Triplex primatus.—37. Quot hypotheses fingi possint inter relationes Ecclesiae et Status.—38. Tertia Thesis seu principium fundamentale.—39. Probetur Majoritas Ecclesiae prae Statu civili.—40. Verus conceptus potestatis Ecclesiae in civilem societatem.—41. Objectiones.

34. Demonstrata juridica Ecclesiae perfectione absolutaque ejus independentia in suo ordine, videndum modò superest utrum societas a Christo instituta habenda sit major seu superior prae societate civili; hujus quaestionis solutio maxime interest tum pro juribus, quae utrique potestati competunt, distincte secernendis, tum pro relationibus sacerdotium inter et imperium recte definiendis. Sed antequam hanc praestantisimam controversiam aggrediamur, ut status quaestionis me-

(1) Lib. II. *Retract.* cap. V.
(2) *Epist.* 133. *ad Marcellinum.*
(3) *Epist.* 185. *ad Bonifacium,* cap. 5.

lius internoscatur, veram naturam germanumque sensum superioritatis Ecclesiae respectu caeterarum omnium societatum determinando, tria inquirere ac praestabilire refert: 1.° quotuplex sit conditio societatum civilium relate ad Ecclesiam; 2.° quomodo concipi possit primatus vel majoritas alicujus societatis prae alia; 3.° quaenam hypotheses fingi queant in hac superioritatis et inferioritatis relatione.

35. In primis itaque triplex societatis civilis species respectu Ecclesiae est distinguenda. Aliae enim ab ejus potestate *jure* et *facto* sunt omnino exemptae; cujusmodi existimantur societates civiles *infidelium*, quae, etsi teneantur fidem et baptismum suscipere, quibus Ecclesiae subjaceant, nondum tamen ejus auctoritati subduntur: aliae Ecclesiae potestati de *jure* subjiciuntur, sed ab ea de *facto* sunt separatae; tales habentur status vel respublicae *schismaticorum* et *haereticorum*, qui reapse per baptismum filii Ecclesiae putantur, attamen per rebellionem aut sejunctionem ecclesiasticae auctoritati repugnant: aliae denique cum Ecclesia conjunctaesunt, eique, ut par est, *jure* et *facto* obediunt; eaeque sunt civiles *catholicorum* societates,-de quibus in hoc articulo expresse disseritur, investigandi gratiâ an majoritate vel minoritate quoad Ecclesiam donatae sint.

36. Primatus unius societatis supra alteram triplici pariter modo concipi et existere valet. Potest esse: [a]) *honoris* tantum, hoc est, sejunctus ab omni jurisdictione in societatem inferiorem, ita ut injuriam haec inferat societati praestantiori, si eam utcumque laedat, sed coerceri ab eadem auctoritate propria non possit; majoritas ejusmodi nonnullis regnis vel statibus competit, quae denominari solent nationes (Potencias) primi ordinis relate ad alias, ex. gr. Russia vel Germania respectu Helvetiae vel Lusitaniae: [b]) primatus etiam potest esse verae *potestatis* seu cum plena jurisdictione conjunctus, adeo ut societas inferior *absolute* et *directe* subsit societati su-

periori, quae idcirco illam rebus in omnibus regendi atque ordinandi jus proprie dictum habet; haec majoritas merito agnoscenda est in Ecclesia catholica quoad ecclesias particulares, in quolibet regno sive imperio quoad provincias quibus coalescunt, summatim in omni societate suprema relative ad societates inferiores homogeneas: c) primatus demum haberi potest *mere accidentalis*, id est, cum indirecta jurisdictione conjunctus, quem accidentalem nuncupavimus, eo quòd societas major nonnisi *per accidens* in societatem minorem potestatem suam exercere queat; hujusmodi primatus societati majori erga eas societates convenit, quae heterogeneae appellantur, ac proinde Ecclesiae quoad societatem civilem.

37. Cum agitur de scrutanda atque praefinienda majoritate vel minoritate, superioritate vel inferioritate, suprematia vel dependentia utriusque societatis tum ecclesiasticae, tum civilis, tres tantum hypoteses excogitare possunt, quarum vim et veritatem perpendere decet, ut via sternatur pro tuenda thesi proposita et obstacula in antecessum removeantur, quae doctrinae catholicae officere valeant: quaecumque hypothesis fingatur, semper constabit, atque omni perspicuitate effulgebit principium fundamentale, superioritatem Ecclesiae in societatem civilem adstruens. Ejusmodi hypotheses ad triplex genus revocari possunt, videlicet: vel ad *subordinationem Ecclesiae* ad Statum, vel ad *aequalitatem* utriusque potestatis, vel ad *subordinationem Status* ad Ecclesiam.

Prima hypothesis rejicienda est, quia cum Ecclesiae commissa sit cura ad aeternam salutem populos perducendi, Statui vero felicitatem hominum temporalem promovendi, si illa huic subordinaretur, magnum sequeretur incommodum, imo etiam verum absurdum et aperta contradictio, siquidem inferiora superioribus, terrena coelestibus, temporalia aeternis, finis incomple-

tus et inadaequatus fini ultimo et supremo praeponerentur, quae omnia quam a recto ordine per ipsum Auctorem naturae intento aliena sint, nemo est qui non videat.

Secundae hypothesi suffragari nequimus, quoniam nec exstant nec concipi valent duae societates natura distinctae et inter se extraneae, quae absolute supremae censeri possint, eo quòd excellentia et gradus societatum, juxta principia toties memorata, ab earum fine desumantur, sitque penitus imposibile societati hominum duos fines absolute supremos assignare.

Hinc, quamvis Societas civilis catholica non differat *materialiter* a Societate ecclesiastica, quia ratione *sociorum* iisdem membris constat ac Ecclesia Christi, tamen distinguitur *formaliter* seu ratione *finis*, quandoquidem eadem multitudo hominum sub imperio potestatis civilis felicitatem temporalem inquirit, simulque sub imperio Ecclesiae vitam aeternam persequitur. Nunc vero cuicumque patet hos duos fines supremos esse minime posse, sed ultimum atque supremum, nempe, vitam aeternam, felicitati ac vitae temporali necessario praeponi debere.

Hinc etiam consequitur societatem civilem catholicam ita felicitati temporali adipiscenda estudere teneri, ut prosecutio felicitatis aeternae nec postponatur nec negligatur, sed omnia temporalia ad coelestem beatitudinem sub regimine Ecclesiae obtinendam recte ordinentur, quod quidem mirifice et diserte exponit sapientissimus Pontifex Leo XIII hisce verbis: "Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque inmutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit opportunitates afferat; quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque ser-

vandae, cujus officia hominem Deo conjungunt„ (1).

Tertia igitur hypothesis quae subordinationem Status ad Ecclesiam adstruit ratione finis praestantioris et altissimi, quò haec populos hominesque ducit, in principium inconcussum devenit atque thesim catholicam constituit, quam demonstrandam intendimus.

38. Tertia Thesis seu principium fundamentale: ***Ecclesia majoritate aut primatu in societatem civilem juridice pollet ratione finis, ideoque Status illi indirecte subordinatur.*** Thesis enunciata duplici parte constat: in prima agitur de veritate et quantitate superioritatis Ecclesiae, hoc est, quaeritur primum utrum Ecclesia revera sit major prae societate civili, et quousque se extendat hujusmodi primatus; jam vero prima pars ad hanc duplicem quaestionem respondet adstruendo tamquam juridicum principium Ecclesiae superioritatem ***majoritate aut primatu in societatem civilem juridice pollet***, simulque eamdem superioritatem restringendo ad ea quae cum fine ultimo atque supernaturali connectuntur ***ratione finis***, cujusmodi sunt res omnes quae ad conscientiam spectant, et etiam temporales quatenus religionem respiciunt, quia omnia quae vel ad conscientiam vel ad religionem referuntur, ad finem supernaturalem, videlicet, ad vitam aeternam ordinem habent.

In secunda propositionis parte disseritur de natura et qualitate potestatis Ecclesiae in Statum, id est, inquiritur quisnam et qualis primatus Ecclesiae competat prae societate civili, quo sensu et quibus conditionibus Ecclesia potestate superiori gaudeat in Statum: et ad ejusmodi quaestionem enucleandam additur in thesi ***ideoque Status illi indirecte subordinatur***, quibus verbis denotatur potestatem, de qua loquimur, non esse directam, temporalem et absolutam, sed indirectam, spiritualem et conditionalem. His praemissis, ad utramque

---

(1) Encycl. *Immortale Dei.*

thesis, quam sustentamus, partem evincendam deveniamus.

39. Prima pars, quae majoritatem Ecclesiae prae societate civili asserit in iis omnibus ad finem ultimum respicientibus, veritatem catholicam omnino profitendam nobis exhibet, pro qua militant validissima argumenta ex Sacra Scriptura, sensu traditionali et ipsa ratione desumpta.

1.° Verba toties repetita, quibus Christus Dominus auctoritatem supremam, perpetuam atque infallibilem in sua Ecclesia instituit — *quodcumque ligaveris — quaecumque alligaveritis — docete—mitto vos —pasce oves meas—pascite qui in vobis est gregem Dei, etc.*, societati divinam suam missionem prosecuturae triplicem potestatem legiferam, judicialem et coercitivam conferunt tum quoad omnes christianos, tum etiam quoad omnia quae ad conscientiam religionemve spectant. Sed res civiles et negotia temporalia saepenumero ad conscientiam religionemque respiciunt, quia ad finem ultimum et supernaturalem referri possunt, quatenus conformia vel difformia sunt legi divinae, sive naturali, sive positivae, cujus interpretatio et custodia ad Ecclesiam exclusive pertinet. Igitur in iis rebus etiam civilibus ac temporalibus, quae cum conscientia et religione relationem habent, ideoque cum fine supremo ac necessario seu aeterna salute quoquo modo conjunguntur, societas civilis ejusque potestas Ecclesiae subordinantur, tamquam societati majori finem altioris ordinis curanti.

2.° Sensus irrefragabilis catholicae traditionis, necnon perpetua antiquitatis christianae sententia hac super re ex triplici fonte apertissime constat, nimirum, ex auctoritate SS. Patrum, decretis Romanorum Pontificum et Ecclesiae praxi.

a) Sancti Patres et Ecclesiae Doctores unanimi consensu docent societatem civilem ejusque imperium Ecclesiae subesse debere, quemadmodum corpus ani-

mae, sensus rationi, vita terrena vitae spirituali. S. Gelasius ita ad imperatorem Anastasium scribebat: *Quod si dicunt: Imperator hoc facit; hoc ipsum quibus canonibus, quibus regulis est praeceptum?... Si quantum ad religionem pertinet nonnisi Apostolicae Sedi juxta canones debetur summa judicii totius. Si quantum ad saeculi potestatem, illa a Pontificibus et praecipue a B. Petri Vicario debet cognoscere, quae divina sunt, non ipsa eadem judicare* (1). S. Joannes Chrysostomus sic loquitur: *Hoc enim imperium* (Ecclesiae) *tanto civili excellentius est, quanto coelum terra et quantum inter corpus et animam discriminis est, tantum item ab illo hoc distat* (2). Notissimum est S. Augustini effatum hac de re: *Imperator est in Ecclesia, non supra eam.* Inter Doctores, ne longiores simus, S. Bonaventurae (3), Hugonis a S. Victore (4), Alexandri de Hales aliorumque testimonia praetermittimus; tantum proferre jubat verba S. Thomae, Principis theologorum: *Ad tertium dicendum, quod potestas saecularis subditur spirituali, sicut corpus animae: et ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis praelatus se intromittat de temporalibus* (5).

b) Pro veritate catholica constabilienda conspirant Pontificiae constitutiones: Bonifacius VIII, occasione contentionis inter ipsum et Philippum IV Galliae cognomento *Pulchrum*, hanc celeberrimam declarationem emisit: *Oportet temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati... Subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, definimus esse omnino de necessitate salutis* (6).

Pius vero IX *falsas, perversas* ac *detestandas* nun-

---

(1) *Epist.* IV.
(2) *Hom.* XV in 2. *Cor.*
(3) Lib. *de Eccl. Hierarch.* p. 2.
(4) Lib. 2. *de Sacr.* p. 2. c. 4.
(5) 2. 2. *q.* 60. *art.* 6 *ad* 3.
(6) Cons. *Unam sanctam.*

cupat opiniones neotericorum hac super re, praesertim pseudoliberalium commenta: *Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione et mandato libere exercere debet, non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos, summosque eorum principes, utque de medio tollatur mutua illa inter sacerdotium et imperium concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper exstitit ac salutaris* (1). Tandem laudatus Pontifex sequentes propositiones in Syllabo damnavit: XLII—*In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet;* LIV—*Reges et principes, non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiâ.*

c) Perpetua Ecclesiae praxis thesim, quam propugnamus, plane confirmat, illa siquidem, licèt diverso gradu, potestatem indirectam longo saeculorum tractu exercuit, eoque ipso subordinationem status in iis quae ad finem spiritualem attinent, constanter professa est quod perspicue elucebit Historiam Ecclesiasticam levissime percurrendo.

Aetate *antiqua,* potestatem indirectam Ecclesia exerit triplici modo: *rehabilitando,* hoc est, immutando luctuosam puerorum, mulierum, servorum et civium conditionem; *christianizando,* id est, informando jure, moribus, fide et institutis christianis gentes ethnicas populosque barbaros; *prohibendo,* nimirum, fidelibus interdicendo ne muneribus publicis fungerentur, nisi sub certis conditionibus. Ex hac triplici Ecclesiae actione *restauratrice, transformatrice* atque *legislatrice* ortae sunt gentes vere novae, quae nationes christianas effor-

---

(1) Encycl. *Quanta cura.*

marunt, quarum congregatio sub suprema Romanorum Pontificum auctoritate vocata est in jure publico *Christianitas* seu *Ethnarchia christiana.*

Aetate *media,* jurisdictione indirecta in regna atque imperia christiane constituta utitur, triplici etiam agendi ratione adhibita: *puniendo* summos imperantes excommunicatione et poenitentia publica, quae poenae privationem ipsius potestatis civilis importabant, etiam imperialis; *deponendo* pluries e solio Principes rebelles et Sanctae Sedi repugnantes, eorumque subditos a juramento fidelitatis absolvendo; *consecrando* reges christianos, ut vi sacrae coronationis et unctionis et majorem auctoritatem et graviora officia eisdem conferret.

Demum aetate *recentiori,* triplici etiam interventione apud principes et christianas nationes ejusmodi primatum ratione *finis* Ecclesia simul ostendit atque evolvit; *ineundo* concordata pro componendis negotiis et mutuis relationibus servandis; *mittendo* Legatos sive Nuntios Sedis Apostolicae, qui Romani Pontificis personam agant, rebusque ecclesiasticis ordinandis praeeant; *damnando* leges juribus suis adversantes, uti his ominosis temporibus saepissime contingit.

3.° Argumentationem nostram absolvemus praeeminentiam Ecclesiae rationum momentis corroborando: et sane sive spectetur *ordo,* sive perpendatur *finis* utriusque societatis religiosae et politicae, veritas thesis catholicae splendidiori luce fulget.

a) Jus naturale non modo suadet, verum etiam expresse praescribit ordinem temporalem subesse debere ordini spirituali, seu quod idem est, regi juxta legem divinam; sed potestas civilis ordinem temporalem provehit, Ecclesia vero spiritualem promovet; igitur juxta jus naturae potestas civilis apud christianos Ecclesiae subordinatur quoad ea omnia quae ad finem spiritualem respiciunt vel sub lege divina cadunt.

b) Ipsa diversa natura finis Ecclesiae et Statui

praestituti huic strictam et gravissimam obligationem injungit illi nunquam adversandi, immo vero suas leges, institutiones et actus legislationi et Ecclesiae menti conformandi. Et re quidem vera, finis Ecclesiae est instaurare omnia in Christo, id est, non tantum singulos homines sanctificare, sed etiam integras familias et societates civiles spiritu religionis informare; finis autem principatus civilis in procuranda tranquillitate et temporali hominum felicitate consistit, ideoque non est principalis, independens et quasi ultimus in suo ordine. Hinc sicut universae creaturae gloriae Dei inservire debent, et specialiter creatura rationalis suum Creatorem agnoscere adque illum tendere obstringitur, et specialissime homo christianus terrena negotia omnesque res temporales destinationi suae supernaturali accommodare tenetur, ita etiam societas civilis, quae catholica sit, et potestas saecularis ejusdem regimini praeposita finem ultimum persequi, suosque actus ad normam hujus praestantissimi et necessarii finis componere cogitur, in quo equidem posita est ***subordinatio*** Status ad Ecclesiam (1).

40. Secunda propositionis pars genuinum superioritatis Ecclesiae in Statum conceptum tradit, dotrinamque hodie fere certam et communiter apud juristas catholicos receptam circa naturam et qualitatem ecclesiasticae majoritatis, quae quidem directa, temporalis, absoluta vel noxia aut inutilis appellari nequit.

1.° Potestas Ecclesiae in societatem civilem sensu supra exposito ***indirecta*** tantum, minime vero ***directa*** vocari debet multiplici de causa: [a]) quia utraque societas ad finem proprium atque completum diversi ordinis

---

(1). Cf. de hoc argumento: Suarez.—*Defensio Fid.* Lib. 3. cap. V. num. 2. et *de Legibus.* Lib. IV. cap. IX; Bianchi —*Della esterior polizia della Chiesa* Lib. I. cap. I. § VI; Phillips—*Du Droit ecclesiastique dans ses principes generaux*, tom. II. chap. X, § 116.

et generis tendit ideoque neutra ratione sui ab altera pendet; [b]) quia Ecclesiae praeeminentia solummodo innititur subordinationi felicitatis temporalis, cujus procurationi praeficitur potestas civilis, ad aeternam salutem, cujus cura Ecclesiae demandata est; [c]) quia sententia contraria nullo modo vel difficillime cum decretis Pontificiis, agendi ratione Sanctae Sedis et sensu universae Traditionis componi valet; [d]) quia opinio veterum canonistarum, qui supremam potestatem directam in societatem civilem Ecclesiae tribuebant, post sapientissimas disquisitiones Card. Bellarmini in suis *Controversiis* et *Eximii* Suarezii in *Defensione fidei*, pene obsoleta habetur, et vix aut ne vix quidem solida probabilitate gaudet; quam ob rem doctrinam de superioritate *indirecta* nuncupavimus *hodie fere certam et communiter apud juristas et theologos catholicos receptam.* Attamen animadvertere oportet Ecclesiam judicium definitivum hae in controversia nondum tulisse; unde Pius IX in damnatione propositionis XXIV Syllabi—«Ecclesia vim inferendi potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam» — Ecclesiae vindicavit *potestatem* in temporalia, sed nolens quaestionem in scholis catholicis agitatam dirimere, usurpavit verba *directam* vel *indirectam*.

2.° Primatus Ecclesiae prae societate civili *spiritualis* est, tum ratione *originis*, quia continetur in potestate clavium, tum ratione *subjecti*, quia erga christianos exercetur, tum ratione *finis*, quia ad finem spiritualem tendit; sed quamvis vere *spiritualis* sit tamen propter ordinationem vel relationem verum ad finem ultimum et supernaturalem, *civilia* et *temporalia* complectitur, eo quod potestas indirecta suapte natura spiritualis exerceatur in societates civiles et influat in temporalia, quatenus res civiles et temporales respectum vel connexionem cum conscientia et religione importent; atque tunc ratio naturalis dictat civitatem cedere debere

Ecclesiae, bonumque spirituale et aeternum temporali hominum bono esse praeponendum.

3.° Majoritas Ecclesiae prae Statu civili *absoluta* esse nequit, sed mere *conditionalis*, siquidem plenitudo potestatis indirectae Ecclesiae exerceri non potest (vel melius exerceri non potuit, etenim in hodiernis nationibus et in actuali Europae christianae constitutione exercitium hujus auctoritatis inutile vel fere imposibile foret) nisi apud nationes christiane constitutas, et positis his quatuor conditionibus: personis catholicis, periculo religionis ex criminibus imperantium oborto, populo obedienti Ecclesiae et spe removendi malum, seu quod idem est, *catholicitate* subditorum, *criminalitate* principum, *submissione* populorum et *actione* efficaci Ecclesiae.

Cum vero medio aevo ejusmodi conditiones plene adimplerentur, bene concipitur et recte explicatur primatus Ecclesiae in cunctos populos et regna Europae, salutaris influxus Sedis Apostolicae in negotiis saecularibus moderandis, atque suprema Romanorum Pontificum auctoritas pro pace et tranquillitate publica asservanda, cum bella exsurgerent vel Principes inter se dissiderent; sive haec suprematia ac praepotentia in rebus politicis et temporalibus juri divino, hoc est, potestati indirectae, Ecclesiae ejusque visibili Capiti a Christo collatae, cum Bellarmino (1) tribuatur; sive juri publico in Europa tunc temporis vigenti cum Fenelon (2) adscribatur; sive cum Huguenin (3) et Cavagnis (4) utrique juri, divino ac humano adjudicetur (5).

4.° Denique potestas indirecta Ecclesiae et corre-

---

(1) *De Romano Pontifice*, lib. V.

(2) *De Summi Pontificis auctoritate*, cap. XXXIX.

(3) *Expositio Methodica Juris Canonici*, lib. 3, tit. I, art. II.

(4) *Institutiones Juris Publici Ecclesiastici*, lib. III, cap. VI, art. V, num. 207.

(5) De hac gravissima materia, quam heic leviter pro nostro scopo innuimus, in Secunda hujus Operis Parte late agemus, ubi de potestate indirecta Ecclesiae disputatio specialis instituetur.

lative subordinatio indirecta Status *noxia* vel *inutilis* dici nequit: non *noxia*, quia Ecclesia sua superioritate utitur salutare praesidium pro assecutione felicitatis temporalis Statui praestando, illumque in suo ordine perficiendo; sed cum societatem politicam adjuvat atque perficit, hoc praestantissimum opus prosequitur absque depressione libertatis vel laesione jurium quae illi competunt: non *inutilis*, quandoquidem imperantes simul et subditos moderatur pro mutuis officiis rite exsequendis, protegendo principes adversus rebelliones subditorum, et populos adversus excessus potestatis civilis.

OBJECTIONES.

41. Difficultates quae contra thesim expositam passim objiciuntur peti solent ex *auctoritate*, *ratione*, *historia*, *legislatione* atque *conciliis:* singulas seorsum atque ordinate solvemus.

Object. 1.ª ex *auctoritate* desumpta. S. Isidorus Pelusiota ait: *Ecclesiam esse in regno* (1), ex quo sequitur eam aliquo saltem sub respectu esse regno inferiorem eique saltem indirecte subordinatam, quatenus jurisdictione regni dirimi debeant controversiae omnes inter Ecclesiam et Statum obortae.

Resp. S. Isidorus in loco citato, uti ex testimonio integro colligitur (2), Ecclesiam animae et regnum corpori comparat, ideoque asserit Ecclesiam esse in regno sicut anima in corpore; sed hinc non deducitur, juxta Protestantium et Jansenianorum placitum, subordinatio vel dependentia juridica Ecclesiae, quin potius aperte eruitur ejusdem praeeminentia et primatus prae societate civili vel regno, velut corpus ex anima pendet, ab eaque regitur ac moderatur.

---

(1) Lib. III, epist. 149.
(2) Conf. art. II, num. 26.

Object. 2.ª S. Optatus Milevitanus explicite inquit: *Ecclesia est in Republica, non Respublica in Ecclesia* (1), unde argumentari licet Ecclesiam aut esse in regno ut collegium, quod esset contra ejus perfectionem juridicam, aut saltem esse ei inferiorem, quod est contra ipsius suprematiam.

Resp. Antequam in forma dialectica ad propositum argumentum respondeamus, nonnulla praemittere necesse est, unde totus contextus cognoscatur, sicque vera S. Optati sententia appareat. In Libro III de *Schismate Donatistarum* narrat Parmeniano Optatus Constantem Imperatorem eleemosynas misisse in pauperes erogandas, eique Donatum, ex quo Donatistae nomen nacti sunt, maledicta pro gratiis retulisse; hanc agendi rationem reprehendens ita inquit: *Jam tum meditabatur* (Donatus) *potestatibus et regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet B. apostolus Paulus:* "Rogate pro Regibus, et Potestatibus, ut tranquillam vitam cum ipsis agamus". *Non enim Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica est, id est* "in Imperio Romano .... ubi et sacerdotia sancta sunt, et pudicitia, et virginitas, quae in barbaris gentibus non sunt, et si essent, tuta esse non possent".

Ex hoc S. Optati testimonio nitide ac disserte colligitur: 1.° Rempublicam non sumi pro societate civili in genere, qualis ea est natura sua, sed pro *Romano Imperio*, quale nempe tunc erat ob peculiares suas circunstantias atque a *societatibus barbaris* distinguebatur, quae tamen verae societates civiles sunt ratione naturae, etsi defectu culturae civiles non dicantur; 2.° *Ecclesiam esse in Imperio Romano*, juxta D. Optatum, eo sensu quo non erat in barbaris gentibus, prouti liquet ex postremis

(1) Lib. III de *Schismate Donatistarum*.

verbis textus allati (*quae in barbaris gentibus*, etc.); 3.° rationem hujus discriminis hanc esse, ut Christiana religio, seu facultas eam libere pleneque exercendi in Romano Imperio *tuta* esset, non autem in regnis barbaris (*et si essent, tuta esse non possent); 4.°* heic non agi de existentia Ecclesiae simpliciter, sed de tuta existentia; etenim negat Ecclesiam esse in gentibus barbaris, quòd quidem verum erat, si sermo esset de tuta existentia, non autem si de existentia simpliciter ageretur, cum constet apud barbaros jam longe ante Ecclesias exstitisse; 5.° S. Optatum ex tunc temporis plane rejecisse doctrinam Regalistarum de dependentia Ecclesiae a Statu; ideo enim negavit Ecclesiam esse apud gentes barbaras, quia ibi non erat tuta ac libera; sed in sententia Regalistarum Ecclesia nullibi est libera, cum sit dependens a Regibus, ergo neque tuta.

His praemonitis objectionem ex loco S. Optati sumptam ita in terminis solvimus: *Ecclesia est in Republica*, id est, in ipsa societate civili, quatenus talis est, *nego*; *in Imperio Romano* atque ex paritate rationis in quocumque statu eam protegente, *subdist.*: ratione libertatis et securitatis, *conc.*, ratione juridicae inferioritatis, ut cum Dupinio et Balduino Regalistis placet, *nego*: viceversa *Respublica non est in Ecclesia*, item *dist.*: respectu defensionis, hoc est, quatenus Imperium Romanum usque ad eam aetatem, in qua Optatus scribebat, Ecclesiae patrocinio non indigebat ad propulsandam suorum adversariorum vim, sed exercitibus propriis uti poterat, *conc.*; respectu subordinationis indirectae, quasi in rebus ad religionem spectantibus Ecclesiae non subesset, *nego*.

Object. 1.ª ex *ratione* deprompta. Praetermissa auctoritate S. Optati atque excluso quocumque sensu, in quo ab eo prolata fuerit, semper erit res comperta et indubitata Ecclesiam esse in Republica, non Rempublicam in Ecclesia: ergo Ecclesia Reipublicae, non Respublica Ecclesiae subjecta esse debet.

Resp. *Dist.* antecedens quoad primam partem: Ecclesia est in Republica formaliter, *nego,* tum quia finis utriusque Societatis diversus est, tum etiam quia finis Ecclesiae est supernaturalis, adeoque repugnat illum contineri in fine naturali: Ecclesia est in Republica materialiter, *subd.*; tamquam in societate praestantiori, *nego,* juridice inferiori, iterum *subd.*; si spectentur singuli fideles aut Ecclesiae particulares, *conc.*, si ipsa Ecclesia universalis inspiciatur, *nego*; quippe cum ea simul sit una et catholica, totum orbem terrarum ad instar unius corporis complectitur, neque in quolibet singulari statu vel regno contineri nequit.

Dist. pariter antecedens quoad secundam partem: Respublica non est in Ecclesia, ut societas homogenea, *conc.*; ut societas heterogenea subordinata rationi finis, *nego*, quandoquidem in Dei mente, qui utriusque societatis est conditor, prior est Ecclesia quam societas civilis, eo quòd in mente divina praestantiorem locum obtinet felicitas hominis aeterna, quam felicitas temporalis.

Negandum igitur consequens, quoniam praeposita hac distinctione liquido patet quam falsam esse conclusionem adversariorum, nempe, Ecclesiam Statui, non Statum Ecclesiae subesse debere.

Object. 2.ª Imperium, antequam Ecclesia constitueretur, justa libertatis possesione fruebatur; atqui injustum est quempiam a legitima suae libertatis possesione deturbari; ergo injustum est, adeoque propugnari nequit Ecclesiam a libertatis possesione Statum privasse, sibi illum subjiciendo.

Resp. *Nego*, maj., quae quidem hypothesi omnino rejicienda innititur; falso enim supponitur ante Christum Ecclesiam latiori sensu non fuisse. Ab initio namque mundi jam exstitit divina revelatio et supernaturalis religio, et quamvis ante Moysen, et etiam post ipsum apud gentes, societas religiosa forma juridica non

polleret, ac proinde non haberetur auctoritas religiosa proprie dicta, cui Status obtemperari deberet, tamen Ecclesia sensu latissimo accepta, et *primaeva* seu *patriarchalis* nuncupata, fuit semper et ab ipsis protoparentibus quoad *substantiam*, nimirum, quoad finem et quoad officia cum eo conjuncta, totaque fulcita erat in fide et meritis Christi.

Praesupposito atque stabilito hoc facto, tamquam veritate explorata omnibusque recepta, alioquin primitiva revelatio rejicienda et vera societas Deum colentium prorsus esset neganda, vel asserendum est curam finis supernaturalis atque regimen societatis religiosae ante Christum ad Statum civilem spectasse, vel fatendum est Statum ante Christum ea libertate atque juridica independentia, quam nobis objiciunt adversarii, minime esse potitum: jam vero primum asseri nequit, siquidem agitur de fine penitus diverso a fine imperii civilis, immo vero de fine supernaturali, unaque de societate in fide et meritis Christi fundata; alterum igitur admittendum erit, videlicet, Statum civile ante Christi adventum nunquam fuisse in ea possesione libertatis, de qua tantum blaterant recentiores Statolatri.

Quoad minorem, *dist.*; injustum est quempiam deturbari a possesione justa, quatenus et quousque talis sit, *conc.*: ablato jure possesionis per eum, cui auctoritas competat, *nego*. Age jam, semel admissa divina Ecclesiae institutione, constat ex Dei ordinatione eam auctoritate suprema gaudere pro cura finis supernaturalis et exclusivo societatis religiosae regimine; sed contra Dei voluntatem et jus divinitus collatum praevalere nequeunt jura hominum vel quaelibet possesio, utut legitima et antiquissima fingatur.

Object. 3.ª Theoria, quae jura naturalia Regum positive imminuit, rejicienda est velut Statui injuriosa et ipsi Ecclesiae perniciosa, siquidem homines arcet ab ingressu Ecclesiae; atqui doctrina de institutione socie-

tatis superioris atque dependentia Imperii ab ea, jura positiva Principum laedit, hominesque ab amplectenda religione amovet; ergo respui debet tamquam Statui injuriosa et Ecclesiae catholicae noxia.

Resp. Theoria juribus regiis detrahens repellenda est, *dist.* maj.: si jura naturalia Principum minueret naturaliter, *conc.*; supernaturaliter, *subdist.*; in damnum humanae societatis et finis principatus ipsius, *conc.*, in utilitatem, *nego*. False dicitur injuriosum vel invidiosum, quod quispiam levioribus nonnullis juribus privetur, si simul bonis longe maximis augeatur: et quidem bona quibus locupletantur Principes, cum in Ecclesiam cooptantur, adeo praestantiora sunt, ut nulla ratione comparari queant cum juribus secundariis, quae post Christi adventum Summi Imperantes quoad ordinem religiosum amiserunt, et quorum jacturam tantis querimoniis ingravant adversarii.

Atqui per Ecclesiae institutionem ejusque in Statum superioritatem positive imminuta sunt jura Regum, cum ex tunc eis regimen religionis naturalis minime competat, *dist.* min.: Ecclesiae institutione imminutum est jus Principum defensivum et substantiale, *nego*; ordinativum, *subdist.*; quod eis competat ut perfectio, ac proinde cum detrimento societatis et finis potestatis civilis, *nego*: quod eis competere possit ex imperfectione, jure nempe secundario, contigenti ac devolutivo, *transeat*.

In memoriam iterum revocare debemus per religionis revelatae institutionem Supremis societatis civilis Magistratibus demptum non fuisse officium religionem tuendi, sed potius confirmatum, hoc posito discrimine, ut post Christi adventum res religiosas judicio suo fallibili subjicere nequeant, sed judicium infallibile Ecclesiae sequi teneantur, ut tutius et efficacius curae negativae seu defensivae religionis intendant: si vero aliquod jus et officium in statu naturae habere potue-

runt Reges ad moderandum positive cultum, post Christi adventum amiserunt, cum nobilior potestas a Deo instituta sit, remanente tantummodo illis defensione armata, quae ipsis in proprio territorio competit.

Object. 4.ª Pars suo toti subordinari debet, tamquam majori, saltem indirecte; atqui Ecclesia, saltem distributive sumpta, est pars societatis civilis; igitur ipsi subesse necesse est.

Resp. *Dist.* maj.: suo toti subordinari debet pars formalis, *conc.*, materialis, *subdist.*; si totum sit excellentioris ordinis, *conc.*, inferioris, *nego*; formaliter esse in aliqua societate significat esse partem homogeneam ejusdem, id est, ratione finis proximi; materialiter esse in alia idem est ac esse in membris et territorio alterius.

Ecclesia autem, saltem distributim sumpta, est pars societatis civilis, *nego* min.: 1.° quia Ecclesia censeri nequit pars formalis Reipublicae, cum ejus finis sit diversus ac nobillissimus, utpote spiritualis et supernaturalis, sicut Respublica non est formaliter in Ecclesia, nimirum, ratione finis proximi, licet ratione finis ultimi in Ecclesia habeatur, eique sit subordinata; 2.° quia Ecclesia, cum de ejus natura ac juribus agitur, non potest distributive sumi et velut pars societatis civilis spectari, etenim tunc exsurgerent tot fere corpora, quot sunt regna vel status in quibus ipsa vivit, quod aperte repugnat constitutioni societatis christianae, quae equidem una est non modo unitate fidei et charitatis, verum etiam unitate finis atque regiminis sub communi omnium capite Romano Pontifice, adeoque una unitate corporis, ut enim apposite ait S. Cyprianus: *Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento faecunditatis extenditur* (1).

(1) *De Unitate Ecclesiae.*

Object. 1.ª ex *historia* sumpta. Ex Veteri Testamento constat apud Hebraeos Reges res religiosas ordinasse et ipsis Sacerdotibus praefuisse; igitur per analogiam idem praestandum videtur in Novo Foedere, ideoque Principes eadem potestate religiosa insignitos esse oportet.

Resp. *Transmitto* antecedens et *nego* consequens. Negatur consequens, quia argumentum analogiae ex Populo Hebraico depromptum fundamento prorsus caret, et omnino falsa apparet conclusio, quandoquidem magna differentia et manifesta disparitas adest inter Hebraeorum et Christianorum legislationem, religionem, Ecclesiam atque civilem rempublicam: quoad *legislationem*, apud Hebraeos divina erat legislatio tum civilis tum religiosa a Moyse tradita; quoad *religionem*, finis proximus religionis hebraicae non fuit simpliciter spiritualis, qualis in Ecclesia Christi est, sed etiam temporalis, scilicet, institutio cujusdam regni temporalis pro felicitate in hac vita adipiscenda; hinc promissiones observatoribus veteris legis a Deo factae temporalem felicitatem respiciebant; quoad *Ecclesiam*, synagoga judaica nationalis erat, minime vero catholica seu universalis sicut societas a Christo instituta; quoad civilem *rempublicam*, ea apud Hebraeos nullatenus pura erat, sed *theocratia* admixta, tum quia Deus providentia extraordinaria populum immediate regebat, sive per oraculum, cum interrogabatur a Summo Sacerdote, sive per Prophetas, quibus incumbebat munus publicum voluntatem divinam ostendendi atque abusus corrigendi; tum etiam quia potestas civilis semper fuit theocratica; licet enim voluntate populi, permittente tamen auctoritate divina, ad Reges delata fuerit, nihilominus ipsamet potestas in se spectata eadem fuit in Regibus, ac in Judicibus erat, adeoque theocratica esse minime destitit, hoc est, non tantum jure naturae ut apud omnes populos exercita, sed jure divino positivo tam epocha Judi-

cum, quam epocha Regum. Consulatur in corroborationem nostrae assertionis liber Paralip., ubi de Salomone dicitur: *Seditque Salomon super* "Solium Domini„ *in regem pro David patre suo* (1): legatur item testimonium Flavii Josephi asserentis (2) theocraticam reipublicae formam a Moyse institutam nunquam fuisse immutatam. Mirum igitur esse non debet Reges apud Hebraeos plura potuisse in re religiosa, quae ad jus naturae absolutum et necessarium attinere nequeunt; etenim haec praestabant ex jure positivo divino ob specialem indolem et quasi identificationem utriusque societatis religiosae et civilis.

Transmisimus vero antecedens, quia aliud est asserere Reges apud Hebraeos plurima auctoritate in ordine religioso aliquando instructos esse, vel propter ipsam naturam theocraticam regiminis popularis, vel tamquam prophetas, vel ex speciali Dei dispositione aut mandato, uti David et Salomon quoad erectionem templi et cultus ordinationem; aliud autem affirmare ipsos fuisse proprie superiores Summo Pontifice, ita ut hic Regibus subalternaretur, puta episcopi schismatici vel anglicani Autocratae Russiae aut Reginae Angliae, quod omnino denegandum, prout multiplici argumentorum genere ostenderunt praeclari theologi Suarezius (3) et Bellarminus (4).

Object. 2.ª Apud Ethnicos potestas religiosa suprema penes Principes erat, quibus sacerdotes subjiciebantur; sed ex facto universali licet colligere jus naturae; ergo *analogice* argumentando juri naturali consonum videtur Principibus saecularibus inesse potestatem supremam etiam in religione revelata.

---

(1) Cap. XXIX, v. 23.
(2) Lib. 2. *contra Apionem.*
(3) *In defensione fidei*, libro 3., cap. 25.
(4) *In Controversiis*, lib. 2 *de Rom. Pontifi.* cap. 19.

Resp. *Transmitto* majorem, *nego* minorem et *nego* pariter consequens et consequentiam.

1.° *Negamus* consequens et consequentiam, quia nulla exstat analogia, sed e contra multiplex ratio disparitatis inter religionem Gentilium et Christianam religionem: [a]) Paganorum superstitio eorumque sacrilega sacerdotia cum Ecclesia Christi comparari nequeunt absque magna injuria; licet enim non aequiparentur ipsae Religiones, sed tantum a sensu Ethnicorum arguatur, cuique patet valde injuriosum esse jura Ecclesiae determinare juxta sensum religiosum Paganorum, qui in hac re ita caecutierunt, ut etiam Divinitatem materialem facerent; [b]) religio pagana tota naturalis fuit, nos vero agimus de religione supernaturali ab Ecclesia tradita atque proposita; [c]) religione Gentilium usque ad superstitionem atque idololatriam penitus vitiata, sensus religiosus apud illos omnino depravatus est; supposita autem hac depravatione, caute et quadam cum excusatione Imperantes res religiosas sibi vindicarunt, ne sacerdotes contra eos religione abuterentur; [d]) religio apud Paganos spectabatur tantum velut fundamentum praesentis vitae, et non futurae, ideoque Reges juste poterant sibi supremam auctoritatem arrogare in ordinanda religione, ut scite docet S. Thomas: *Sacerdotium Gentilium et totus Divinorum cultus erat propter temporalia bona, quae ordinantur ad multitudinis bonum commune temporale, cujus Regi cura incumbit; unde convenienter Gentilium Sacerdotes Regibus subdebantur* (1).

2.° *Negamus* minorem, nempe, ex facto Paganorum inferri jus naturae neque quoad ipsam religionem mere naturalem; factum enim universale non statim arguit sensum naturae, neque jus in re juridica; potest equidem probare tendentiam universalem a natura profluen-

(1) *De Regim. Princ.* p. 1, c. 16.

tem; natura autem habet partem rationalem et infirmam seu corruptam, ideoque inquirendum est utrum factum controversum a rationalitate vel ab infirmitate procedat. Nunc vero compertum est quantam ex alia parte semper exstitisse cupiditatem dominandi in hominibus potentibus, praesertim cum Imperium obtinerent; ex alia vero maximam esse religionis efficaciam in rebus humanis; hinc studium atque conatus Imperantium sibi tribuendi primatum in negotiis religionis moderandis, ita ut aegrius ferrent quod Episcopi Romae titulum Pontificis ostenderent, quam quod tyranni in provinciis imperium usurparent, uti ajebat saeculo III S. Martyr Cyprianus: *Cum Tyrannus multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se aemulum Principem, quam constitui Romae Dei Sacerdotem* (1).

3.° Tandem, majorem *transmisimus*, hoc est, apud Ethnicos potestatem religiosam supremam penes Principes semper fuisse; etenim ex historia constat, uti loquentes de officiis et juribus Regum erga religionem naturalem demonstravimus, non adeo certum et indubitatum esse Summos Imperantes aetate antiqua constanter potitos fuisse rebus religiosis et sacerdotalem potestatem exercuisse; nam aliquando, sub regimine populari praecipue, Summi Sacerdotes a Magistratibus Supremis distincti erant, atque ab ipsis independentes; alibi consuebant Reges adscribi collegio sacerdotali, ut omnia ad se traherent dominando in sacerdotes, ea persuasione ducti, ut solo civili principatu absque Pontificatu sacerdotii munia obire neutiquam possent, quod certe originem divinam, excellentiam et suprematiam potestatis religiosae contra ipsos adversarios evincit.

Object. 3.ª Non solum Imperatores Pagani, verum etiam ipsi Principes Christiani sese in rebus religiosis

(1) Epist. 55.

immiscentes quamplurima constituerunt de negotiis ad Ecclesiam pertinentibus sic, ut nonnulla facta prae aliis recenseantur, notum ac pervulgatum est Constantinum Magnum seipsum nominasse ***episcopum externum*** his fere verbis usum, juxta Eusebium ejus biographum: "Vos quidem in iis qui intra Ecclesiam sunt episcopi estis; ego vero in iis quae extra geruntur episcopus sum a Deo constitutus" (1); exploratum etiam est Justinianum ita pro suo lubitu res ecclesiasticas ordinasse, ut episcopus deposuerit et instituerit, Ecclesia consentiente vel saltem non reclamante; item constat, si scriptoribus catholicis standum sit, Imperatores et Reges potestatem quamdam ***primatus*** vel ***superintendentiae*** exercuisse quoad ecclesiastica negotia, leges disciplinares, ritus sacros, aliaque innumera cum religione connexa. Jam vero ejusmodi facta majoritatem Ecclesiae prae societate civili non arguunt, sed potius suprematiam Status ejusque Moderatorum supra Ecclesiam ostendunt. Ergo non Summi Imperantes Ecclesiae, sed Ecclesia Summis Imperantibus subesse debet.

Resp. *Disting.* maj.: Principes Christiani de rebus ecclesiasticis aliquando cognoverunt et judicarunt ex consensu et auctoritate Ecclesiae, *conc.*, auctoritate propria, *subdist.*; juste, *nego*, injuste vel per injuriam, *conc.* Scimus enim plurima, quae a Romanis Imperatoribus in ordine religioso facta, decreta vel sancita apparent, ea vel suasu et impulsu Summorum Pontificum constituta fuerunt, ut cum mandatum ab ipsis impetrabant convocandi concilia, vel cum jampridem sacris canonibus essent praescripta, imperialis auctoritatis vi in ipsiusmet Ecclesiae utilitatem ac defensionem munita sunt. Fatemur equidem Principes in negotiis religiosis indebite aliquando sese ingesserunt, sed hoc per summum ne-

---

(1) *De Vita Constantini*, lib IV.

fas atque magna cum injuria gesserunt, Ecclesia sua jura vindicante et contra regiam usurpationem strenue et indesinenter reclamante.

Quoad 1.m factum, Constantinus sese dixit *episcopum externum, dist.:* in ordine ad defensionem externam Ecclesiae, *conc.*, in ordine ad potestatem in Ecclesiam exercendam, *nego*. Sensum hujus celebratissimi effati, a Constantino inter epulas per jocum prolati, aulici scriptores pervertere conati sunt; sed nihil aliud significare voluit piissimus Imperator, ut ex textu graeco Eusebii Caesareensis eruitur, quam ipse ceu Ecclesiae defensor ea omnia exsequenda curaret, quae episcopi ad Ecclesiae bonum constituissent, hoc est, quod ipse esset quoad externam et politicam auctoritatem idipsum quod forent episcopi in Ecclesiae regimine.

Ad 2.m factum quod attinet, *dist.:* Justinianus ita se gessit episcopos arianos deponendo et catholicos loco eorum subrogando, nimio catholicae fidei zelo ab Ecclesia sive ex prudentia sive quadam etiam gratitudine tolerato, *conc.*, jure proprio, *nego*. Meminisse oportet pro agendi ratione Imperatoris Justiniani agnoscenda et temperamento Ecclesiae plane vindicando Justinianum, postquam Imperium adeptus est, sedes pratriarchales aliasque multas episcopales ab haereticis arianis occupatas invenisse; zelo autem catholicae fidei succensus, episcopos haereticos ejecit et catholicos ubique constituit; hinc, cum causam religionis tuitus esset et quodam praesumpto Ecclesiae mandato egisset in adjunctis adeo dificillimis, Ecclesia in testimonium animi grati hanc imperialem intrusionem ex bona fide et religioso sensu ortam ultro dissimulavit.

Quod vero ad 3.m factum spectat, juxta scriptores catholicos Imperatores et Reges quadam *praeeminentiae* vel *superintendentiae* potestate potiti sunt circa res ecclesiasticas, *dist.:* talem potestatem exercuerunt Principes ex jure sibi proprio, testibus scriptoribus sincere

catholicis, *nego;* testibus aulicis et regalistis scriptoribus, qui jura Ecclesiae inficiantur vel impetunt, et vix aut ne vix quidem catholici nomen retinent, *conc.* Qui enim veri catholici audiunt, corde credunt et ore profitentur Ecclesiam suprema auctoritate pollere Christi fideles, etiamsi imperatores vel reges sint, regendi, leges condendi populos et nationes quoque cogentes, et negotia religiosa independenter a Statu civili moderandi; qui autem hanc potestatem Ecclesiae eripiunt, eamque in Principes saeculi transferunt, fidei dogmati de auctoritate divinitus Ecclesiae tradita refragantur, et catholici minime vocandi sunt.

Propositionem minorem iterum *dist.:* facta adducta majoritati Ecclesiae adversantur et superioritatem Status probant, exposita et interpretata false et juxta sensum et mentem neotericorum Ecclesiae hostium, *conc.*, recte explicata juxta sanam criticem et catholicam doctrinam, *nego.* Et *nego* consequens et consequentiam, quia ex praemissis contradistinctis et in sensu falso atque rejecto usurpatis deducta sunt.

Object. ex *legislatione* petita. Collectiones juridicae apud omnes populos editae leges ad res ecclesiasticas spectantes continent, necnon ea quae in conciliis prius decreta fuerant, confirmant, ipsis episcopis non solum approbantibus, verum etiam passim exposcentibus, uti facile videre est, Codices Theodosii et Justiniani in Romano Imperio, Capitularia Caroli Magni in Gallia, Codicem *Partitarum* in Hispania, atque statuta quae inter Longobardos, Gothos aliasque plurimas gentes viguerunt, consulendo; igitur magistratus saeculares et legislatores politici quocumque tempore et penes cunctas nationes sese existimarunt independentia praeditos quoad religiosa negotia, immo vero auctoritate principali et superiori instructos erga ipsam Ecclesiam.

Resp. *Dist.* antecedens: praelaudati Codices et quaecumque Collectiones quae in medium proferri pos-

sent, leges ad res ecclesiasticas attinentes complexi sunt, ita tamen ut ejusmodi leges omnem vim obligandi a canonicis sanctionibus derivaverint, *conc.*, per seipsas, hoc est, seorsim a sacris canonibus efficaciam et robur habuerint, *nego*, quod manifestum fiet praecipuas Collectiones singillatim et brevissime perpendendo.

1.° Constitutiones imperiales circa res ecclesiasticas versantes et in Codicibus Theodosiano et Justinianeo relatae eatenus vim obtinuerunt, quatenus sacris canonibus consentiebant, uti earumdem origo, confirmatio vel retractatio plane demonstrant: a) saepissime ejusmodi leges de causis ecclesiasticis agentes vel e canonibus vel e moribus in Ecclesia receptis haustae sunt, testante ipsomet Justiniano, qui, pluribus in locis praesertim in *Novellis* 6, 83 et 123 aperte fassus est; en quomodo loquitur in *Nov.* 83: "Si vero ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione ecclesiastica et mulcta, Deo amabilis episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciae judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles judices secundum sacras et divinas regulas, *quas etiam nostrae sequi non dedignantur leges*". b) Novae leges ab imperatoribus de ecclesiastica disciplina latae nulla vi gaudebant, nisi postquam accedebat Ecclesiae acceptatio atque approbatio, juxta explicitam imperialem declarationem; etenim eidem Justiniano ita reverenter ad Joannem Papam scribenti: "Reddentes honorem apostolicae sedi et Vestrae Sanctitati (quod semper nobis in voto fuit et est) et ut decet patrem, honorantes Vestram Beatitudinem, omnia quae ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre Vestrae Sanctitatis... quae caput est omnium sanctarum Ecclesiarum" (1), sic respondit Romanus Pontifex: "Quod quia apostolicae doctrinae convenit; *nostra auctoritate confirma-*

(1) Lib. I. Cod. tit. I.

mus„ (1). [c]) Ipsimet imperatores, maxime vero Theodosius, cum viderent nonnullas leges sacris canonibus refragari et clericali dignitati injuriosas esse, eas immutare, retractare et corrigere non dubitarunt.

2.° Leges ecclesiasticae, quae in Capitularibus Regum Francorum reperiuntur et sub Caroli Magni nomine .circumferuntur, Regalistarum placito minime suffragantur: [a]) quia non potestate laica sed Episcoporum auctoritate conditae fuerunt juxta ejusdem Caroli M. testimonium sic loquentis: "Aliqua capitula quae magis vobis (episcopis) necessaria videbantur subjunximus", et postea de quibusdam disciplinae legibus haec habentis: "Ista vero omnia quae vires nostras excedunt in judicio episcoporum juxta canonicam sanctionem definienda reliquimus"; [b]) quia, consentiente ipso Natali Alexandro (2), auctoritatem leges mere ecclesiasticas ferendi non sibi arrogavit Rex maximus, sed earum exsecutionem imperavit; [c]) quia apud Francos, ut tradunt illius aetatis historici, Episcopi separatim ecclesiastica negotia constituebant, deinceps convocatis Comitiis, Rex ac Proceres ea quae ab Episcopis statuta erant, sua sanctione muniebant, ut in Capitularia inserta firmitatem civilem assequerentur; ita narrat celeberrimus Hincmarus Rhemensis saeculi IX scriptor: "Cum separati a caeteris essent (optimates sive laici sive ecclesiastici) in eorum manebat potestate, quando simul vel quando separatim assiderent, prout eos tractandae causae qualitas docebat, sive de spiritualibus sive de saecularibus, seu etiam commixtis„ (3); [d]) quia, si aliquando piissimus Imperator nimio zelo et recta voluntate pro tuenda Religione Catholica ductus suam auctoritatem hac in re ultra justos limites exercuit, facta seu abusus nec

---

(1) *Ibid.*
(2) *Hist. Eccles.* saec. VIII, cap. 7, art. 8, *De Carolo Magno.*
(3) Epist. 14, *alias* 13 *ad Proceres regni.*

constituunt nec evincunt jus, quod quidem ipsi Episcopi agnoverunt, nam in Concilio VI Parisiensi, anno 829 sub Ludovico Pio Caroli Magni Filio habito, hanc extralimitationem corrigendam curarunt, legitimam Principum in rebus ecclesiasticis interventionem finientes et pro sua sententia notissimam S. Isidori Hispalensis regulam afferentes: *Intra Ecclesiam potestates* (civiles) *non essent necessariae, nisi ut quod non praevalet sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc impleat per disciplinae terrorem* (1).

3.° Leges demum *Partitarum*, quae in sapientissimo Codice Alphonso X tributo habentur, cum saepenumero *de Sacramentis, Decimis,* aliisque rebus sacris disserunt, nec jus Principum pro moderandis religionis negotiis ostendunt, nec legitimam Magistratuum saecularium participationem in regimine ecclesiastico patefaciunt, neque praeeminentiam Status supra Ecclesiam in quaestionibus disciplinaribus arguunt; tantum enim nobis detegunt tres magnas et praestantissimas veritates, hodie fere oblitas, vel, quod magis dolendum est, pleneconculcatas, et utinam Reges recentiores et praesentes societatis civilis Moderatores in memoriam eas revocarent, debito honore prosequerentur et practice colerent!

Celeberrimus et nunquam satis laudatus Codex Hispanicus *Partitarum*, eo ipso quod plura capita complectatur de rebus sacris, sanctis ac religiosis Principibus et populo christiano hac nefasta glacialis indifferentiae vel funestae emancipationis aetate tria facta luculentissima scitu et meditatione utique digna solemniter proclamat: a) *concordiam* Sacerdotium inter et Imperium, quae tunc temporis mirifice enituit, cum utraque potestas ecclesiatica et civilis mediis propriis et diversis adhibitis in eumdem finem conspiraret; illa sanctifi-

(1) Lib. *Sentent.* cap. 4.

cationem animarum sacratissimis praeceptis et salutaribus monitis promovendo, ut ita prosperitas socialis et vera felicitas subditorum obtineretur, haec suas vires et positivum auxilium Ecclesiae praebendo ad pacem publicam sub religionis tegumento tutandam et bonum temporale civium augendum; b) *recognitionem* explicitam et formalem sacrae obligationis et gravissimi officii, quod summis imperantibus incumbit Ecclesiam tuendi atque religionem protegendi legibus, institutionibus, caeterisque actibus publicis, ut suprema ejus jura a populo revereantur, ac suae sanctissimae leges ab omnibus observentur; c) *exercitium* potestatis coercitivae congruis poenis puniendo cunctos illos, qui praecepta divina transgredi vel canones ecclesiasticos contemnere magno cum scandalo et aeternae salutis jactura ausi fuerint.

Object. 1.ª ex *conciliis* sumpta. Plurima Concilia tum particularia, tum generalia ad Imperatores sua acta miserunt, ut plenam confirmationem obtinerent; ergo ejusmodi Concilia eorumque Patres principatus civilis suprematiam in rebus religiosis agnoverunt.

Resp. *Dist.* antecedens: Multa Concilia propria acta ad Reges vel Imperatores transmiserunt, ut Principes munus defensionis adimplentes sua sanctione canones custodiendos et exsequendos curarent, *conc.*; Concilia acta remiserunt, ut Principes decretis et gestis conciliaribus ecclesiasticam firmitatem et robur intrinsecum tribuerent, *nego.*

Satis exploratum et usque millies repetitum confirmationem imperialem aut regiam dispositionibus conciliorum nullam vim contulisse cogendi fideles, quasi leges conciliares propria efficacia et vigore canonico destituerentur ad omnes Christi fideles obstringendos, sed tantum pro scopo habuisse custodiam et canonum executionem urgere transgressores puniendo, " ut plebs, juxta Codicem Capitularium, quae Sacerdotis praece-

pta non ita ut oportet, custodit, nostro etiam corrigatur imperio„ (1). Hac quidem de causa Concilia et Episcopi ab Imperatoribus aliquando postularunt, ut sua auctoritate non tantum canones disciplinares confirmarent, sed etiam decreta dogmatica solemnibus edictis tuerentur ad haereticorum compescendam audaciam.

Object. 2.ª Concilia, necnon Romani Pontifices summis imperantibus epitheta et titulos adeo explicitos conferunt, ut proculdubio jurisdictionem spiritualem et sacram auctoritatem importent; Imperatores enim et Reges *Sacerdotes, Pontifices, Ecclesiae Rectores* vel aliis denominationibus nuncupant; igitur, juxta ipsa Conciliaria vel Pontificia testimonia, Principes saeculares eamdem potestatem in rebus religiosis habent ac Episcopi, ideoque prorsus corruit primatus Ecclesiae prae societate civili, atque omnino evertitur competentia propria et exclusiva sacrorum Magistratuum pro negotiis ecclesiasticis judicandis ac dirimendis.

Resp. *Dist.* antecedens: Ecclesiastica Concilia Summique Pontifices Imperatores vel Reges *Sacerdotes, Pontifices, Rectores,* etc. vocant *improprie,* hoc est, tamquam Ecclesiae defensores, propter officium protectionis, quod a Deo equidem susceperunt secundum S. Isidori effatum, *conc.; proprie,* id est, veluti propria auctoritate et jure insito praeditos res sacras administrandi vel negotia religionis moderandi, *nego.*

Enimvero non inficiamur concilium Chalcedonense imperatorem Marcianum Sacerdotem et regem appellasse (2); fatemur quoque Gregorium II Leonem Isauricum hortatum fuisse, ut tamquam *Rex* et *Pontifex* sese gereret (3); scimus etiam concilium Moguntinum anno 813 habitum Carolum Magnum nominasse *Rectorem Ec-*

---

(1) Tom. I *Capitul.* pag. 6. *in Capitul.* Childeberti regis.
(2) Tom. II *Act. Concil.* Harduin. col. 490.
(3) Apud eumd. Harduin. tom. IV, col. 18.

clesiae, Rectorem verae religionis (1): sed ejusmodi denominationibus neoterici plane abutuntur, siquidem eo tantum sensu dicendi sunt Principes *sacerdotes,* quo fideles vocantur *reges;* nunc vero, fideles, eo quòd in Sacris Litteris scriptum sit: *Fecit nos regnum,* nonnisi improprie nuncupantur *reges,* ita etiam Reges, eo quòd Scriptura dicat: *regale sacerdotium,* acceptione tantum impropria *sacerdotes* appellari possunt.

Object. 3.ª Reges atque etiam Optimates interventionem et quidem principalissimam in Conciliis habuerunt, praesertim vero in celebratissimis Hispanicis Conciliis; etenim monumenta historica authentica et fidedigna ejusmodi regium interventum apertissime testantur, uti colligere fas est ex *assistentia, subscriptione, dispositionibus* et *absolutione* censurarum, quae omnia peracta esse videmus a nostris Monarchis in memoratis ecclesiasticis coetibus. Igitur Episcoporum assensus et Conciliorum approbatio actibus Principum praestita plane ostendunt hanc participationem non fuisse injuriosam vel injustam, hoc est, usurpationem aut intrusionem proprie dictam, sed exercitium juris proprii Coronae vinculati, ideoque Ecclesiam nec independentia, nec suprematia gaudere in iis quae ad religionem et finem supernaturalem respiciunt.

Resp. *Dist.* antecedens: Principes et Proceres in Conciliis aliquoties interventionem habuerunt, cum de rebus mere spiritualibus et ecclesiasticis, id est, ad religionem vel Ecclesiam tantum spectantibus ageretur, *nego*; cum de rebus temporalibus et civilibus, nempe, ad tranquillitatem publicam societatis et constitutionem politicam Status concernentibus, dissereretur, *conc.*

Ad probationes autem ex Conciliis Hispanicis, Toletanis maxime desumptas, quibus adsunt, subscribunt,

(1) Hartzeim. — *Concil. German.* tom. I, pag. 405.

decernunt et adhuc ab excommunicatione absolvunt Reges Hispaniae sub dominatione Gothorum, sic per partes respondemus.

Quoad *assistentiam*, si quaestio est de Conciliis Toletanis, quae ex nostra sententia minime habenda sunt tamquam Comitia nec Regia Concilia, sed veluti Coetus vere Ecclesiastici (1), apud omnes compertum est tantum Episcopos concurrere posse, cum de causis religionis et rebus ecclesiasticis pertractandum erat, eisque solummodo inesse jus his super negotiis cognoscendi, discutiendi atque decidendi; hinc a Romano Pontifice per Vicarios Apostolicos praesidebantur, uti Toletana III et IV sub SS. Leandri et Isidori praesidentia celebrata; hinc quibuscumque laicis, etiam Magnatibus ipsisque Regibus adsistere vetabatur, quando hujusmodi causae spirituales solvendae essent; ita contigit in Conciliis VI ac X, ubi agendae erant causae Marciani Astigitani et Potamii Bracharensis; hinc demum in Toletano XVII, can. I statutum est: *Tribus primis hujus concilii diebus, jejunio percurrente, de mysterio Sanctissimae Trinitatis, et de aliis fidei dogmatibus confitendis, de moribus sacerdotum corrigendis, vel causis expediendis,* NEMINE SAECULARIUM ASSISTENTE, *solummodo agendum, constituerunt Patres, ac semper deinceps observandum...*

Verum est equidem Reges, rebus ecclesiasticis semel definitis, pro negotiis temporalibus cum Monarchia et politica Regni constitutione conjunctis decernendis Conciliis adfuisse, necnon Episcopos tamquam egregios Consiliarios reverenter audisse, qui tunc, concurrentibus simul Optimatibus ad Regem publico honore prosequendum, majorem Coetui splendorem tribuendum et vim extrinsecam decretis reddendam, uti ipse D. Joaquim Franciscus Pacheco, licet haud paucis praejudiciis

(1) Vid. nostram *Introductionem in Jus Ecclesiasticum*, cap. II, art. XII, num. 178.

ductus, fatetur, de rebus civilibus judicabant in bonum reipublicae, pacis socialis tutelam, firmioremque Status constitutionem.

Ad *subscriptionem* quod respicit, Principes sua auctoritate decreta conciliaria signabant, non ut legibus ecclesiasticis valorem conferrent, sed ut canones de se jam obligatorii ceu *nomocanones* haberentur, hoc est, simul essent et ab omnibus reciperentur tamquam leges ecclesiasticae et civiles, vi coactiva et vigore juridico apud quoslibet nationis judices, administros et curiales instructae.

Quod ad *dispositiones* vel statuta Principum circa res ecclesiasticas attinet, et quae haud raro in actis conciliaribus inveniuntur, si quando ejusmodi providentiae aut regiae ordinationes excessive vel indebite editae sint, certo damnationem merentur et nihil probant; at vero frequentius reprehendi nequeunt,ut pote aequitate, necessitate vel prudentia suffultae, atque in defensionem fidei et Ecclesiae bonum latae; ita Reccaredus Patribus Synodi Toletanae III proposuit ut in Sacrosancta Missa recitaretur *Credo*, praxim absque ullo dubio summopere utilem propter recentissimam haeresis arianae abjurationem in hoc Concilio peractam, et valde consonam usui in Ecclesia Occidentali passim recepto.

Denique vix refutatione indiget difficultas adversariorum ex agendi ratione Regum Hispaniae in ordine ad *excommunicationem* petita. Ajunt enim nostra Concilia Principibus saecularibus detulisse facultatem excommunicationes fulminandi, eo ipso quòd in illis jus agnoverunt irretitos hac censura absolvendi.

Sed utraque assertio falsa est, siquidem facta historica obscurat atque deturpat; vera factorum narratio ita se habet: posteaquam rei ob patratum crimen laesae majestatis in poenam excommunicationis incidissent, si deinceps Principes cum hisce excommunicatis conve-

scerentur, pronum erat, inferre delictum illos istis condonasse; hinc nostra Concilia declarant Ecclesiam etiam hos delinquentes in suo sinu amplecti; enimvero aequum videbatur Ecclesiam, crimine regia magnanimitate semel ignoto, suum rigorem lenire remittendo quoque poenam propter ejusmodi delictum inflictam; sed notandum est, relaxationem poenae semper ab ipsa Ecclesia fieri debere, ut delinquentes in Regem a vinculo censurae solverentur.

ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

42. Quaenam sint potissima corollaria logice deducta ex suprematia Ecclesiae et subordinatione indirecta societatis civilis — 43. Primum corollarium circa praelationem boni spiritualis in conflictu cum temporali.—44. Secundum corollarium de officio Status deserviendi Ecclesiae etiam suppeditando media temporalia.—45. Tertium corollarium super independentia ac superioritate Ecclesiae in necessitate servandi leges civiles.—46. Quartum corollarium de competentia Ecclesiae ad ferendum judicium authenticum in casu conflictus vel dubii.

42. Ex superioritate Ecclesiae et indirecta societatis civilis subordinatione omni argumentorum genere praecedenti articulo propugnatis quinque magni momenti corollaria legitime eruuntur, quae recenseri necessarium ducimus, priusquam fuse exponantur.

Primum: *Praeferendum est bonum spirituale in conflictu cum temporali, quodcumque etiam damnum subeundo.*

Secundum: *Status habet officium Ecclesiae deserviendi in necessariis, ac proinde eidem suppeditandi media etiam temporalia.*

Tertium: *Observantia legum civilium ex parte Ecclesiae minime laedere potest ipsius independentiam ac superioritatem.*

Quartum: *Ecclesiae competit potestas juridica dirimendi controversias cum Statu exortas in casu* "conflictus" *inter bonum spirituale et temporale vel* "dubii" *circa necessitatem rerum temporalium.*

Quintum: *Jura et officia summorum imperantium in re religiosa definienda sunt ex necessitate finem ultimum assequendi, sive per religionem naturalem ante Christi adventum, sive per religionem revelatam post Ecclesiae institutionem.*

De quatuor primis consectariis in praesenti articulo agemus; de quinto propter maximam ejus praestantiam sequentibus articulis sermonem specialem instituemus.

43. Primum corollarium *circa praelationem boni vel finis spiritualis in conflictu cum temporali* probatur ex ratione, Sacra Scriptura atque historia.

Ratione: Praeponendus est, juxta jus naturale rectum rerum ordinem praescribens, finis absolute necessarius; atqui finis spiritualis obtineri et appeti debet necessarie et absolute, bonum autem temporale est tantum contingenter et subordinate assequibile et appetibile; ergo in conflictu boni vel finis spiritualis cum temporali, illum praeferri, hunc vero posthaberi recta ratio suadet.

S. Scriptura: Quamplurimis in locis Divinae Litterae nobis aperte tradunt atque impense inculcant finem spiritualem prosequendum bonumque spirituale curandum, non solum bono temporali postposito, sed etiam tolerato damno positivo, quod ex hac praelatione sequeretur. Cum in hac doctrina proponenda omnes Evangelistae consentiant, satis sit proferre ineluctabilia ipsiusmet Christi testimonia quae apud S. Matthaeum habentur: *Si oculus tuus dexter*, ait Salvator noster, *scandalizat te, erue eum et projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Et si dextera manus tua scan-*

dalizat te, abscinde eam et projice abs te (1). *Qui amat,* prosequitur Redemptor mundi, *patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam suam super me, non est me dignus* (2). Denique in eodem Evangelio legitur illa mirabilis et toties laudata sententia: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae verò suae detrimentum patiatur?* (3).

Historia: Antequam facta ex historia sumpta in hujus praestantissimi scholii confirmationem afferamus, duo praemittere debemus ad pleniorem nostri argumenti illustrationem: 1.° notandum est Historiam Ecclesiasticam proprie et vere censendam esse veluti narrationem fidedignam atque authenticum testimonium omnium conflictuum vel collisionum, quae inter finem spiritualem et temporalem, ac inter utramque potestatem ecclesiasticam et civilem bonum spirituale vel temporale respective curantem, a Christo ad nos usque obortae sunt; 2.° animadvertendum etiam est, quod in omni conflictu tria distinguere oportere: *antagonismum* vel oppositionem inter bonum spirituale anteponendum et bonum temporale posthabendum, etiam cum damno positivo, materiali aut morali; *opportunismum* vel systema transactionis a conciliatoribus omni tempore usurpatum; *auctoritarismum sacrum,* si ita loqui fas est, seu sanctam Ecclesiae intransigentiam finem spiritualem et bona altioris ordinis semper praeponentis, etiam cum bonorum temporalium jactura et cujuslibet malorum generis perpessione.

His praehabitis, recensebimus prius celebratissimum conflictum inter Synedrium Judaicum et Apostolos ortum ab ipso religionis christianae exordio, cujus meminere Acta Apostolorum; dein vero, brevitati consulen-

---

(1) Matth. V, 29 et 30.
(2) Eod. loc. X, 37.
(3) Ibid. XVI, 26.

tes, tres praecipuos conflictus in qualibet Ecclesiae aetate insinuare contenti erimus.

Aetate Apostolica: Apostoli capti, in Synedrium Judaeorum adducti et a senioribus populi haebraici hisce verbis objurgati sunt, eo quòd nomen Jesu praedicarent: ***Praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus et Apostoli dixerunt: Oportet obedire Deo magis quam hominibus*** (1). Ex hoc testimonio plane colligitur in primo conflictu Apostolico tria concurrisse quae postea in propagatione Ecclesiae obvenienda atque iterum renovanda erant in omni collisione religioso-temporali: 1.° *antagonismum* exstitisse, hoc est, ex alia parte bonum temporale ac publicam tranquillitatem "***vultis inducere super nos sanguinem hominis istius***", ex alia vero bonum spirituale, cujusmodi fuit praedicatio nominis Jesu Christi et constitutio Ecclesiae "***ecce replestis Jerusalem doctrina vestra***"; 2.° *opportunismum* etiam fuisse per sacerdotes et seniores, qui erant magistratus nationis judaicae, repraesentatum "***Praecipiendo praecepimus vobis ne doceretis in nomine isto***"; 3.° ***auctoritarismum sacrum,*** quia in hoc primaevo conflictu Spiritus Sanctus per Apostolos aperte edixit posthabendam esse tranquillitatem publicam, magisque Deo obediendum esse quam hominibus "***Oportet obedire Deo magis quam hominibus.***"

Aetate antiqua: Conflictus ***persequutionis, haeresis*** et *schismatis*; in conflictu ***persequutionis, finis*** vel bonum spirituale praeponendum publica professio fidei erat—*opportunistae* fuerunt *lapsi* cujuscumque generis, nempe, *Sacrificati, Thurificati, Libellatici* et ***Traditores*** appellati (2)—Ecclesia hac luctuosissima epocha heroice tulit et

(1) Act. V. 28 et 29.

(2) Vid. P. Annatum—*Apparatus ad Positivam Theologiam Methodicus*, Lib. tert., art. VII.

strenue restitit; in conflictu *haeresis*, *finis* vel bonum spirituale fuit integritas fidei—*opportunistae* tot exstitere quot haeretici, maxime vero Ariani eorumque fautores, sive Praesules, sive Principes—Ecclesia dogmata solemniter definivit, errores contra fidem damnavit, atque veritatis catholicae hostes poenis ac censuris profligavit; in conflictu *schismatis*, *finis* vel bonum spirituale in unitate regiminis et communionis situm est *opportunistae* habentur Imperatores Byzantini, Episcopi Graeci, praesertim autem Patriarchae Constantinopolitani—Ecclesia suprema sua auctoritate reprehendit, anathematizat et deponit.

Aetate media: Conflictus *investitutarum* sub Imperatoribus Germanicis, conflictus *Consuetudinum Anglicanarum* sub Henryco II, et conflictus *usurpationum* sub Philippo IV, rege Galliae cognomento *Pulchro*; in conflictu *investitutarum*, *finis* spiritualis positus est in ipsa dignitate, sanctitate atque spiritualitate rerum ecclesiasticarum—*opportunistae* tunc temporis vere teterrimi fuerunt ingens multitudo episcoporum, abbatum et Principum —Ecclesia mucrone anathematis Imperatores perculit, Romanique Pontifices nonnullos Principes etiam imperiali dignitate insignitos poena depositionis mulctavit; in conflictu *Consuetudinum Angliae*, *finis* seu bonum spirituale putatum fuit libertas et immunitas ecclesiastica —*opportunistae* censeri debent omnes illi aulici et episcopi qui Henryco II adblandiebantur, et adversus S. Martyrem Thomam Cantuariensem illius odium accendebant—Ecclesia per Alexandrum III impio Regi sese opposuit et libertates anglicanas rejecit ac condemnavit; in conflictu *usurpationum*, *finis* vel bonum spirituale equidem praeferendum bono temporali benevolentiae aut amicitiae regis Francorum, etiamque absolute obtinendum, non obstante regia cupiditate, imminenti persequutione et malis ingruentibus, res maximi momenti erat, vide-

licet, sartam atque incolumen servare superioritatem vel majoritatem Societatis ecclesiasticae prae Statu, tam acriter in illis dissentionibus oppugnatam—*opportunistae* non defuerunt tum inter consiliarios Philippi *Pulchri*, tum inter ipsos episcopos—Ecclesia autem per Bonifacium VIII hujus potentissimi Principis ambitionem atque superbiam protrivit, tribus celeberrimis editis Bullis «*Clericis laicos*», «*Ausculta fili*» et «*Unam Sanctam*».

Aetate nova: tres quoque conflictus spectari et perpendi possunt, omnibus notissimi, quibus tamquam fonti uberrimo et causae principaliori tribuendae sunt perturbationes et insectationes, pressurae atque animadversiones, paucis verbis, tota illa ingens colluvies malorum ac aerumnarum, quae novissimis temporibus passa est Ecclesia Catholica, loquimur enim de triplici et pernicioso conflictu *Protestantismi*, *Regalismi* et *Liberalismi*; in conflictu *Protestantismi*, *bonum* seu finis spiritualis, quibuscumque damnis vel incommodis posthabitis, omnino persequendus, certe fuit defensio fidei, integritas morum et suprematia Pontificia—*opportunistae* haberi merentur Carolus V suo famoso *Interim* (nobis displicet hoc nomen proferre, sed in rebus historicis veritatem fateri cogimur), plurimi Principes Germanici in rebellionem Lutheri addicti, Justinus Febronius suo exitiali systemate eo scopo excogitato, ut Protestantes Ecclesiae Catholicae reconcilliaret, caeterique omnes Reformationis sectatores, propugnatores vel fautores, qui varias confessiones edidere ad tentandam conciliationem—Ecclesia in Tridentina Synodo haeresim omnium perniciosissimam plene damnavit, cunctos errores refellendo et veram reformationem aggrediendo; in conflictu *Regalismi, finis* spiritualis singulari praeeminentia omnia bona temporalia superans existimandus est sacra Ecclesiae independentia ejusque suprema jura—*opportunistae* merito considerantur univer-

si regalistae et aulici, declarati vel larvati, rigidi vel laxi, qui suis placitis et invasionibus ultraregalismo aut recentiori caesarismo viam latam aperuere—Ecclesia et Romani Pontifices apostolica firmitate et invicta fortitudine iniquas praetensiones et violentas intrusiones horum recentiorum hostium suae libertatis perpetuo propulsavit; in conflictu *Liberalismi*, *finis* seu bonum spirituale ob sui praestantiam semper proclamatum contra hoc postremum systema, plurimis erroribus scateus atque seductione periculisque plenum, fuit *heri*, est *hodie*, eritque *mane* auctoritas suprema et divina Ecclesiae missio in docenda, regenda, informanda et constituenda societate christiana, suam doctrinam, leges et praecepta imponendo tum familiis, tum civitatibus, tum nationibus, sive regibus et principibus, sive civibus et subditis, tam guberniis quam populis—*opportunistae* aestimantur quotquot audiunt *catholico-liberales* (Doupanloud, Montalemberg, Broglie, Gratry, aliique multi sat noti) et illi qui nostris diebus *Americanistae* cognominantur—Ecclesia cunctos errores in hoc novissimo et detestabili systemate comprehensos in Syllabum congessit, et in propositiones clarissime distributos singillatim per venerabilem Pontificem Pium IX explicite damnavit, ac denique recentissimam formam, quae *Americanismus* nuncupatur, per actualem Pontificem Leonem XIII (1) nuper reprobavit.

44. Secundum corollarium *de officio Statui incumbente deserviendi Ecclesiae etiam suppeditando media temporalia* triplici fundamento innititur, videlicet, subordinationi indirectae societatis civilis, naturae finis et conditioni sociorum.

Subordinatio: Ecclesia enim est societas jure supe-

---

(1) Epist. ad Cardinalem Gibbons, Romae die 22 Januarii 1899 expedita.

rior, Status vèro civilis inferior est, ut patet ex fine utriusque; hinc Status veluti inferior tenetur Ecclesiae, quae superior est, subministrare media sui ordinis, si eisdem opus sit ad suum finem altiorem et nobilissimum assequendum; sed media propria Status civilis ad ordinem temporalem pertinent; igitur media temporalia praebere debet in favorem societatis superioris adhibenda, quoties ista illis immediate vel mediate indigeat.

Natura finis: Finis namque Ecclesiae est finis spiritualis, supremus et aeternus, vere completus et plene adaequatus; finis autem societatis civilis est materialis, temporalis atque ordinatus tamquam medium ad finem ultimum moraliter superiorem et simpliciter necessarium, et tunc erit completus atque adaequatus, cum felicitas temporalis, quam promovendam Status curat, ad felicitatem aeternam perducat; unde sequitur Societatem civilem media seu bona temporalia, quibus utitur pro suo fine obtinendo, Ecclesiae suppeditare teneri, quoties ipsa judicaverit necessaria ad consecutionem finis supernaturalis et ultimi, cui procurando ex sui natura ac institutione incumbere debet; etenim bona temporalia eatenus sunt *rationabiliter appetibilia*, quatenus sunt ordinata ad bona superiora, et tandem ad supremum; necnon in tantum sunt *recte assequibilia*, in quantum ad finem ultimum referuntur, ad quem omnia inferiora tendere debent, tum ob praevalentem necessitatem finis superioris, tum etiam ut servetur ordo naturalis a Divina creatione praestabilitus.

Conditio Sociorum: Quia, cum agatur de duabus societatibus perfectis tantum *formaliter* distinctis, nempe, eisdem personis coalescentibus, quae simul sunt et cives et catholici, membra societatis inferioris, quin finem hujus proprium negligant vel laedant, non solum ad finem societatis superioris tendere, verum etiam illum attingere debent; age jam pro hac mutua conspiratione fovenda et scopo religioso obtinendo, saepenumero

egent socii mediis sive ejusdem ordinis spiritualis, sive inferioris ordinis; moderator igitur societatis civilis, qui bono communi intendere cogitur, veram et strictam obligationem habet subditis suis catholicis subministrandi omnia media temporalia fini supernaturali necessaria.

45. Tertium corollarium *super independentia ac superioritate Ecclesiae in necessitate servandi leges civiles* tria facta praesupponit, et doctrinam statuit pro majoritate et sacra Ecclesiae independentia in hac triplici hypothesi vindicanda. Tria equidem certa praemittenda sunt pro recta hujus consectarii intelligentia: 1.° dubitari nequit quasdam exstare materias temporales, quae neque directe neque indirecte ad finem spiritualem spectant, et tamen necessariam connexionem habent cum mediis ordinatis ad finem spiritualem; sic, ex. gr. res ad publicam hygienem respicientes potestati civili competunt, quia cura hygienes publicae est materia de se temporalis; sed etsi ejusmodi quaestiones ad finem spiritualem non referantur, conjunguntur tamen cum mediis ad finem diversi ordinis ducentibus, uti processionibus, depositione cadaverum, sepultura, coemeteriis, functionibus sacris tempore pestis vel aliis quibuscumque religionis publicis actibus; 2.° pariter inficiari nequit Statum potestate propria esse praeditum leges ferendi circa hujusmodi materias temporales, quia ad finem temporalem attinent, et Status civilis de normis servandis pro eo consequendo jure nativo judicat; 3.° admitti etiam oportet leges a Statu hac de re latas, cum fini spirituali non adversentur, per Ecclesiam esse observandas, tum quia nullus conflictus adest boni temporalis cum spirituali, cujus gratia illud posthaberi vel contemni necesse sit, tum quoque quia Ecclesia suum finem prosequi debet, quin finem temporalem absque causa proportionata offendat aut laedat.

Hisce tribus factis praestabilitis, quaeritur modo,

cum Status jure polleat leges circa praefatas res temporales condendi, quasnam Ecclesia servare teneatur, quasnam vero vel spernere, vel rejicere atque etiam damnare possit, ut sibi vindicet suam independentiam et indirectam superioritatem. Pro solutione ejusmodi quaestionis praemonendum est Statum triplex legum civilium genus edere posse, scilicet, necessarias aut utiles, inutiles aut onerosas, atque injustas aut noxias bono spirituali.

1.° Leges *necessarias* aut *utiles* suscipere ac servare tenetur Ecclesia, eo quòd acceptatio et earum observantia non importat inferioritatem societatis ecclesiasticae respectu jurisdictionis aut potestati civili subordinationem, sed tantum significat necessitatem rerum objectivam, quae ex aequitate et recta concordia ab Ecclesia hanc prudentissimam agendi rationem exposcit, quippe illa, dum leges civiles circa res mere temporales versantes et fini spirituali non contradicentes amplectitur et custodit, recte atque sapienter sese gerit, Statum pro consecutione finis temporalis adjuvando, suaque jura et independentiam simul tuendo.

2.° Leges *inutiles* aut *onerosas* praetermittere aut contemnere fas est Ecclesiae tamquam societati perfectae, omnibus juribus, caeteris societatibus perfectis competentibus, ornatae; sicut enim quaevis societas perfecta ratione materiae, putà rei propriae sitae in territorio alterius societatis vel nationis, hujus leges justas observare tenetur, sed contra sibi onerosas vel injuriosas potest virtute aequalitatis et independentiae jus suum prosequi vi, armis, cunctisque mediis societatis perfectae propriis; et quemadmodum principes protegere queunt non modo personas subditorum suorum apud exteros, verum etiam bona, quae in iisdem regnis habent, quia sunt independentes et proprio imperio gaudent; ita etiam Ecclesia sua juridica natura societatis inaequalis, perfectae atque independentis spernere et

respuere valet universas leges, quas status tulerit cum sui injuria, onere vel detrimento.

3.° Postremo, leges *injustas* aut bono spirituali *noxias* plane rejicere et crebro condemnare potest et debet, tum vi suae indirectae superioritatis supra societatem civilem, quandoquidem huic praevalet ratione finis altioris et praestantissimi, tum etiam quia ad Ecclesiam ut societatem majorem spectat auctoritative judicare de justitia vel injustitia, honestate vel inhonestate, necessitate vel utilitate legum, quoties conflictus exsurgat aut dubium oriatur circa usum et applicationem mediorum, quae pro fine ultimo et absolute necessario obtinendo societas inferior superiori ac praeeminenti praestare adigitur.

46. Quartum corollarium *circa competentiam Ecclesiae ad ferendum judicium in casu conflictus vel dubii* ex triplici argumento a jure naturali deducto constat, nimirum ex praeeminentia Ecclesiae, superioritate finis et necessitate eumdem consequendi.

1.° *Praeeminentia Ecclesiae*: exploratum est apud omnes ex duabus societatibus imparibus iisdem membris coalescentibus, quae in conflictum devenerint, illam praevalere debere seu primatum habere, quae ad finem altioris ordinis ducit, quia in concursu vel conflictu duarum obligationum eidem subjecto inhaerentium ea proculdubio praevalere atque praeponi debet, quae majus bonum tuetur atque persequitur, quod quidem est finis altioris ordinis; sed Ecclesia proponit, tuetur atque prosequitur finem ordinis altioris eo, quò tendit societas civilis; ergo Ecclesia, si in conflictum cum statu devenerit vel dubium legitimum emerserit circa necessitatem et usum mediorum temporalium pro fine spirituali assequendo, Statui civili praevalere debet, ideoque ad ipsam spectat judicium authenticum seu auctoritativum tam pro vitanda collisione, quam pro dubio solvendo.

2.° *Superioritas finis*: Finis superior tamquam bo-

num majus absolute appetendum atque necessarie obtinendum, gratia finis inferioris, qui est utique bonum minus majori posthabendum, in discrimen vocari nequit laesionis, praeteritionis aut contemptus; atqui periculo exponeretur violationis, omissionis vel neglectus, si in casu conflictus duarum aut diversarum obligationum vel dubii circa necessitatem mediorum judicium societati superiori non esset reservatum; ergo Ecclesia propter superioritatem finis potestate pollet sententiam auctoritative dicendi pro dirimendis controversiis ex conflictu vel dubio cum societate civili exortis.

3.° *Necessitas finis*: Finis necessarius alicujus societatis tuto obtineri debet; sed ut tuta sit finis necessarii consecutio, omne judicium pro necessariis ad eamdem illi auctoritati competit, quae ejusdem finis curam gerit; igitur quaelibet societas, cui commissa sit procuratio finis necessarii, facultate gaudet judicandi de omnibus necessariis pro recta et tuta finis proprii assecutione.

Nunc vero, Ecclesia ex divina sui institutione finem habet non modo necessarium, sed etiam maxime necessarium et summopere obligatorium, atque tanta cum securitate obtinendum, ut periclitari non possit adeptio salutis aeternae; proinde nullus locus ambigendi est de potestate Ecclesiae competente proponendi, judicandi atque decernendi ea omnia quae tuto nos in vitam aeternam perducant absque erroris periculo, neque damni vel deceptionis timore, siquidem Ecclesia non est fallibilis, sicut caeterae societates mere humanae, sed juxta catholica principia, praerogativa infallibilitatis quoad judicia doctrinalia et facta dogmatica a suo Divino Institutore munita sit.

ARTICULUS VI.

SUMMARIUM.

47. Quintum corollarium de juribus et officiis summorum imperantium in re religiosa.—48. Religionis necessitas in societate civili recte ordinata.—49. Necessitas moralitatis ad publicam tranquillitatem.—50. Necessitas religionis ut vera moralitas existere queat.—51. Jura atque officia Principum erga religionem naturalem seu ante revelationem.—52. Officia *negativa*.—53. Officia *positiva*.—54. Natura et extensio juris incumbentis potestati civili religionem naturalem socialiter defendendi.

47. Quintum corollarium: *Jura et officia summorum imperantium in re religiosa definienda sunt ex necessitate finem ultimum assequendi, sive per religionem naturalem ante Christi adventum, sive per religionem revelatam post Ecclesiae institutionem.*

Juxta hoc corollarium evidenter patet naturam *(quantitatem* et *qualitatem)* jurium atque officiorum, quae in ordine religioso principibus competunt, tum ante revelationem, tum post revelationem, desumendam et mensurandam esse ex institutione atque superioritate societatis religiosae finem altiorem prosequentis. Hinc alia sunt jura et officia principum quoad religionem naturalem seu in statu *legis naturalis,* alia vero quoad religionem revelatam seu in statu *legis evangelicae* aut *christianae.*

De singulis speciatim disseremus, sed prius aliquid summis labiis delibabimus de necessitate religionis in omni societate rite organizata, tamquam basi firmissima et fundamento potissimo, cui innititur haec praestantissima disquisitio.

48. Religio necessaria est in omni societate recte constituta ad consequendum finem proprium societatis civilis: finis namque proprius societatis civilis in felicitate hominum temporali situs est; sed religio necessa-

ria est ad obtinendam temporalem hominum felicitatem; necessaria igitur est ad finem proprium societatis civilis consequendum. Major propositi argumenti per se patet et a nemine in dubium revocatur; minor autem probatur duplici argumentatione ex verbis *hominum* et *felicitatem temporalem* desumpta.

1.° Societas civilis inquirere et promovere debet felicitatem temporalem, non quamcumque absolute, innominate aut indeterminate spectatam, sed felicitatem respondentem indoli et fini naturae humanae, hoc est, propriam *hominum;* sed homines ex anima et corpore constant; ergo non solum felicitatem partialem *corporis* procurare tenetur, verum etiam *animae,* ut sit totalis et adaequata etiam in hac vita seu in ordine temporali: nunc vero felicitas animae, ut plena, completa et adaequata habeatur, ordinata esse debet ad vitam aeternam, ideoque cum religione relationem habere.

Hinc sequitur Principem aut supremum societatis civilis Moderatorem, ut felicitas temporalis subditorum sit vere *humana,* id est, propria entium rationalium, qui propter animam ad ordinem altiorem et nobiliorem pertinent, curare et fovere teneri bona *spiritualia,* cujusmodi sunt bonum *intellectuale* (institutio, instructio scholae, publica cultura, etc.); bonum *morale* (honestas morum, vitiorum repressio, coercitio criminum, legum sapientum publicatio, recta justitiae administratio, aliaque id genus); bonum *religiosum,* etenim creatura rationalis Creatorem suum agnoscere, colere, adorare et ad Ipsum tamquam finem ultimum tendere obstringitur.

2.° Secundum argumentum ex *felicitate temporali* deductum ita in forma *soritae* formulari potest: finis societatis civilis est felicitas temporalis; felicitas temporalis obtineri nequit absque tranquillitate publica; tranquillitas publica haberi nequit absque moralitate; moralitas nec esse nec concipi potest sine religione; ergo religio necessaria est ad felicitatem temporalem obti-

nendam, ideoque religio censenda est veluti fundamentum ***indirectum*** seu ***mediatum*** cujuslibet societatis civilis recte ordinatae. Prima et secunda ***soritae*** propositio demonstratione non indigent; tertiam et quartam breviter probabimus, ut veritas conclusionis omnibus pateat.

49. Tranquillitatem publicam, quae quidem pars maxima est temporalis felicitatis, existere non posse absque vera moralitate, id est, nisi homines putent se ad leges civiles servandas aliorumque jura reverenda obligatos in conscientia, ita evincimus: ablata vi et efficacia obligationis moralis, tantum remanet pro observantia officiorum et pro publica securitate vel timor legis civilis vel utilitas privata, quam quisque in exsecutione officiorum et legum custodia experitur; atqui tum ***sanctio legis civilis,*** tum ***privata utilitas*** insufficientes atque inefficaces sunt ad ejusmodi effectum producendum; tranquillitas igitur publica exstare atque subsistere nequit a moralitate sejuncta.

1.° Sanctio legis civilis est insufficiens ut homines cogat ad leges servandas, jura aliorum colenda et propria officia adimplenda triplici potisimum capite: a) ex defectu ***universalitatis,*** etenim extenditur tantum ad ea quae alicujus sunt momenti; praetermitti autem minora, cum de minimis non curet legislator, et tamen leviora quotidiane, continue et positive plurimum conferunt ad vitam nostram felicem aut infelicem reddendam; b) ex defectu ***efficaciae,*** quia lex civilis efficaciam tantum habet pro puniendis delictis externis et publicis, hoc est, solis criminibus, quae per testes aut alias probationes demonstrari possunt; hinc omnia interna peccata ejus sanctionem effugerent, et omnia pariter delicta externa, sed non publica, coercitione carerent; c) ex defectu ***applicationis,*** quoniam semper adesset spes evadendi etiam poenam crimini publico debitam, sive per fugam, sive per testium aut judicum indulgentiam.

2.° Utilitas privata, sive ***realiter*** sumatur pro

bono privato singulorum, sive *sentimentaliter* spectetur pro satisfactione sensus moralis, quam bene operando sentimus, nequit etiam haberi ut motivum satis efficax leges custodiendi et officia erga caeteros servandi; utraque enim insufficiens est hominibus in officio continendis. Et sane, utilitas *realis*, *vulgaris* seu *positiva* nuncupata, est insuficiens: [a]) *ob frequentiam damnorum*; licèt enim verum sit ex bono generali, quod ex observantia officiorum justitiae et charitatis socialis resultat, sequi et bonum individuale in genere loquendo, tamen hoc non semper adeo verum est pro singulis individuis, quia pluries sunt individuo toleranda damna magnaque incommoda pro publico bono, ut mors militi; [b]) *ob confidentiam impunitatis*, siquidem unusquisque sperare potest crimen a se patratum non detegi, ideoque adhuc participem fieri bonorum quae a societate distribuuntur, ut qui secreto furatur sperans tum ejus honorem non esse laedendum ex male facto, tum semetipsum defendere posse ab aliorum furtis. Deinde utilitas, *sentimentalis* appellata, est quoque insufficiens: [a]) ex defectu *compensationis*, quippe sacrificia realia et phisica quae pro bono publico tolerantur, haud satis compensantur a sensu morali, inspecto tamen sub consideratione cujusdam voluptatis sui generis; [b]) ex defectu *virtutis*, voluptas namque haec mere subjectiva esset, ac proinde facile evanesceret in conflictu cum bonis physicis, cujusmodi sunt amor vitae, conservatio membrorum, robur sanitatis, retentio divitiarum, aliaque bene multa. Omnes igitur fateri tenentur tranquillitatem publicam pacemque socialem, et quod consequens est, temporalem felicitatem in ea praecipue suffultam minime obtineri posse sine vera moralitate.

50. Nunc demostrandum superest obligationem in conscientia nullo modo perfecte consistere neque plene efficacem esse, nisi in Deo suum agnoscat auctorem ac vindicem, seu, quod idem est, moralitatem nec

esse, nec concipi posse seclusa vel rejecta religione. Quod autem in Deo inveniatur verum, absolutum et completum fundamentum obligationis moralis triplici consideratione manifestum fit: Deus est auctor omnis moralis obligationis, quia Ipse est: 1.° Supremus *Dominus;* 2.° Supremus *Ordinator*; 3.° Supremum *Bonum*: qua Supremus Dominus est, absolutum ejus dominium in suas creaturas essentialem earumdem dependentiam importat; quia Supremus Ordinator, ratio divina norma est rationis humanae eique ordinem imponit; quia Supremum Bonum, perfectio seu bonitas divina captivat sibi voluntatem ut objectum adaequatum felicitatis ejus. Unde homo necessitate rationali, quae moralis dici solet, ductus tenetur legem moralem observare: 1.° ex *justitia,* quia Dei creatura; 2.° ex *rationalitate,* ne a sua recedat natura; 3.° ex essentiali *indigentia* felicitatis, ne miser efficiatur.

1.° Deus est Supremus *Dominus.* Propter absolutum dominium Creator *praecipere* potest et creaturae omnes, cum essentialiter ab Eo pendeant, Ejusque voluntati subjiciantur, *obedire* debent; at Deus creaturis praecipiendo, regulam agendi praescribit, et tamen eis non adimit physicam libertatem contradicendi dum *in via* sunt, ideoque praeceptum seu lex divina creaturis non imponit necessitatem physicam obediendi, sed tantum moralem in quo equidem sita est obligatio moralis, hoc est, necessitas qua cogitur creatura rationalis legem Dei servare, ne supremum ejusdem dominium laedat, simulque absolutam atque essentialem ab eo dependentiam inficietur.

2.° Deus est Supremus *Ordinator.* Mens divina ordinem rerum omnium quas condit, concipit eisque illum praescribit, ita ut in ratione divina contineatur norma agendi uniuscujusque entis propria; jam vero creaturae cognitione intellectiva destitutae ordinem a Deo impositum exsequuntur caece et necessario, quia illum ut talem

non cognoscunt; creaturae autem rationales, cum ordinem rationis divinae cognoscant, intelligantque necessitatem rationalem sese illi conformandi, normas a mente divina eis praescriptas cognitione et voluntate exsequi debent, sicque in Deo invenitur motivum fundamentale obligationis moralis. Si igitur creatura rationalis hanc negligeret, infringeret vel rejiceret, laedendo aut subvertendo ordinem sibi a Deo praestitutum, recederet a sua natura entis intelligentis, normam propriam suae rationis respueret, jamque non participaret analogice divinam rationem, cujus est quaedam imperfecta imitatio.

3.° Deus est Supremum *Bonum*. Omnes perfecte sciunt et palam profitentur Deum esse summum bonum naturae rationalis, quia bonum cujusque naturae proprium est finis in quem quaelibet creatura suapte natura et Dei impulsu ordinatur, seu quod idem est, ordo a Deo praescriptus; sed Deus omnia propter semetipsum operatus est et ad se tamquam ad finem ultimum ordinavit; ergo, licet finis proximus creaturae sit ordo a Deo praefixus, finis ultimus est Deus ipse. Notandum vero est Deum duplici conceptu nuncupari finem ultimum rerum omnium, et in utroque sensu habendum velut fundamentum moralis obligationis.

a) In primis enim Deus dicitur finis ultimus universae creationis, quia omnia ad gloriam ejus extrinsecam creata sunt, nempe, ut cunctae creaturae infinitam Dei perfectionem agnoscant, confiteantur ac laudent; sed cum hujus recognitionis, confessionis et laudis capaces sint tantum creaturae rationales, et Deus se proponit immediate ut finem ultimum creaturis intelligentibus, et istae tenentur illum colere, adorare et glorificare. Nunc vero, quoties creaturae ordinem a Deo intentum ipsisque impositum evertunt vel immutant, in cujus observantia obligatio moralis posita est, gloriam extrinsecam Creatori auferunt, fini ultimo adversantur et

summo bono valedicunt. Si igitur Deo tribuenda sit gloria ipsi debita, in eo necesse est fulciatur omnis moralitas seu obligatio in conscientia.

b) Praeterea, Deus finis ultimus et proprius creaturae rationalis est, quatenus in ejus fruitione tantum quiescere valet; siquidem bonum summum, quo creatura intelligens gaudere et cum quo beata fieri potest, solummodo in ipsa Dei possessione consistit, quia, spectata innata hominis propensione in infinitum, tunc plene expletur ejus desiderium, tuuc habetur vera aequatio inter ejus capacitatem et ejus actuationem, quod quidem mirifice tradidit D. Augustinus illis notissimis verbis: ***Quia fecisti nos ad te et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te*** (1). Age jam, ad finem suum ultimum pertingere nequit creatura rationalis, nisi impulsum a Deo acceptum sequatur, et ordinem sibi a Deo assignatum servet; hic autem alius non est nisi ordo moralis; igitur hujus observantia ad Dei possessionem et perfectam felicitatem ducit, atque idcirco homo praescindendo a lege morali et obligationem constientiae spernendo, contra finem ultimum agit et a Deo recedit, et a Deo recedendo propriam felicitatem amittet, summique boni possessionem nunquam attinget.

Ex dictis in hoc argumento inferre licet religionem ejusmodi veritates proponentem atque docentem habendam esse tamquam fundamentum indirectum omnis societatis rite constitutae, quandoquidem absque religione nec esse nec concipi potest moralitas; sine moralitate haberi nequit pax publica et socialis tranquillitas; absque publica tranquillitate minime obtineri valet felicitas temporalis; et semel deficiente felicitate temporali ruit ipsa societas; unde optime inquit Cicero: ***omnia religione moventur*** (2).

---

(1) *Conf.* Lib. I, cap. I.
(2) *Orat. V in Verr.*

51. Jura atque officia Principum erga religionem naturalem seu ante revelationem duplicis generis esse possunt, negativa vel positiva: *negativa* dicuntur *quae in omissione actuum religioni adversantium consistunt*; *positiva* vero apellantur *quae in positione actuum religioni faventium sita sunt.*

52. Officia *negativa* potestatis civilis seu principis quoad veram religionem ante revelationem hoc generali principio habentur: *Principes aut Magistratus civiles tenentur non contradicere religioni naturali ex praecepto naturali negativo;* etenim praecepta naturalia negativa officia etiam negativa omnino servanda imponunt; atqui officia negativa juxta principia generalia juris naturae *semper et pro semper* obligant; ergo Principibus civilibus incumbit absoluta obligatio nunquam suis actibus vel legibus sese adversandi religioni naturali.

53. Officia *positiva* hac universali propositione continentur: *Principes seu Summi Imperantes jus et officium habent religionem naturalem socialiter defendendi.* Veritas hujus secundae thesis vel generalis principii *fundamento* et *fini* ejusdem societatis civilis nititur.

1.° Religio, ut supra probavimus, est basis atque fulcrum omnis moralitatis, et proinde fundamentum quoque solidum societatis recte ordinatae; hinc qui religionem evertunt, eo ipso fundamentum societatis subvertunt; sed Principes jus et officium habent defendendi societatis fundamentum; ergo eis competit jus atque officium religionem naturalem socialiter tuendi, ideoque puniendi delicta socialia contra religionem, quia haec sensum religiosum offendunt aut imminuunt in societate, istiusque fundamenta subruere conantur.

2.° Societas civilis ejusque Moderator inquirere ac promovere cogitur pro fine proprio et adaequato assequendo felicitatem temporalem, non qualemcumque, dimidiatam vel tantum corporalem, sed humanam, integram, completam, hoc est, corporalem simul ac spiri-

tualem; atqui religio felicitatem temporalem completam reddit, quia animam excolendam, perficiendam et ad finem ultimum ducendam curat; igitur ille qui societati praeest, religionem naturalem socialiter defendere tenetur, unaque cunctas aberrationes, delicta vel actus adversum religionem corrigere; quaecumque enim deviatio a fine ultimo felicitati adaequatae hominis obstat, et ideo contra finem societatis est.

54. Quaeritur autem nunc quousque protendatur jus et officium naturale Principis religionem tuendi in statu merae naturae. Pro hac quaestione enucleanda, cum, deficiente revelatione, deesset norma infallibilis, principium certum atque inconcussum statui nequit, sed tantum haec regula generalis videtur tradenda: Princeps posset et deberet *praecipere* vel *prohibere* quidquid exigeret aut postularet sensus communis; hinc exsurgunt duo praecipua jura et officia positiva: 1.° Princeps potest et debet prohibere quae superstitionem aut impietatem manifeste ostendunt; quia haec a) juri naturali et sensui communi repugnant, atque etiam b) felicitati adaequatae hominis in hac quoque vita, hoc est, bono spirituali ac perfectioni animae plane adversatur; 2.° Princeps potest et debet jubere aliquos actus religiosos; tum quia a) Divinitati debitus est aliquis cultus non modo externus sed et publicus, et societatis interest apparere hunc cultum praestitum ab omnibus; tum quia b) nonnullae circumstanstantiae occurrere possent, in quibus Principi jus indubium esset subditos compellendi ad aliquos religionis actus, uti praestationem juramenti pro testimonio reddendo, muneribus publicis obeundis, aliisque similibus peragendis.

ARTICULUS VII.

SUMMARIUM.

55. Necessitas cultus publici etiam in statu mere naturali.—56. Cuinam competat ordinatio positiva religionis.—57. Diversae sententiae exponantur.—58. Quid de illis critice judicandum.—59. Quaenam prae aliis tenenda sit.

55. Necessitate religionis in statu merae naturae semel constabilita, atque juribus officiisque Principum erga religionem naturalem tam negativis quam positivis sat definitis, duplex quaestio inquirenda remanet, ut rem totam sub aspectu tantum naturali, hoc est, praescindendo a revelatione positiva, absolvamus. Quaeritur denuò: 1.° an necessarius sit cultus publicus in societate civili rite constituta; 2.° supposita illius necessitate, cuinam competat positiva ordinatio religionis seu organizatio cultus publici.

Quoad priorem quaestionem absque ullo dubitationis genere asserendum est Deo deberi in qualibet societate non modo cultum externum, verum etiam publicum; semel enim admissa necessitate religionis naturalis tamquam praecipuo fulcimento moralitatis, pacis ac temporalis felicitatis, ideoque solidissimo societatis fundamento, etiam agnoscenda est ut legitima sequela et necessarium consectarium necessitas cultus publici: enimvero non concipitur religio socialis absque cultu sociali et publico, qui est forma adaequata, expressio externa atque medium proprium Deum colendi et officia erga Divinitatem implendi.

Cultus publicus ille dicitur: *qui Deo tribuitur coram societate et ab ipsa societate saltem repraesentative;* nunc vero sub utroque respectu Deo debetur cultus publicus, sive ratione *exterioritatis,* sive ratione *subjecti.*

Ratione *exterioritatis,* Deus colendus est cultu pu-

blico: [a]) quia oportet homines ad invicem sese excitare ad religionem excolendam, jus enim naturae jubet in qualibet hominum congregatione adsociatos sibi mutuum praebere adjutorium, quod quidem naturale officium praesertim urget, cum agitur de re maxime necessaria, cujusmodi est religio; [b]) quia cultus publicus propter multorum exemplum singulos ad exercitium religionis magis provocat quam privatus, minori efficacia equidem pollens propter paucorum praxim vel privatam actuum positionem.

Ratione etiam *subjecti*, Deus honorandus est publice ab ipsa societate, quatenus talis est, vel omnibus civibus ad actus religiosos concurrentibus, vel saltem a magistratibus, patribusfamilias, primoribus populi aut quibusdam aliis repraesentatis; quia sicut humana familia seu societas domestica a Deo est, et ipsum agnoscere debet ut suum auctorem, ita quoque societas civilis, quae nihil aliud est quam forma perfecta societatis domesticae, quandoquidem ex pluribus humanis familiis coalescit, a Deo juridice ortum habet, atque ipsum confiteri et adorare tenetur tamquam primaevum omnis ordinis principium ac supremum cujuscumque hominum conjunctionis institutorem.

56. Ad secundam quaestionem circa potestatem atque jura Principum pro ordinanda religione versantem quod attinet, animadvertere oportet ejusmodi controversiam mere *hypotheticam* et *speculativam* esse in praesenti rerum conditione, id est, post Christi adventum et Ecclesiae institutionem. Quaeritur enim, si postrema revelatio mundo non esset facta, nec Ecclesia catholica fuisset constituta, ex jure naturae quisnam auctoritate frueretur ad positivam religionis ordinationem, legitimamque cultus publici determinationem?

Cum juristae catholici etiam probatissimi inter se dissentiant hac super re, diversas sententias exponemus, illi adhaerendo quae novis videtur retinenda ut-

pote veritati consona vel saltem probabilior, caeteras vero solido fundamento destitutas rejiciendo. Sed antequam singulas opiniones in examen vocemus, opportunum ducimus conceptum directum religionis a conceptu indirecto distinguere in statu merae naturae; religio enim duplici sub aspectu spectari potest, videlicet, *directe*, quatenus est medium pro felicitate alterius vitae consequenda, hoc est, prout religio est; *indirecte*, quatenus est fundamentum moralitatis et societatis.

Directe considerata religio reipublicae seu status non interest, non est negotium sociale, sed juridice loquendo, existimanda est res prorsus individualis; alioquin efficacia atquè connexio religionis cum aeternae salutis assequutione ab hominibus repeti nequit, sed tantum Deus actibus religiosis impertiri potest vim procurandi vitam futuram, unde sub hoc respectu ordinatio religionis ad principes nullo modo spectat.

Indirecte impecta religione, iterum quaeri potest an sit objectum proprium atque directum officii summis imperantibus incumbentis, vel an tantum sit negotium secundarium, contingens ac devolutivum principum; nam primo in casu Moderator societatis civilis quemcumque alium excludet in rebus religiosis ordinandis et statuendis; in secundo autem cultum instituet ac diriget, tantum nemine procurante, id es, devolutive.

57. Hac distinctione praehabita, summatim trademus quid de ejusmodi theorica controversia senserint tractatores juris publici, salva semper doctrina catholica, agnitoque Ecclesiae jure, quia rursum notandum est juristas catholicos hac de re disserere tantum hypothetice, ordinata enim a Deo jam religione in sensu directo, etiam indirecte ordinata aestimanda est, et Deo providente, cessat quaecumque alia auctoritas.

Quatuor praecipuae sententiae a juristis sustentantur: 1.ª est eorum qui asserunt religionem naturalem esse negotium naturaliter directum et proprium princi-

pum, quatenus religio est; patroni 2.ae sententiae contendunt religionem esse objectum proprium atque directum officii regalis, non praecise quatenus religio est, sed prout censetur fundamentum societatis; 3.a sententia affirmat ordinationem religionis et cultus publici institutionem etiam sub respectu mere sociali jure proprio et directo supremis nationum vel gentium magistratibus non competere, sed hujusmodi negotium ad ipsos spectare jure tantum devolutivo, id est, si nemo sit qui illud curet; defensores 4.ae sententiae tuentur principes aut civiles magistratus neutiquam et nullo jure potestate gaudere ad cognoscenda, statuenda vel ordinanda negotia religiosa.

58. Ex quatuor recensitis sententiis 1.a et 4.a ut falsae rejiciendae sunt; 2.a licèt aliquid veritatis habeat, eliminanda etiam est, quia aliquatenus vaga et nimium extensiva apparet; 3.a amplectenda, utpote rationi, historiae, ipsiusque antiquitatis sensui valde consona.

1.° Rejicimus opinionem paucorum autumantium religionem, attento mero ordine naturae, esse objectum proprium et directum officium juris regalis, quatenus religio est, hac simplici argumentatione ducti: Principi competit jus et officium proprium ea omnia curandi quae ad finem societatis civilis, nempe, temporalem felicitatem directe referuntur, etenim societas civilis non ad religionem exercendam, sed ad felicitatem temporalem procurandam instituta est; atqui religio non est medium directum pro felicitate temporali comparanda, sed tantum indirectum, prout est fundamentum moralitatis, sine qua nec tranquillitas publica, nec vera felicitas in societate haberi possunt; ergo Principi minime incumbit jus proprium atque officium directum curandi et ordinandi res religiosas.

2.° Repellimus insuper placitum eorum, qui societatis civilis praefectis officium proprium adjudicant re-

ligionem naturalem ordinandi tantum indirecte spectatam, hoc est, veluti pacis publicae et socialis felicitatis basim; pro hac sententia propulsanda sequenti argumento juridico-historico nitimur: ea quae ad officium nostrum tantum indirecte spectant, quia cum eo connectuntur vel ab eo supponuntur, non semper a nobis possunt directe curari et ordinari, sed sufficit ut habeantur curata et ordinata, sive immediate a nobis, sive mediate ab aliis; atqui officium curandi et ordinandi religionem Principi incumbens est tantum indirectum, quippe pro scopo habet tranquillitatem publicam tutare et adaequatae subditorum felicitati consulere; igitur Princeps religionem socialem ordinare et cultum publicum definire poterit, sive per se, si nemo sit qui hoc negotium exsequatur, sive per alios, si jam legitime fuerit instituta alia auctoritas, congregatio, collegium vel sacerdotium pro hoc necessario munere obeundo.

Et quidem non agitur heic de cura negativa seu de *defensione* religionis, quae certe Principi tantum competit, ne in eadem societate duae inducantur vires armatae, sed quaestio est de cura positiva seu de *ordinatione* religionis, quae recte ab aliis praestari volet, quod evidenter patet rite perpensis diversis hypothesibus, quae ocurrere possunt, et reapse verificatae sunt apud populos antiquitatis ante postremam revelationem a Christo factam; hinc argumentum juridicum nuper allatum ex historia majorem vim mutuatur.

Et sane, ad internoscenda et determinanda jura atque officia Principum quoad ordinationem religionis et organizationem cultus publici in statu *mere naturali*, quatuor hypotheses fingi possunt, quae de facto penes gentes antiquas effectum sortitae sunt, videlicet:

1.ª *Unio* aut *identificatio* Pontificatus seu Sacerdotii et Principatus, ut videre est apud Romanos sub Regibus, praesertim initio hujus epochae: pariter etiam apud Graecos, Aegyptios, Aethiopes, aliosque populos,

juxta testimonia pagana Tullii (1), Virgilii (2), Aristotelis (3), Platonis (4), Diodori (5), et testimonium christianum S. Isidori Hispalensis ita ajentis: *Antea autem qui reges erant et pontifices erant. Nam majorum haec erat consuetudo ut rex esset etiam sacerdos et pontifex. Unde et romani imperatores pontifices dicebantur* (6).

2.ª *Distinctio* seu *divisio* alicujus Sacerdotii a Principatu segregati, ex divina vel humana institutione facta; potuisset enim fieri institutio sacerdotii divini, quod quidem tamquam a Deo institutum sanctius et eficacius fuisset, atque si ejus adsistentiam habuisset (loquimur hypothetice), ita ut nunquam errare potuisset, omni jure ac potestate esset privatus Princeps in ipsum sacerdotium. Potuit pariter institui sacerdotium humanum, quia per se scopus religiosus est distinctus a civili; sed, cum hujusmodi sacerdotium, utpote humanum, fallibile fuisset, duobus modis peccare potuisset: [a]) usurpando sibi jura regalia; [b]) errando in ipsa re religiosa, id est, impia vel superstitiosa proponendo: tunc ad Principem spectasset duplex jus: [a]) sese defendendi contra invasionem sacerdotalem; [b]) ipsum sacerdotium corrigendi, ne laederetur fundamentum societatis.

3.ª *Separatio* vel *desmembratio* Sacerdotii et Principatus, postquam ab origine societatis duplex potestas religiosa et civilis conjuncta fuerit, quod quidem minime repugnat; sicut enim in gubernio repraesentativo dividitur potestas legislativa a judiciali et exsecutiva, ita etiam in qualibet societate potestas religiosa a civili segregari posset, quin desineret esse unum subjectum supremae potestatis; tum quia subjectum verum esset

---

(1) *De divinatione.*
(2) Lib. III, v. 80.
(3) *Polit.* III. cap. 3.
(4) Dialog. *de regno.*
(5) *Rerum antiq.* lib. 4.
(6) Can. I, § 8, dist. 21. Hic canon inter genuinos habetur.

semper populus, cujus nomine imperaret rex et pontifex; tum quia haberi potest subjectum morale, ideoque suprema potestas resideret in subjecto composito ex rege ac pontifice, quibus concordantibus, omnia recte procederent, dissentientibus, oporteret exstare medium vel tribunal aliquod facultate praeditum dirimendi quaestionem, ut fit in illis gubernii formis, in quibus subjectum potestatis supremae morale est. Haec segregatio observari potest in populo Romano tempore Reipublicae; quamvis enim Numma fingendo nocturnos cum Dea Egeria congressus rem sacram ordinavit et quatuor Pontifices ex genere patritio creavit, tamen ejectis regibus, major separatio peracta est, novaeque religiosae institutiones factae sunt; quandoquidem tunc electus fuit *Rex Sacrorum* aut *Rex Sacrificulus*, qui nomine regis quaedam sacrificia offerret, definitive constitutum collegium Pontificum sive Maximorum, sive Minorum, et quamplurima sacerdotalia collegia creata.

Inficiari igitur nequit ejusmodi sejunctionem vel desmembrationem praesertim factam esse in regimine populari, ita ut alii essent pontifices, alii consules; unde aliquando contigit, ut, democratiis in monarchias conversis, remanerent antiqua collegia sacerdotalia cum suis pontificibus maximis, qui in officio suo erant independentes a regibus, sicut olim fuerant a consulibus, quod equidem oriebatur ex constitutione politica ejusdem populi, a quo emanabat potestas pontificum et regum.

De hac hypothesi historice verificata ea mente speciatim pertractavimus, ut pateat etiam apud illas gentes, penes quas reges erant sacerdotes, sacerdotium habitum esse ut aliquid distinctum a regia dignitate.

4.ª *Fusio* seu *copulatio* Pontificatus et Principatus, qui antea in societate disjuncti erant: haec conjunctio possibilis est, quia consentiente populo non adversatur rationi, simulque sarta tectaque servari et custodiri

valet cura positiva seu ordinativa religionis; attamen duo casus excipiendi sunt, in quibus injusta esset praefata duarum potestatum fusio: [a]) non potuisset solus rex pontificatum abolere, cum jus regium ei esset datum jam divulsum a jure sacerdotali; [b]) si princeps justo bello sibi subjiceret populum aliquem, in quo ordo religiosus a civili jam esset distinctus, ejus sacerdotium abolere nequiret, cum haec divisio legitime facta est jure gentium, seu jure quo pollebant singuli populi haec dividendi. Hinc videmus reges et imperatores ethnicos maxime curasse se adscribi collegio sacerdotum, etiamque in summos eligi pontifices, ut ita omnia ad se traherent et suam agendi rationem cohonestarent.

Hujus vinculationis utriusque potestatis notissimum exemplum nobis exhibet etiam Populus Romanus sub Imperio; etsi enim Pontifex Maximus eligeretur in *Comitiis Tributis* (1) atque ex numero pontificum, tamen, occiso Caesare, Lepidus pontificatum maximum invasit, et post eum Augustus et reliqui imperatores usque ad Gratianum (2), qui primus insignia et titulum Pontificis Maximi rejecit.

3.° Sententia a principibus abjudicans omnem potestatem sese negotiis religiosis immiscendi in statu merae naturae propulsanda quoque est, quia rationum momenta ab ejus fautoribus addúcta vi demonstrativa carent: duo fundamenta pro sua opinione vindicanda allegant, fallibilitatem principum et prioritatem sacerdotii in patribusfamilias, sed utrumque plane nutat, eo

---

(1) Ita vocati sunt apud Romanos Coetus a Tribunis convocati et qui per Tribus habebantur, dum Coetus in quibus Populus per Curias congregabatur, *Comitia Curiata* appellabantur.

(2) Constantinus, Constantius, Valentinianus, Valens, caeterique imperatores christiani rationibus politicis forsitan permoti, hunc titulum more paganorum gesserunt. Theodosius Gratiani successor bonorum omnium atque reddituum, quae Pontificibus erant addicta, confiscationem decrevit, eorumdemque collegium ac cunctos Sacerdotes superstitionis paganae penitus delevit.

quòd falsitate laborat. Quoad primum false asseritur auctoritatem fallibilem Principis minime posse religionem ordinare; non poterit negotia religiosa componere exigendo absolutum assensum atque consensum in omnibus; at certe poterit cultum publicum determinare et actus religionis praecipere exigendo obedientiam in iis, quae rationi non contradicunt.

Ad patresfamilias quod attinet, qui, ut ajunt patrocinatores hujus sententiae, antequam impellente necessitate in societatem coaluerint, erant in statu extrasociali sacerdotes suae familiae, et quamvis adsociati propriam independentiam in civilibus renuntiaverint, non tamen sacerdotium nec patriam potestatem amiserunt. In hoc argumento confuse ac indiscriminatim usurpantur tres religionis respectus, quos diligenti cura distinguere necesse est. Religio considerari potest relate ad individuum, familiam et civitatem; jam vero, religio individualiter spectata est negotium prorsus individuale, atque proprium singulorum, quamvis patres, eo ipso quòd curam filiorum naturaliter suscipiant, donec sub eorum potestate sunt, eos in religione instituere tenentur; si autem in ordine familiari, hoc est, sub respectu societatis domesticae religio inspiciatur, ejus ordinatio pro membris societatis familiaris atque determinatio formae practicae cultus religiosi ad patrem pertinent, nisi Deus aliud sacerdotium statuat, et etiam tunc quaedam attributiones patri reservatae manent; denique sub aspectu civili aut socialiter attenta religione, Princeps jure pollet non solum eam defendendi, sicut supplere et corrigere valet ipsam auctoritatem paternam, verum etiam pro recto civitatis ordine, cujus cura illi commissa est, cultum publicum praecipiendi ac moderandi saltem devolutive, cum singuli patresfamilias huic publicae necessitati providere nequeant.

59. Exclusis igitur 1.ª, 2.ª et 4.ª sententia, utpote solidis argumentis destitutis, 3.ª tantum nobis videtur

tuto retinenda, illa nempe quae principibus tribuit jus indirectum et officium devolutivum cultum publicum stabiliendi atque ordinndi paro tuendo ordine sociali et felicitate temporali comparanda. Et re quidem vera, magni interest summorum imperantium subditos suos tranquillam, prosperam, quietamque vitam agere in societate politica cui praesunt; sed cum religio sit fundamentum indirectum pacis socialis et publicae tranquillitatis, et conditio necessaria ut felicitas temporalis haberi possit, sublata enim religione deest moralitas, atque deficiente moralitate, cives neque jura aliorum verebuntur, nec officia mutua adimplebunt, neque a perpetrandis delictis abstinebunt; ergo Principes jure naturae tenentur ordinem religiosum curare et promovere.

Nunc vero, hoc indirecto Principum officio semel constituto, duplex casus obvenire posset: vel praedictus ordo religiosus jam viget in societate ab ipsis regenda, praestabilitus atque servatus per auctoritatem religiosam recte institutam, vel nulla adest organizatio socialis proprie dicta pro cultu publico Deo exhibendo: in primo casu ordinem religiosum prius institutum non solum revereri, verum etiam protegere ac defendere debent in ipsius societatis bonum; in secunda hipothesi, inducendum curabunt cultum publicum tamquam conditionem stabilitati et securitati sociali optatam et necessariam, quia omnium refert ordinatio positiva religionis et nullius jus laeditur, eo quòd nemo sit, cui cura rei religiosae demandata sit.

Hucusque disputata circa religionem naturalem versantur; sed quae postremo loco pro tuenda 3.ª sententia exposuimus, apertissime ostendunt Principes gentium et Moderatores nationum infidelium, postquam Deus *novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio,* ut ait D. Paulus (1), Aeternusque Dei Filius Christus Domi-

(1) *Ad Hebraeos, cap. I, v. 2.*

nus suam Ecclesiam instituit, nullo jure positivo potiri in re religiosa neque naturalis ordinis. Vera religio a Deo jam ordinata est, et Deo providente cessat quaecumque alia auctoritas, quae tantum jure indirecto atque officio devolutivo ante Christi adventum gaudere poterat; unde jure optimo Pius IX improbavit primam partem propositionis XLI Syllabi, quae ita se habet: *Civili potestati vel ab infideli imperanti exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra.*

ARTICULUS VIII.

SUMMARIUM.

60.—Jura et officia quae Supremis Magistratibus competunt erga religionem revelatam et Ecclesiam catholicam.—61. Officia *negativa.*—62. Officia *positiva.*—63. Ostendatur *philosophice* Principes saeculares teneri ad defensionem religionis atque Ecclesiae protectionem.—64. Eadem veritas *theologice* demonstretur.—65. Objectiones.

60. Jura et officia Principum quoad religionem revelatam et Ecclesiam catholicam duplicis generis sunt, sicut ante revelationem erga religionem mere naturalem et socialem cultus publici exhibitionem, videlicet, *negativa* et *positiva*, prout in omittendis actibus religioni et Ecclesiae juribus adversantibus, vel in iis ponendis, quae in bonum religionis et Ecclesiae defensionem conferunt, sita sunt.

61. Officia *negativa* hoc generali principio continentur: *Princeps tenetur non contradicere religioni revelatae, et hoc propter* «praeceptum naturale hypotheticum.»

Ratio hujus principii obvia est: Jus naturae praescribit tamquam officium negativum *semper* et *pro semper* obligans non contradicere verae religioni neque societati pro illa tradenda et custodienda institutae; atqui in hypothesi divinae revelationis et Ecclesiae existen-

tiae, hoc est, supposito facto revelationis a Deo propositae et societatis a Christo constitutae, vera religio est tantum illa quae in divina revelatione continetur et ab Ecclesia docetur; igitur Princeps, Supremus Magistratus, vel quocumque nomine vocetur Moderator societatis civilis, stricta obligatione ex praecepto naturali hypothetico derivata cogitur nunquam suis actibus vel legibus sese adversari religioni revelatae aut Ecclesiae Catholicae ejusdem magistrae, interpreti atque custodi.

62. Officia *positiva*, quae Summis Imperantibus post Christi adventum incumbunt, ad quinque revocari possunt, et sunt simul jura et officia; *jura*, quia *possunt* Principes actus religioni faventes ponere; *officia*, quia etiam ponere *debent*.

Recensentur vero sequentia: Jus et Officium *defensionis, protectionis, obtemperationis, coercitionis* et *exclusionis*. Tria prima ad religionem et Ecclesiam referuntur; quartum ad subditos in religionem delinquentes respicit; quintum relationem seu respectum ad alios principes dicit.

63. Officium Principum tuendi religionem christianam atque Ecclesiam catholicam protegendi duplici argumento evinci valet, nimirum, *philosophice* et *theologice*.

Argumentum *philosophicum* seu probatio *rationis* a jure naturali sumpta tota consistit in expositione quinque jurium et officiorum, quae Principibus erga religionem revelatam et Ecclesiam Catholicam incumbunt, et ita breviter enucleari queunt:

Jus et officium *defensionis* Principibus competit propter *fundamentum* societatis; quia vera religio, ut aliàs probavimus, fundamentum est moralitatis et societatis; sed, constito atque recognito facto revelationis et Ecclesiae fundationis divinitus factae, vera religio est tantum revelata; igitur semel admissa ejusmodi hypothesi, Principes habent jus et officium religionem revelatam et Ecclesiam christianam tuendi.

Jus et officium *protectionis* Summis Imperantibus competit propter *bonum* societatis, quia finis directus et bonum proprium atque adaequatum societatis civilis positum est in promovenda felicitate temporali, non quidem absolute et simpliciter, sed quatenus est propria hominis, ordinata nempe ad vitam aeternam, ac deinde in curanda tranquillitate et pace Reipublicae, quae pars maxima est temporalis felicitatis; atqui sine morum probitate et obligatione in conscientia innixa, quae in Deo suum agnoscat auctorem et vindicem, atque sine verae religionis cultu et observantia felicitas temporalis, publica tranquillitas et pax socialis diu consistere nequeunt; ergo Moderatores Statuum pro ipso bono societatis humanae assequendo et pace publica tutanda veram religionem protegere, Ecclesiaeque Catholicae eam curanti suum praesidium et favorem praebere obstringuntur.

Jus et officium *obtemperationis*, hoc est, leges civiles legislationi canonicae seu ecclesiasticae conformandi Praepositis nationum competit, propter *naturam* societatis, tum *formalem*, tum *materialem*; ex consideratione *formali*, siquidem societas civilis oportet ita prosequatur finem suum proprium et directum in felicitate temporali positum, ut haec sit vere completa et adaequata, etiam in vita praesenti, nempe homini proportionata; sed, ut felicitas hominum evadat etiam in ordine temporali completa et adaequata, eo quòd bona materialia simul ac spiritualia complectatur, omnia ordinari debent ad finem ultimum supernaturalem; ergo Praesides nationum legislationem, regimen, administrationem, cunctaque negotia socialia ita constituere et temperare tenentur, ut, quatenus reipublicae conditio sinat, felicitati aeternae praedisponant, ejusque consecutionem adjuvent: ex consideratione *materiali*, quoniam, si in societate catholice constituta singula membra coguntur omnibus viribus suis religionem revelatam am-

plecti et custodire, atque Ecclesiae Catholicae eamdem proponenti positive inservire, maxime verò et jure potissimo ipsa societas, ejusque nomine Princeps urgetur suum concursum legibus et actibus publicis praestare, ut conspiratio sociorum, remoto quocumque obice, ad finem omnium nobilissimum et summopere obligatorium directe tendat.

Jus et officium *coercitionis* Praefectis populorum competit propter *tutelam* societatis et *bonum spirituale* civium; etenim eorum, qui societati civili praesunt, valde interest punire perturbantes ordinem socialem; sed, cum subditi in religionem delinquentes non solum ordinem socialem subvertant, verum etiam ipsum societatis fundamentum impetant, juste possunt a supremo Magistratu coerceri, poenis proportionatis adhibitis; aliunde hujusmodi effreni et scelerati homines, audita auctoritate religiosa et inspecta semper aeterna salute animarum, convenienti rigore plectendi sunt, ne caeteri cives hoc pernicioso exemplo a sua religione avertantur.

Demum, jus et officium *exclusionis* Regibus competit propter *independentiam* et *unitatem vis armatae* in suo territorio; Rectores Statuum, sive reges, sive praesides sint, eo ipso quòd potestate suprema et independente in suis ditionibus gaudeant, et vim armatam proprio imperio et voluntati subjectam possideant, jus obtinent excludendi a suis territoriis alios Principes pro defensione religionis, unaque officium habent exclusive tuendi in suis regnis veram Ecclesiam: alioquin eadem auctoritate independenti ac caeteri summi imperantes non pollerent, et insuper in eodem territorio inducerentur duae vires armatae, quod a recto ordine et notione Status plane abhorret.

Ex hac levissima recensione jurium atque officiorum, quae supremis magistratibus quoad religionem revelatam competunt, colligitur ipsis incumbere curam *negativam* religionis, non autem *positivam*, ideoque mi-

nime pollere neque *jure instituendi religionem*, quae jam a Christo instituta est jure equidem maxime praevalenti, tamquam Deo, omnium Domino et supremo Legislatore; neque *jure ordinandi positive* formam externam religionis seu cultum publicum, quia adsunt Magistratus, scilicet, Pontifex et Episcopi a Deo statuti, et quidem absolute; independentes a Principibus; neque *jure moderandi res religiosas*, etenim a Divino Ecclesiae Fundatore constituta est auctoritas propria, suprema, perpetua et infallibilis, cui cura, directio atque decisio in negotiis religionis tantummodo commissa est.

64. Praeterea, obligatio Principum Ecclesiam tuendi ac protegendi, necnon delinquentes in religionem puniendi, poenis etiam temporalibus adhibitis, evinci potest *theologice*, id est, per *revelationem*, quae nobis ex sensu tradionali constat. Pro argumento theologico exponendo tres probationes adduci valent ex Sanctis Patribus, ecclesiasticis definitionibus et ratione desumptae.

1.° Ex Sanctis Patribus sumere sufficiat nonnulla praeclara testimonia, quae rem nostram conficiant.

a) S. Leo Magnus sic ad Leonem Augustum alloquitur: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas* (1).

b) S. Augustinus ita ad Comitem Bonifacium scribit: *Aliter servit* (Rex Deo) *quia homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia verò etiam Rex est, servit leges justa praecipientes et contraria prohibentes convenienti rigore sanciendo: sicut servivit Ezechias lucus et templa idolorum, et illa excelsa, quae*

(1) Epist. 125. *alias* 75.

contra praecepta Dei fuerant constructa, destruendo... sicut servivit Rex Ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo... sicut servivit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo (1).

c) S. Gregorius Magnus ad Mauritium Imperatorem ajebat: ***Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum nostrorum pietati coelitus data est, ut, qui bona appetunt, adjuventur; ut coelorum via largius pateat; ut terrestre regnum coelesti regno famuletur*** (2).

d) Denique egregius Doctor Hispalensis D. Isidorus diserte docet: ***Principes saeculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptae culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates*** (civiles) ***necessariae non essent, nisi, ut quod non praevalet sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc impleat per disciplinae terrorem... Cognoscant Principes saeculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt*** (3).

2.° Quoad ecclesiasticas definitiones unum prae aliis testimoniis satis sit allegare: Pius IX in Encyclica *Quanta cura* damnavit tamquam Sacrae Scripturae, Ecclesiae et Sanctorum Patrum doctrinae contrariam sententiam eorum qui asserunt: ***Optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet.***

3.° Demum ratione theologica veritas, quam propugnamus, etiam comprobatur; duplicem probationem ex hoc fonte sumptam in medium afferemus, primam,

---

(1) Epist. 185. *alias* 50.
(2) Lib. 2. Epist. XI.
(3) Lib. 3. seu *de Summo Bono*, cap. 55. Haec verba in Decretum Gratiani relata sunt can. *Principes* 20, caus. 23, q. 5.

theoriam de duplici gladio apud Scholasticos medio aevo communiter receptam, quae quidem, quamvis sit mera declaratio vel exemplificatio per accommodationem ex Evangelio deducta, sed non in sensu litterali Sacrae Scripturae fulta, tamen mentem et doctrinam Ecclesiae hac de re nobis edisserit; alteram vero, auctoritatem Angelici Doctoris ejusmodi quaestionem exponentis juxta suum morem magna perspicuitate et praecisione.

a) Doctores mediae aetatis sensu accommodato interpretati illum locum evangelicum, in quo S. Lucas (1) narrat discipulos Divino Magistro dixisse: *Domine, ecce duo gladii hic*, ac Dominum eis respondisse: *satis est*, existimarunt in his duobus gladiis figuratam esse duplicem potestatem coercitivam Ecclesiae, unam ab ipsa Ecclesia inferendam, id est, per poenas spirituales, aliam ministerio Principum, per poenas temporales. Enimvero hujusmodi analogia usus est Bonifacius VIII in celeberrima Bulla *Unam Sanctam;* et ante eum sapientissimus Pontifex Innocentius III, et prius (saeculo cum dimidio ante Bonifacium VIII) eam proposuit ipse S. Bernardus, postremus Ecclesiae Pater et Doctor mellifluus, ita ad Eugenium III ejus discipulum scribens: *Uterque ergo Ecclesiae et spiritualis scilicet gladius et materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exercendus; ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis et jussum imperatoris* (2).

b) Praeter hanc theoriam sensum Ecclesiae nobis ostendentem, Theologi Scholastici docuerunt finem praecipuum regiminis civilis in ea re consistere, ut homines ad virtutem, ac proinde ad obsequium et observantiam erga Religionem informentur; pro omnibus jubat citare auctoritatem S. Thomae, Principis Theologorum ita ajentis: *Cuicumque incumbit aliquid perficere, quod ordi-*

(1) Cap. XXII, v. 35.
(2) Lib. IV. *de Consid.* cap. 4.

natur in aliud, sicut in finem, hoc debet attendere, ut suum opus sit congruum fini; sicut faber sic facit gladium, ut pugnae conveniat, et aedificator sic debet domum disponere, ut ad habitandum sit apta. Quia igitur vitae, qua in praesenti bene vivimus, finis est beatitudo coelestis, ad Regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare secundum quod congruit ad coelestem beatitudinem consequendam, ut scilicet ea praecipiat, quae ad coelestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicat (1).

OBJECTIONES.

65. Adversus jus et officium Principum religionem et Ecclesiam tuendi tres praecipuae difficultates objici solent ex *perturbatione* societatis civilis, *alienatione* populorum et Ecclesiae *contradictione* sumptae, quas brevissime solvemus.

Object. 1.ª Protectio Status religioni concessa et jus Regum compellendi homines ad obediendum Ecclesiae tranquillitatem societatis civilis facile turbat; ergo non est admittenda ejusmodi protectio cum paci publicae magnum detrimentum afferat.

Resp. *Dist.* ant.: protectio Status erga religionem revelatam et Ecclesiam Catholicam perturbat societatem civilem, semper et per se, *nego*; aliquando et per accidens, *conc.* Ergo non est admittenda protectio quae tranquillitati publicae adversatur, iterum *dist.* cons: non est admittenda ut norma, *nego*; ut exceptio, *conc.*

Etenim falsum est, tum *theorice,* tum *practice,* protectionem verae religioni et Ecclesiae Catholicae prae-

---

(1) *De Regim. Princ.* Lib. I, cap. 15. Licèt Libri III et IV et pars postrema Lib. II hujus operis addita fuere a Fr. Tolomaeo Lucenci, Episcopo Torcelli, critici consentiunt in adjudicando S Thomae memorato opere usque ad cap. 4, Lib. II, ideoque authenticum habendum est testimonium a nobis allatum.

stitam ex sui natura seu *per se* et semper ordinem socialem evertere; *theorice*, quia quae a Deo ordinata sunt, nequeunt per se esse in detrimentum publicae tranquillitatis; sed cum ipse Deus auctor sit rationis et revelationis, societatis civilis et Ecclesiae, nunquam potest esse vera repugnantia inter revelationem et rectam rationem, inter bonum religionis et bonum civitatis, maxima e contra concordia, quippe, juxta D. Augustinum *pax est tranquillitas ordinis*, ordo vero rerum dispositio veritati, id est, ipsarum naturae consentanea: *practice*, quoniam historia testatur societates, in quibus religio christiana Status protectionem obtinuit, magis floruisse quam caeteras, atque in eadem natione frequentiora fuisse delicta, prout minueretur religionis defensio aut augeretur hostilitas in eam.

Per accidens tamen non inficiamur fieri posse aliquando talis sit conditio socialis, ut si catholicae religioni positiva protectio dispensaretur, turbae nascerentur, quae aut nullo modo reprimi possent, vel tantum cum magno ipsius societatis detrimento; quod praesertim locum haberet in Statibus mixtae religionis seu fere acatholicis, in quibus magna pars populi alteram religionem profiteretur, vel in Statibus indifferentibus, quorum cives nomine tantum sunt catholici, quia in Ecclesia catholica fuere baptizati, verum spiritu catholico minime informati.

Hinc sequitur protectionem per se et generaliter loquendo debitam esse religioni a Statu tamquam regulam et normam agendi in externis cum Ecclesia Catholica relationibus; per accidens autem et specialiter loquendo potest dari exceptio, nempe, occurrere valent nonnulli casus, in quibus non urgeat obligatio protectionem positivam Ecclesiae praestandi. Theoria autem quae indifferentismum statuit ut regulam, pluries damnata, denuo nostris diebus a Pio IX reprobata fuit in pp. 77, 78, 79 et 80 Syllabi.

Object. 2.ª Protectio Status erga Ecclesiam catholicam vi coactiva adhibita, id est, delinquentes in religionem etiam puniendo, hominum animos ab amplectenda religione et Ecclesiae obedientia magis magisque retrahit, populosque a fide catholica alienos facit, tum quia homines duci volunt persuasione et non coactione in re adeo nobilissima ut est religio, tum quia improba videtur dominatio, quae terrore potius, quam doctrina utitur. Ergo minime oportet Statum vel Principes positivam suam protectionem religioni concedere.

Resp. Protectio Status etiam per vim coactivam populos hominesque alienos facit a religione, *dist.*: si agitur de conversione infidelium, qui certe cogendi non sunt, vel de iis qui in haeresi nati et educati fuere, *conc.*; si vero res est de sanctione aut poena infligenda iis, qui in Ecclesia catholica nati et instructi, ejus praecepta contemnunt aut ab ea discedunt, *nego.* Dubitari nequit publicos religionis catholicae osores vel transgressores, in sinum Ecclesiae cooptatos atque institutos, juste puniri posse, sive quia ex hypothesi mala fide agunt, sive propter correctionem et exemplaritatem, cum plures timore poenae a delinquendo deterreantur, et plures emendentur. Quod si qui ex eo occasionem sumant magis in religionem peccandi, hoc per accidens habetur, et salus publica posthaberi nequit ob paucorum malitiam; etenim, ut apposite ajebat S. Augustinus, medicina aboleri non debet, quia nonnullis nocet: *At enim quibusdam ista non prosunt. Numquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insanabilis est pestilentia? Tu non attendis nisi ad eos, qui ita duri sunt, ut nec istam recipiant disciplinam... Sed debes etiam tam multos attendere, de quorum salute gaudemus* (1).

Quoad primam probationem: quia homines duci volunt persuasione et non coactione in re religiosa, *dist.*:

(1) *Epist.* 93, *alias* 48 ad Venantium.

quatenus non sunt cogendi ad professionem christianae religionis illi, qui eam nondum amplexi sunt, in hoc sensu, *conc.;* quatenus christiani suasione tantum et non poenis possunt compelli ad ea officia adimplenda, quae jam agnoscunt et sponte susceperunt, in hoc sensu, *nego.*

Ad secundam probationem quod attinet, nempe, improba atque injusta videtur dominatio, quae per terrorem et nòn per doctrinam exercetur, cum D. Agustino in loco citato *dist:* improba quasi dominatio videretur, si homines terrerentur et non simul docerentur, *conc.;* si doctrina salutaris, uti fit ab Ecclesia catholica, terrori utili adjungeretur, *nego.*

Object. 3.ª Ecclesia sibi contradicit et duplici utitur mensura, cum in Statu catholico thesim protectionis contra heterodoxos teneat, libertatem rejiciens et concordiam seu conjunctionem cum Imperio sustinens; in Statu vero acatholico eamdem veritatem contra se respuit, separationem a Republica praedicans et libertatem implorans.

Resp. Ecclesia duplici utitur mensura, *dist.:* ita scilicet ut heterodoxis neget quidquam veri juris, quod eis competat, dum illud sibi vindicat, *nego;* ita ut neget heterodoxis, utpote in errore constitutis, quod est jus exclusivum veritatis atque errori incommunicabile, *conc.* Brevius esset *negare suppositum,* quippe in allata objectione supponitur *errori,* saltem si talem se non existimat, eadem jura competere, ac *veritati,* quod adeo falsum est, ut si quis diceret amentibus, saltem cum tales se non existimant, eadem jura competere, quae *mente sanis.*

Ut status quaestionis melius dignoscatur, ejusmodi res sub triplici respectu spectari debet: 1.° in ordine ad *Ecclesiam;* 2.° relate ad *errantes* seu heterodoxos; 3.° quoad *rem ipsam,* qualis a quopiam extraneo judicanda erit. Ad *Ecclesiam* quod attinet, ea certa est non tam opinione propria, quam divinis testimoniis, in se una

veritatem esse, in caeteris pseudo-religionibus errorem, idque ad articulum fidei pertinere, contra quem nihil agere potet: sub hoc respectu non adest duplex mensura, sed manet firma lex aeterna, quae veritati prae errore dominatum defert, negatque esse posse participationem justitiae cum iniquitate, neque societatem luci ad tenebras, juxta Doctoris gentium verba (1). Quod spectat ad *heterodoxos*, quatenus *in bona fide* maneant, eodem jure erunt, ac amentes, quibus nihil imputatur ex iis, quae in amentia agunt. Quod denique attinet *ad rem ipsam*, ea tales habet characteres, ut in foro saltem externo nemo aequus non agnoscere Ecclesiae jura debeat; quidquid enim sit de interna bona fide dissidentium, ea certe probari extrinsecus nemini aequo potest, serio perpensis motivis credibilitatis, quae pro Ecclesia catholica militant, simulque attentis recta cum voluntate notis falsitatis, quae diversas sectas, ab Ecclesiae communione disjunctas, aperte distinguunt.

(1) II ad Cor. cap. VI, v. 14.

CAPUT II.

FUNDAMENTALIS ECCLESIAE CONSTITUTIO

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

66. Fundamentalis Ecclesiae constitutio.—67. Praecipui characteres Potestatis Ecclesiasticae.—68. Primus character: Potestas Ecclesiae est HIERARCHICA.—69. Notio Hierarchiae *objective* et *subjective* sumptae.—70. Quotuplex sit Hierarchia.—71. Gradus hierarchici *Ordinis*.—72. An omnes sint juris divini.—73. Gradus hierarchici *Jurisdictionis*.—74. Hujus vocis etymon.—75.—Diversa acceptio Jurisdictionis in Jure Romano atque Ecclesiastico.—76. Variae species Jurisdictionis.—77. In quo differat potestas Ordinis a potestate Jurisdictionis.

66. Ad constitutionem Ecclesiae recte et distincte definiendam necesse est diligenti studio perpendere atque introspicere characteres essentiales potestatis socialis, Ecclesiae juridice incumbentis, seu quod idem est, constitutio Ecclesiae Catholicae attingi et dignosci nequit, nisi prius logica ac rigorosa ratiocinatione determinentur notae propriae et peculiares praerogativae, quibus Christus Dominus Potestatem sacram et spiritualem ab ipso institutam et suae Ecclesiae collatam insignire voluit.

67. Sex sunt praecipui characteres Ecclesiasticae Potestatis hisce verbis mnemonicis expressi: *Quae? Qualis? Quanta? Quis? Undenam? Quomodo?* scilicet *Institutio* aut *origo, Natura, Objectum* seu *extensio*, *Subjectum*, *Adquisitio* vel *titulus*, et *Forma* Potestatis Ecclesiae inhaerentis.

Ejusmodi Potestas ratione *Institutionis* seu *originis*

(Quae) est HIERARCHICA; ratione *Naturae* (Qualis) est SUPREMA; ratione *Objecti* seu *extensionis* (Quanta) est PLENA; rationi *Subjecti* (Quis) est mere CLERICALIS (*Pontificia* et *Episcopalis* juxta fundamentalem Ecclesiae constitutionem, de qua agit Jus Publicum; varios *Gradus* complectens ex delegatione pontificia vel episcopali, qui equidem constitutionem Ecclesiae accidentalem efficiunt, et quorum studium atque expositio ad Jus Privatum, hodie Canonicum nuncupatum, spectat); ratione *Adquisitionis* seu *tituli* (Undenam) est ELECTIVA (Potestas enim tum Pontificia, tum Episcopalis, per canonicam electionem obtinetur); ratione *Formae* (Quomodo) est MONARCHICA (siquidem regimen Ecclesiae nec est *democraticum*, nec *aristocraticum-presbiterale*, nec *aristocraticum-episcopale*, neque *monarchicum purum* seu *exclusivum*, neque *monarchicum-mixtum*, sed tantum *monarchicum*, licet *adjutum* seu *associatum* aristocratia, hoc est, *auxilio* et *cooperatione* Episcoporum).

68. Potestas Ecclesiae ratione *institutionis* seu *originis* (QUAE) est HIERARCHICA secundum duplicem hujus vocabuli significationem, nempe, quatenus *sacra* et quatenus *ordinata*.

Hierarchica est quatenus *sacra* propter *originem*, *objectum* et *finem*; quandoquidem a Deo ortum habet, circa res spirituales versatur et ad vitam aeternam ducit: est etiam Hierarchica quatenus *ordinata*, quia Ecclesia suapte natura juridica ex fine deducta societas inaequalis existit; quippe ejus finis necessarius et obligatorius habetur, unde constare debet *magistratibus* et *subditis*, atque inter ipsos magistratus adest quaedam gradatio et ordo; etenim majori vel minori auctoritate pollent.

69. Vox *Hierarchia*, si originem spectemus, idem est ac *Sacer Principatus* seu *Sacrum Imperium*; si vero rem significatam attendamus, usurpari potest *objective* vel *subjective*.

Hierarchia *objective* sumpta definitur: *Potestas a Christo Domino suis Apostolis eorumque legitimis Successoribus tradita, ut Ecclesiam regant, et Sacramenta ac Sacramentalia faciant atque ministrent.* Explicatio definitionis: dicitur *Potestas*, quia hoc nomen simpliciter et absolute usurpatum totam auctoritatem, plenam facultatem et supremum jus tum ad regendam Ecclesiam tum ad gignendam sanctitatem exprimit; additur a *Christo Domino*, ad *originem* et institutionem hujus potestatis denotandam; *suis Apostolis*, ut designetur *subjectum* potestatis; *eorumque legitimis Successoribus*, ut excludantur ex successione in potestate *ordinis* qui legitimitate carent propter defectum validae et rectae ordinationis atque ex successione in potestate *jurisdictionis* qui propter schisma, haeresim aut excommunicationem vel non receperunt jurisdictionem, vel acceptam amiserunt, ideoque illegitimi successores censentur; *ut Ecclesiam regant*, quo significatur potestas *Jurisdictionis*; et *Sacramenta ac Sacramentalia faciant*, quibus verbis continetur potestas *Ordinis*; *atque ministrent*, ad uno vocabulo simul complectendam potestatem *Ordinis* et *Jurisdictionis*, nam Concilium Tridentinum aperte definivit pro constituendis in Ecclesia legitimis Ministris requiri tam *ordinationem* quam *missionem*: *Si quis dixerit eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite* ORDINATI *nec* MISSI *sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse Verbi et Sacramentorum Ministros, anathema sit* (1).

Hierarchia *subjective* inspecta ab eximio theologo P. Perrone ita definitur: *Coetus seu Ordo Praesidum et Sacrorum Ministrorum ad regendam Ecclesiam, gignendamque in hominibus sanctitatem divinitus institutus*: vel brevius dici potest: *Collectio personarum potestatem in Ecclesia exercentium.*

70. Hierarchia passim et communiter distinguitur

(1) Sess. XXIII, can. VII.

in Hierarchiam seu Potestatem Ordinis et Hierarchiam seu Potestatem Jurisdictionis; Hierarchia Ordinis est: ***Potestas a Christo Domino suis Apostolis, eorumque legitimis Successoribus tradita ad conficienda Sacramenta et Sacramentalia;*** Hierarchia Jurisdictionis vocatur: ***Potestas a Christo Domino suis Apostolis, eorumque legitimis Successoribus tradita ad bonum Ecclesiae regimen et usum Sacramentorum et Sacramentalium.***

Phillips, Soglia, aliique canonistae Hierarchiam dividunt in Potestatem ***Ministerii, Imperii*** atque ***Magisterii;*** sed nos postremum hujus partitionis membrum excludimus duplici ratione fulti: 1.ª Magisterium, juxta Cavagnis (1), est pars potestatis Jurisdictionis seu Imperii, quia, si mere doctrinale est, nullum jus confert; si verò auctoritativum sit, sub jurisdictione cadit, quae nihil aliud est quam potestas gubernativa personarum in earumdem utilitatem; age jam jus docendi est utique jus in personam, gubernat enim voluntatem, et si infallibile est, etiam mentem, et quidem in ejus bonum seu utilitatem; ergo ad potestatem jurisdictionis pertinet: 2.ª potestas cujuslibet societatis proporcionata esse debet ejusdem fini; finis autem proximus Ecclesiae in ***sanctificatione*** animarum situs est, quae obtinetur ***gratia sanctificante*** quae a Deo per sacramenta ordinario infunditur, et ***libera hominis cooperatione*** qui per rectam fidem et bona opera gratiae assentitur; atqui ad hoc duplex potestas tantum requiritur, videlicet, potestas ***Ordinis*** ad efficienda sacramenta, et potestas ***Jurisdictionis*** ad dirigendam atque efficacius urgendam hominis cooperationem; duo igitur sufficiunt potestates ad finem tam immediatum quam remotum Ecclesiae assequendum, et innecessaria evadit tertia Magisterii potestas.

71. In Ecclesia Graeca saltem post schisma quin-

(1) ***Institutiones Jur. Pub. Ecci.***, Pars Prima, § 2.

que sunt gradus Ordinis, nempe: episcopatus, presbyteratus, diaconatus, hypodiaconatus et lectoratus; tres primi sacrati seu majores, duo postremi insacrati aut minores.

In Ecclesia vero Latina octo numerantur gradus Ordinis, quia hodie de fide est episcopatum gradum hierarchicum et distinctum potestatis ordinis esse; definitum enim fuit a Tridentina Synodo in canone toties laudato: ***Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina Ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit*** (1); tamen nondum explicite declaratum est octo esse Ordines, quia quamvis, prout ait Perrone, "sententia nunc temporis communis et omnino tenenda haec est, episcopatum et ordinem esse specie distinctum a presbyteratu et sacramentum" Ecclesia per Romanum Pontificem, Supremum Magistrum et Infallibilem Doctorem, vel per Decretum Conciliare haud sancivit usque in hodiernam diem expressa et dogmatica definitione Ordinem Episcopalem, non equidem tamquam ***gradum*** spectatum, etenim hoc post canonem tridentinum ad fidem pertinet, sed veluti ***ritum consecrationis*** consideratum, esse diversum ordinem et sacramentum (2).

Hodiedum igitur juxta doctrinam communiter receptam et ***gradus*** sunt octo et ***ordines***, nimirum: episcopatus, presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, acolytatus, exorcistatus, lectoratus et ostiariatus; quatuor primi sacrati seu majores, quoad subdiaconatum saltem a saeculo XII; caeteri insacrati seu minores semper exstitere.

72. Juxta tridentinam definitionem sunt certe juris divini tres gradus Hierarchiae Ordinis, scilicet, epi-

---

(1) Sess. XXIII, can. VI.

(2) Cons. de hac re theologos, praesertim vero J. Perrone.—*Praelectiones Theologicae*, tomo IV, pag. 368, *Scholia*.

scopatus, presbyteratus et saltem diaconatus inter reliquos gradus ad ministerium attinentes; at vero quoad alios quinque gradus, ad quos ministri ascendere possunt, hoc est, subdiaconatum, acolytatum, exorcistatum, lectoratum et ostiariatum, controversia viget apud theologos et canonistas.

Tres sententiae recensentur circa originem ordinum minorum: 1.ª, Bellarminus, Baronius, aliique, sive theologi, sive canonistae, contendunt ordines etiam insacratos esse divinae institutionis, triplicem rationem pro sua sententia afferentes: a) nequit assignari epocha institutionis, quod quidem originem divinam denotare videtur; b) munia seu officia, quae his ordinibus incumbunt, per diaconos ab initio Ecclesiae impleta fuere; jam verò diaconatus jure divino institutus fuit; c) Tridentina Synodus in suo canone complexa est omnes clericos in gradu *ministerii* positos (*et Ministris*); ergo sub hac denominatione etiam clericos in minoribus ordinibus constitutos comprehendere voluit.

2.ª sententia: asserunt alii hujusmodi ordines institutioni apostolicae esse tribuendos, siquidem monumenta antiquissima, in quibus eorum fit mentio, illos supponunt jam institutos, quin adscribi possit initium seu origo ejusmodi ecclesiasticorum graduum testimonio alicujus Sancti Patris, vel Decretali Pontificiae, vel Canoni Conciliari; age jam, secundum notissimam D. Augustini regulam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.*

3.ª Sententia: opinio probabilior et communior, quam S. Thomas, Thomassinus, Perrone, pleraque theologorum et canonistarum pars hodie tuentur, ecclesiasticam institutionem propugnat haec rationum momenta adducens: a) silentium Sacrae Scripturae et ecclesiasticorum scriptorum spatio duorum saeculorum cum dimidio; pristinum enim documentum, in quo habetur ordi-

num minorum mentio, est Epistola S. Cornelii ad Fabium Antiochenum occasione schismatis Novatiani anno 252 scripta: b) testimonia quamplurima et frequentissima totius antiquitatis, in quibus passim videre est hanc assertionem; c) inconstantiam et varietatem in numero ordinum minorum tum apud Graecos, qui duo tanpum agnoscebant hypodiaconatum et lectoratum, tum apud Syros et Maronitas, qui etiam habebant *cantoratum* seu *psalmistatum*, tum denique apud Latinos, inter quos viguere aliqui ordines, qui nunc desierunt, uti *fossarii*, *lecticarii*, *laborantes* seu *copiatae*, *parabolani*, *mansionarii* aut *paramonarii*, *chartularii*, *custodes*, *defensores*, *catechistae*, *primicerii*, etc.; d) crebras mutationes in his ordinibus per cessationem, additionem, imminutionem, abrogationem vel instaurationem, quae in rem divinitus institutam cadere non possunt; e) vicissitudines et alterationes in eodem ordine, velut in subdiaconatu; f) defectum subordinationis in promotione altiorum ordinum, ita ut lectores creati sint, quin prius fuerint ostiarii; acolyti, qui numquam fuerant ostiarii; lectores, qui exorcistatum non susceperant; diaconi, qui antea non fuerant subdiaconi, quae equidem minime fecisset Ecclesia, nisi existimasset hos ordines ad divinam institutionem non attinere.

Attamen omnes theologorum et canonistarum sententiae, quas levissime innuimus, possunt recte inter se concordari asserendo cum Magistro Sententiarum, Selvagio, Benedicto XIV, aliisque eruditissimis viris ordines minores esse *ecclesiasticae institutionis* quoad originem *formalem* seu creationem tempore determinato ab Ecclesia factam, atque simul esse *divinae institutionis* quoad originem *fundamentalem* seu principium ex quo procedunt; quandoquidem munera et officia ejusmodi ordinum nihil aliud sint quam quaedam derivatio vel desmembratio ex diaconatu lapsu temporis peracta, prouti propagatio religionis, necessitas cultus vel multi-

tudo fidelium novos ministros exposcebant ad spirituales functiones obeundas.

73. Duo tantum recensentur gradus hierarchici Jurisdictionis jure divino, scilicet, Pontificatus et Episcopatus; reliqui omnes supra vel infra episcopales, sive Cardinales, Patriarchae, Primates et Metropolitae, sive Provisores, Vicarii Generales, Archipresbyteri et Archidiaconi, sive Parochi et Vicarii vel quocumque gradu jurisdictionis insigniti, ecclesiasticae institutionis vocandi et censendi sunt.

74. Verbum *Jurisdictio* originem habet a *Jure dicendo*, et significat *dictionem* seu *declarationem Juris*, aut quod idem est, facultatem *Jus applicandi*.

75. Vocabulum *Jurisdictio* usurpatur sensu latiori in Jure Canonico, quam in Jure Romano: apud Romanos attributum supremae potestatis denotabat; etenim juristae Romani quatuor attributa, jura vel facultates in suprema potestate (Soberania) distinguebant, nempe: *Majestatem*, *Imperium* seu *Jus gladii* aut facultatem coercitivam, *Jurisdictionem* seu *Imperium mixtum*, atque *Notionem*.

Majestas erat fons omnium jurium et principalis auctoritas, quae in populo tempore Reipublicae et penes Imperatores postea residebat, legesque pro bono publico ferebat; *Imperium* facultas erat criminales vel reos puniendi poenis gravioribus, puta capitis, mutillationis, exilii, etc.; *Jurisdictio* sita erat in facultate, quae aderat magistratibus, cognoscendi, judicandi, et exsequendi sententias in causis civilibus et criminalibus, sed tantum injunctis poenis levioribus; *Notio* mera erat facultas cognoscendi et judicandi de litibus, sed non exsecutioni sententias mandandi, ad instar *arbitrorum* vel *judicum*, qui apud nos *Instructores* aut *Pedanei* vocantur.

In Jure autem Canonico Jurisdictio omnes acceptiones complectitur, et passim usuvenit *Universalis quaedam potestas ea omnia gerendi atque gubernandi*,

quae ad bonum Ecclesiae regimen pertinent; sed proprie loquendo differunt inter se hae quatuor voces, *Potestas, Auctoritas, Jurisdictio* et *Potentia* (hispanice *Poder*).

Omnia haec vocabula utique supponunt atque important in suo conceptu vel significatione *facultatem, jus, superioritatem;* at discriminantur in eo quòd *Potestas* sit facultas independens, jus supremum, superioritas absoluta; *Auctoritas* sit facultas dependens, jus subordinatum, superioritas relativa; *Jurisdictio* duplici limitationi subjaceat; praeter enim dependentiam seu subordinationem, administrationi et exsecutioni justitiae restringitur (hinc causae civiles et criminales ad ipsam spectantes); *Potentia* (Poder) tantummodo in sua propria notione significet quoddam attributum vel praerogativam summi imperii vel potestatis supremae, et praeter subordinationem, sphaeram actionis magis limitatam habet, quippe quae in ordine speciali et determinato exerceatur.

Rem totam illustremus exemplis ex vulgari loquendi ratione desumptis; dicitur: conflictus inter duas *potestates* (Ecclesiam et Statum); dicitur: conflictus inter *auctoritatem* ecclesiasticam et civilem (Archiepiscopum et Gubernatorem); dicitur: conflictus inter *jurisdictionem* ecclesiasticam et civilem (Provisoratum vel Tribunal Ecclesiasticum et Audientiam vel tribunal laicum); dicitur: tres *potentiae* (Poderes) Status, vel ortus est conflictus inter potentiam (Poder) legislativam et potentiam (Poder) exsecutivam (Senatum vel Comitia et Gubernium).

Demum, dictiones seu voces *Potestas, Hierarchia* et *Politia* in hoc differunt, quòd *Potestas* sit auctoritas theorice seu speculative spectata; *Hierarchia*, auctoritas practice seu in concreto inspecta, id est, jam personificata in Ecclesiae magistratibus; *politia*, forma seu ratio exercendi ecclesiasticam potestatem.

76. Jurisdictio multipliciter dispesci potest; hinc

consentaneum videtur hoc loco praecipuas divisiones innuere, ut in antecessum verus sensus definiatur plurium quaestionum, quae in Jure Publico pertractandae et solvendae erunt.

1.° Ratione *originis* distinguitur Jurisdictio in *divinam* et *humanam*; DIVINA, *quae a Christo Domino immediate instituta est*, ut pontificia et episcopalis; HUMANA, *quae ab Ecclesia, Romano Pontifice vel Episcopis confertur*, velut patriarchalis, primatialis, metropolitica, archypresbyteralis, parochialis, etc.

2.° Ratione *fori*, in jurisdictionem *fori interni* seu conscientiae et *fori externi*: FORI INTERNI dicitur *quae primario et directe ad privatam fidelium utilitatem refertur*, uti potestas praedicandi vel absolvendi; FORI EXTERNI, *quae primario et directe publicum Ecclesiae bonum et regimen respicit*, hujusmodi est facultas concedendi potestatem praedicandi et absolvendi. Jurisdictio FORI INTERNI, potest esse *fori interni poenitentialis* vel *extrapoenitentialis*, prout exercetur intra Poenitentiae tribunal vel extra Poenitentiae sacramentum pro dispensatione voti aut irregularitatis ocultae vel pro absolutione censurae.

3.° Ratione *tituli* seu *modi*, in *ordinariam*, *extraordinariam*, *privativam et exemptam* aut *privilegiatam*: ORDINARIA vocatur *quae alicui competit vi dignitatis aut officii permanentis atque explicita Juris Communis declaratione*, talis est jurisdictio fori externi pro episcopis et fori interni pro parochis; EXTRAORDINARIA, *quae conceditur pro casibus extraordinariis*, ita existimantur facultates a Tridentina Synodo (1) collatae canonicis *adjunctis* et judicibus synodalibus; PRIVATIVA, *quae tribuitur ad cognoscendas dirimendasque perpetuo et generaliter causas speciales vel determinata negotia*, hujusmodi erat juris-

(1) Sess. XXV, capp. VI et VII.

dictio Commissariae *Cruciatae et Spoliorum*, Tribunalis *Excusati* atque *Inquisitionis;* EXEMPTA aut PRIVILEGIATA, *quae alicui competit in res vel personas gratia seu privilegio apostolico,* veluti regularis, militaris et regalis.

4.° Ratione *gradus*, in *supremam*, *superiorem* et *inferiorem*: SUPREMA, *qua gaudet Romanus Pontifex*; SUPERIOR, *qua pollent patriarchae, primates et metropolitani in Episcopos patriarchatûs, nationis vel provinciae ecclesiasticae*; INFERIOR, *qua potiuntur Episcopi vel Ordinarii in suis dioecesibus.*

5.° Ratione *extensionis*, in *universalem*, *generalem*, *particularem* et *restrictam*: UNIVERSALIS, *quae nullo arctatur limite personarum, locorum vel rerum*, post Apostolos eam tantum habent Romani Pontifices et Oecumenica Concilia; GENERALIS, *quae extenditur ad omnes personas et loca, sed non ad omnes res seu materias*, hac fruuntur plures Congregationes Romanae; PARTICULARIS, *quae restringitur vel quoad personas* (jurisdictio regularium), *vel quoad loca* (uti jurisdictio parochi, episcopi, metropolitae, etc.), *vel quoad res seu causas* (cum nonnulli casus reservantur); RESTRICTA, est *ipsa jurisdictio particularis, sed cum majoribus limitationibus*, ex. gr. cum Vicario Generali ab Episcopo quaedam facultates speciales non conceduntur.

6.° Ratione *naturae*, in *propriam*, *delegatam*, *subdelegatam*, *prorogatam* et *arbitralem*: PROPRIA, *quae habetur jure proprio ratione muneris vel officii publici, quin recipiatur nec in suo exercitio ab alicujus voluntate pendeat;* DELEGATA, *quae obtinetur ex mandato aut commissione habentis propriam*; SUBDELEGATA, *quae exercetur ex missione habentis delegatam*, sic censenda est jurisdictio parochorum castrensium in Hispania; PROROGATA, *quae exercetur a judice non proprio mutuo partium contendentium consensu;* prorogatio vero potest esse *explicita* vel *tacita*, sicut etiam delegatio haberi valet *a jure* vel *ab homine*; ARBITRALIS, *quae exercetur in causa civili a*

privato non judice vi facultatis ipsi tamquam arbitro a litigantibus tributae.

7.° Ratione *formae,* in *voluntariam, liberam* seu *extrajudicialem, contentiosam, necessariam* aut *judicialem, accumulativam* seu *praeventivam* et *attributam:* VOLUNTARIA appellatur *quae extra judicium exercetur erga volentes, hoc est, absque contradictione partium;* CONTENTIOSA *quae a judice et adhibita formà judicii exercetur erga invitos seu contradicentibus partibus;* ACCUMULATIVA, *quae eodem jure a variis judicibus exerceri valet, sed tamen qui primum de causa cognoscit, eam prosequitur;* unde etiam nominari solet *praeventiva;* ATTRIBUTA denique denominatur *quae judici, communitati vel societati competit ex speciali concessione a potestati diversi ordinis facta,* ita Ecclesia aetate media jurisdictionem in res civiles exsercuit rogantibus Principibus, et Reges de negotiis religiosis interdum intelligunt privilegio vel concessione ipsius Ecclesiae, veluti Reges Hispaniae plurimis facultatibus in materias ecclesiasticas benignitate Sedis Apostolicae ornati sunt vi Magisterii (Maestrazgo) Ordinum Militarium illis titulo administrationis concessi, Regii Patronatus a Benedicto XIV recogniti, atque Concordatorum quae diversis temporibus inita fuere.

77. Potestas Ordinis a Potestate Jurisdictionis multiplici capite discriminatur: 1.°, *origine;* etenim Potestas *Ordinis* est Juris divino-positivi; *Jurisdictionis* vero Juris gentium: 2.°, *objecto;* Ordinis in conficiendis et ministrandis Sacramentis ac Sacramentales sita est; *Jurisdictionis* autem circa Ecclesiae regimen et disciplinam versatur: 3.°, *duratione; Ordinis* inamissibilis est; *Jurisdictionis* potest amitti: 4.°, *adquisitione; Ordinis* per sacram *ordinationem* obtinetur; *Jurisdictionis* per legitimam *missionem,* nempe, per electionem, postulationem, collationem et institutionem: 5.°, *exercitio; Ordinis* enim personalis et incommunicabilis est, ideoque nequit delegari; *Jurisdictionis* potest delegari et per alios excerceri.

His generalibus notionibus de Ecclesiastica Hierarchia praehabitis, antequam caeteros Potestatis Ecclesiae characteres exponamus, animadvertere oportet in tradendo Jure Publico nostri muneris tantum esse naturam et essentiam vestigare auctoritatis socialis, quae Ecclesiae a Christo institutae competit, ac proinde de Potestate Jurisdictionis in decursu hujus tractationis tanquam scopo pròprio nostrae Disciplinae loquemur.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

78. Secundus character: Potestas Ecclesiae SUPREMA est.—79. Quid ad potestatem *supremam* constituendam requiratur.—80. Independentia Potestatis Ecclesiasticae omni argumentorum genere adversus neotericorum errores vindicetur.—81. Probatio ex Sacra Scriptura desumpta.—82. Ex Traditione.—83. Ex Historia.—84. Ex Confessione Imperatorum et christianorum Principum.—85. Ex Jure Canonico.—86. Ex Ratione.—87. Ex Definitionibus Ecclesiae.

78. Praeter *institutionem* Potestatis Ecclesiasticae, singulari studio inquirenda modò venit *natura* (QUALIS) ejusdem Potestatis; demonstrandum igitur est Potestatem Ecclesiae a Christo Domino collatam vere et proprie SUPREMAM esse, quae quidem demonstratio tanquam omnium praestantissima habenda est, cum ex ea genuina natura et fundamentalis constitutio societatis, quam Christus instituit, juridice et perfecte dignoscatur.

79. Ad potestatem *supremam* plene constituendam duo sufficiunt atque requiruntur, nempe, ut in suo ordine sit independens ratione *naturae*, deinque completa et adaequata ratione *jurium*; atqui Potestas Ecclesiae in suo ordine vel genere a nulla alia auctoritate, nedum regia vel imperiali, pendet; caeterumque tribus essentialibus attributis instructa est, quae potestati societatis perfectae competere et inhaerere debent, scilicet, fa-

cultate *legifera, judiciali* et *exsecutiva*; ergo Potestas Ecclesiae *Suprema* est.

Minor enuntiati argumenti duabus partibus aut propositionibus constat, quae singillatim ac late evincendae sunt propter maximam hujus controversiae praestantiam.

80. Summopere refert, cum de Jure Publico agitur, ante omnia adstruere atque vindicare necessariam libertatem et essentialem Potestatis Ecclesiasticae independentiam ea mente et scopo, ut prorsus disjiciantur et funditus evertantur perniciosae theoriae atque erronea systemata, quae Protestantes, Caesaristae, Janseniani, Regalistae, caeterique omnes neoterici Ecclesiae Catholicae hostes commenti sunt, Regibus adjudicare non veriti jus interveniendi, judicandi et imperandi in res religiosas.

Jura idcirco sacratissima societatis divinitus institutae, supremamque ejus independentiam tueri ac propugnare cogimur omni argumentorum genere contra tot nefarios conatus et execrabiles usurpationes; quod ut melius praestetur et plenior in re tanti momenti habeatur demonstratio, plenam, absolutam omnimodam Potestati Ecclesiasticae competere Independentiam ostendemus argumentis ex Sacra Scriptura, Traditione, Historia, Confessione Imperatorum Christianorum, Jure Canonico, Ratione et Ecclesiasticis Definitionibus sumptis.

81. Probatur 1.° Independentia Potestatis Ecclesiasticae ex Sacra *Scriptura*. Inter testimonia prope innumera, quae ex Divinis Litteris pro nostra assertione constabilienda adduci possent, duo tantum textus seligimus, notissimos equidem et saepenumero allatos, sed thesim dogmatico-juridicam plane conficientes.

Christus Dominus, cum B. Petro Primatum verae jurisdictionis supra universalem Ecclesiam pollicitus est, naturam potestatis illi conferendae ita explicite de-

terminavit: *Tu es Petrus et super hanc petram* "aedificabo" *Ecclesiam meam.... Et* "quodcumque" "ligaveris" *super terram erit ligatum et in coelis, et* "quodcumque" "solveris" *super terram erit solutum et in coelis* (1). Ejusmodi testimonium triplicem probationem nobis suppeditat pro independentia Potestatis Ecclesiae ex verbis *aedificabo, ligaveris, solveris*, et *quodcumque* deductam: [a]) Christus in hoc loco metaphora utens Ecclesiam *aedificio* et fundamentum Petro comparat, ita ut, quemadmodum quaelibet aedificatio fundamento necessarie innititur, sic etiam Ecclesia, ejusque constitutio, regimen atque administratio in *petra*, hoc est, in Petro ejusque successoribus Romanis Pontificibus fulciri debeant: nunc vero, si Potestas Ecclesiastica a civili esset dependens, sequeretur Ecclesiam, contra mentem et institutionem sui Divini Fundatoris, jam non esse fundatam super Petrum sed super Reges et Principes saeculàres: [b]) omne quod *ligat* et *solvit* Petrus in terra, statim ligatum et solutum in coelo manet, quin, juxta sacrum contextum, inter potestatem Petri ligantis vel solventis et auctoritatem Dei sancientis ligatum vel solutum a Petro ponatur nulla alia potestas media ordinis civilis, facultate praedita moderandi vel impediendi exercitium potestatis legiferae Petri eorumque Successorum; sed, si auctoritas Principis Apostolorum atque Romanorum Pontificum penderet a potestate civili, vel Regibus subordinaretur, vel suo nutui et voluntati quocumque modo subesset, proculdubio Christus Dominus in Evangelio exegisset aut saltem memorasset ejusmodi beneplacitum, consensum, approbationem vel Principum interventum: [c]) limes potestatis a Christo Petro tribuendae et postea reapse collatae designatur per vocabulum *quodcumque*, adjectivum etiam *grammatice* sumptum valde indefinitum in gradatione indefiniti, omnem exceptionem, de-

---

(1) Matth. cap. XVI, vv. 18 et 19.

terminationem seu limitationem in suo analogico conceptu excludens; age jam auctoritas amplissima, cujus objectum *quodcumque* cunctas res ad religionem spectantes vel cum religione connexas indefinite amplectitur, minime componi potest cum potestate subordinata, dependenti et placitis Principum obnoxia.

Alterum testimonium dogma Ecclesiasticae Independentiae plene corroborans repetitur ex illo loco evangelico, in quo constat collatio potestatis Apostolis a JesuChristo hisce peremptoriis verbis tradita: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (1). Per haec verba Christus Dominus omnem suam potestatem Apostolis contulit; unde vi hujus supremae delegationis vel donationis Apostoli receperunt potestatem *divinam (data est mihi), immediatam (euntes ergo), omnimodam (omnis)* atque *plenissimam* hoc est, in sua extensione omnes res ecclesiasticas complectentem, uti eruitur ex verbis *docete* (potestatem docendi), *baptizantes* (potestatem conficiendi atque ministrandi sacramenta), *servare quae praecepi* (potestatem legislativam et coactivam ad regimen et politiam Ecclesiae): jam vero haec supernaturalis, directa, universalis atque suprema potestas, quam Christus Apostolis impertitus est, nec concipitur nec conciliatur cum subordinatione et dependentia; igitur origo divina, traditio immediata et omnimoda extensio auctoritatis Apostolis communicatae apertissime ostendunt tum plenitudinem Potestatis Ecclesiasticae, tum absolutam ejus Independentiam quoad *Dogma, Sacramenta* et *Disciplinam.*

82. Probatur 2.° ex *Traditione.* Sancti Patres et ecclesiastici scriptores veritatem fundamentalem, quam tuemur, unanimi consensu docent: speciminis gratia,

(1) Matth. cap. XXVIII, vv. 18, 19 et 20.

nonnulla testimonia luculentissima et penitus decretoria proferemus.

a) S. Athanasius Constantium Imperatorem increpans, eo quòd Episcopos catholicos e suis sedibus ejecerat, et arianis subrogaverat, ita loquitur: ***Quis canon praecipit ut e palatio Episcopus mittatur? Quis unquam tradidit comites inconsideratosque spadones ecclesiasticis praesse rebus? Quandonam a saeculo res hujusmodi audita est? Quandonam Ecclesiae Decretum ab Imperatore accepit auctoritatem?*** (1).

b) S. Ambrosius ad Imperatorem Valentinianum sic alloquebatur: ***Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea quae divina sunt imperiale aliquod jus habere.... ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiae*** (2).

c) S. Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem scribit: ***Duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas, utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia est*** (3).

d) Magnus Hosius Episcopus Cordubensis imperatorem Constantium hisce notissimis verbis strenue objurgabat: ***Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus praecepta mandes: sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue ne, si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias:*** REDDITE, *Scriptum est,* QUAE SUNT CAESARIS CAESARI, ET QUAE SUNT DEI DEO. ***Neque nobis igitur terrae imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem*** (4).

83. Probatur 3° ex *Historia*. Monumenta certissi-

(1) Epist. *ad Solitarios.*
(2) Epist. XX, n. 16. *ed. maur.*
(3) Epist. *ad Anast. imperat,* anno 494.
(4) Apud S. Athanas. in *Historia arianorum,* n. 4.

ma et authentica, quae *critice* spectata nemini respuere licet, nobis invictissime potefaciunt Ecclesiam a suis incunabulis ad nostra usque tempora indessinenter sibi vindicasse plenam et omnimodam Independentiam in sua constitutione, regimine et disciplina, et quidem non solum *doctrinaliter* prope innumeris documentis publicis, quae paulo post afferemus, verum etiam *practice*, uti ostendunt sequentia facta, quae, ne longiores simus, tantum insinuare sufficiat.

a) Ex Actibus Apostolorum constat Ecclesiam non modo sese constituisse contra praeceptum Synagogae, quando Apostoli firmiter et animose coram Synedrio Judaico responderunt: *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus* (1), sed etiam suam primaevam disciplinam ordinasse, auctoritatem agistratuum hebraeorum omnino posthabita; hinc legimus: *Perambulabat* (Paulus cum Sila) *autem Syriam, et Ciliciam, confirmans Ecclesias: praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et seniorum* (2); atque de Paulo et Timotheo dicitur: *Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Hierosolymis* (3).

b) Ante pacem constantinianam, Apostoli primum et eorumdem Successores deinceps auctoritate propria ac independenti, immo etiam repugnante potestate politica, in universo Imperio Romano religionem propagarunt, Ecclesias fundavere, cunctasque res spirituales ad novam societatem christianam pertinentes ordinare per se curarunt.

c) Post pacem obtentam Edicto Mediolanensi, ipsi Imperatores Romani Sacram Ecclesiae Independentiam pro fidelibus regendis et propria organizatione sta-

---

(1) Act cap. V, v. 29.
(2) Ibid cap. XV, v. 41.
(3) Ib. cap. XVI, v. 4.

tuenda palam atque solemniter agnoverunt, uti in sequenti probatione patebit.

d) Ex tunc usque hodie, nempe, a saeculo IV ad nostram usque aetatem Historia aperte testatur Ecclesiam, quoties Imperatores vel Reges negotiis religiosis sese immiscere conati sunt, quascumque potestatis civilis invasiones in res ecclesiasticas prorsus rejecit et perpetuo damnavit; sic intrusionibus Constantii, Valentis caeterorumque Imperatorum Orientalium fortiter restitit antiquis temporibus; ita medio aevo usurpationes Imperatorum Occidentis, Henrici II Angliae regis et Philippi IV Galliae *Pulchri* nuncupati perfortiter repulit atque anathematizavit; pariter demum aetate novissima praetensionem *Placiti Regii* saepenumero propulsavit et multiplici damnatione protrivit.

Probatur 4.° ex *Confessione* Principum. Praetermittimus brevitati consulentes publicam doctrinae catholicae professionem a piissimis Imperatoribus et interdum a Regibus etiam haereticis solemniter emissam; notissima equidem atque vere ineluctabilia sunt testimonia Constantini *Magni* (1), Valentiniani I (2), Honorii (3), Valentiani III (4), Theodosii *Junioris* (5), Theodorici, licèt hominis ariani (6), et Justiniani (7); sed silentio praeterire nequimus duas luculentas et praeclarissimas declarationes magni momenti et maximae auctoritatis pro Ecclesiastica Independentia, aliam ex antiquitate sumptam, aliam vero ex aetate media depromptam.

a) Imperator Basilius in Concilio Oecumenico VIII ita ad laicos alloquutus est: *Nullo modo vobis licet de ec-*

---

(1) Rufinus-*Hist. Eccl.* lib. I, cap. 2.
(2) Apud Sozomenum-*Hist. Eccl.* lib. VI, cap. 7.
(3) Epist. *ad fratrem Arcadium in causa S. Joannis Chrysostomi.*
(4) In Novella *de Episcoporum Ordinationibus*, in Codice Theodosiano.
(5) *Ad Synodum Ephesinam*
(6) *In IV Syn. Rom.* sub Symmaco Papa.
(7) In Novella 83. C. 1.

clesiasticis causis sermonem movere. Haec enim investigare Patriarcharum, Pontificum et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt et coelestes adepti sunt claves; non nostrum, qui pasci debemus (1).

b) Medio aevo, Ludovicus VII Francorum Rex de Friderico I Imperatore Aenobardo dicto potestati Ecclesiae contradicente ita sapientissime ad Evangelii sensum scripsit: *An ignorat praedictus Imperator, quod Dominus noster Jesus Christus, cum esset in terris, B. Petro, et per eum universis successoribus ejus oves suas pascendas commisit? Nonne audivit in Evangelio ab eodem Dei Filio eidem Principi Apostolorum esse dictum* "Simon, diligis me? Pasce oves meas„. *Numquid sunt hic Francorum Reges, vel aliqui Prelati excepti?* (2).

c) Recentiori aetate, nostris praesertim diebus, infauste vix exempla adduci queunt; excepto enim glorioso athleta et perillustri Reipublicae Ecuatorialis Praeside Garcia Moreno, qui sicariorum manibus heroice occubuit, fere omnes Principes et Summi Imperantes vel rebellionem adversum Ecclesiam Catholicam consummarunt, vel emancipationem ab ejus salutari tutela et divina auctoritate proclamarunt, vel ingrato animo et criminali indifferentia hortamenta atque monita tam piae et amantissimae Matris passim spernunt.

85. Probatur 5.° ex *Jure Canonico*. In Jure plures reperiuntur canones hac de re, quos ex monumentis authenticis desumptos apud Decretum Gratiani (3) perlegere quisque facile poterit: nonnullos heic summatim allegabimus.

Can. I (Nicolai I): *Lex Imperatorum ecclesiastica jura disolvere non potest;* can. III (Felicis III Papae): *In*

---

(1) *Orat. Basil. Imp. in Concil. VIII. Act. X*, apud Labb. tom. VIII, col. 1184.
(2) *Apud Baronium ad an.* 1162, *n.* 10.
(3) *Distinctione X.*

ecclesiasticis causis Regis voluntas socerdotibus est postponenda; can. V (Nicolai I ad Michaelem imp.): *quae sacerdotum sunt Regibus usurpare non licèt*; can. VI (S. Gregorii Nazianz.): *Tribunalia regum sunt sacerdotali potestati subjecta.*

86. Probatur 6.° *ex Ratione.* a) Facultas regendi, judicandi, legesque circa res ecclesiasticas condendi absque ulla dubitatione est actus jurisdictionis, ad cujus exercitium, juxta Tridentinam definitionem in praecedenti articulo allatam, duo requiruntur, *ordinatio* valida et legitima *missio*; atqui Reges, quatenus tales sunt, hoc est, ratione principatus et vi supremi imperii utraque conditione essentiali carent; igitur nulla auctoritate funguntur ad moderanda, judicanda vel jure proprio dirimenda religiosa negotia, ideoque potestas Ecclesiae plene independens est in iis, quae ad suum ordinem referuntur, a quocumque civili imperio vel politica auctoritate.

b) Si potestas Ecclesiae Principibus vel saecularibus Magistratibus subesset, tria sequerentur absurda prorsus rejicienda, nisi admittatur vel supponatur Divinum Ecclesiae Fundatorem ipsius fini non providisse sufficienter: 1.° recta Ecclesiae administratio precaria foret, siquidem tota a bona voluntate Principum penderet; hinc si bonum regimen haberetur, ejusmodi ordo atque sapiens gubernatio exsurgerent *fortuito* et *per accidens*, non *permanenter* et *per se*, id est, ex natura facti et institutionis divinae, nisi Deus mentem voluntatemque Principum continuis miraculis concordes efficeret, quod esset falsum asserere, et absque ulla necessitate multiplicare miracula; 2.° Ecclesiae unitas scinderetur, immo vero penitus corrueret, quandoquidem multi essent Reges vel Supremi Moderatores societatis civilis pari jure praediti in territorio proprio; atque idcirco deficeret unitas proprie juridica seu regiminis, et tantum adesset quaedam unitas afectuum, veluti inter societates amica-

les et foederatas habetur; 3.° Christus Dominus, Ecclesiam suam condendo, stulte egisset, quod sine haereticali blasphemia affirmari nequit, etenim curam atque defensionem societatis supernaturalis ab ipso institutae suis hostibus quovis tempore commisisset, nempe, Caesaribus Paganis teterrima persequutionum epocha, posterioribus saeculis Imperatoribus rebellibus et Regibus perjuris, et etiam nunc Principibus hostilibus in statibus acatholicis, nationibus incredulis et regnis infidelium; adeoque in his omnibus locis ac ditionibus Ecclesia proprio rectore orbaretur, et ad precariam societatis acephalae atque deficientis conditionem usque deveniret.

87. Probatur 7.° ex Ecclesiae *Definitionibus*. Denique erronea Jansenianorum et Regalistarum theoria Ecclesiae libertati injuriosa, ejusque sacrae independentiae laesiva, pluries damnata est, praesertim vero: a) a Bulla *Coenae* saltem a tempore Martini V, et quamvis hodie non publicetur ut olim Feria V Majoris Hebdomadae, vigens censetur et sufficienter promulgata, eo quòd dogmatica sit atque explicitam Ecclesiae doctrinam circa suam a potestate civili independentiam contineat; b) ab iis omnibus documentis Pontificiis, in quibus categorice et ex professo reprobatae fuerunt usurpationes civilis auctoritatis superioritatem in ecclesiasticis negotiis sibi vindicantis, cujusmodi sunt inter alia Constitutiones Clementis XI *Nova semper* (29 Nov. 1714) et *Accepimus* (11 Jan. 1715), Const. Clementis XIII *Alias ad Apostolatus* (30 Jan. 1760), Const. Pii IX *Probe nostis* (9 Mai. 1853); c) a Syllabo sequentibus propositionibus: XX—"Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu„; XXXIII — "Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam„; XLI — "Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas

indirecta negativa in sacra„; XLIV—Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent„; LIV — "Reges et principes, non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia„; [d]) a Vaticana Synodo in Const. Dogmatica de Ecclesia Christi *Pastor aeternus*, quae in cap. III defensores dependentiae vel subordinationis Ecclesiae aperta damnatione contrivit verbis toties laudatis: "Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, *aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam*, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur„.

ARTICULUS III.

SUMMARIUM.

88. *Qualis* esse debeat Potestas Ecclesiae ratione *jurium*.— 89. Notio *juridica* potestatis *adaequatae* seu *completae* in societate perfecta.— 90. Potestas *legifera*.—91. Potestas *judicialis*.—92. Potestas *coactiva*, vel prout alii malunt, *exsecutiva*.

88. Secunda conditio, qua instructa esse debet Potestas Ecclesiae, ut vere sit et vocari queat SUPREMA intra suum ordinem, in eo sita est, quòd proprie et juridice *adaequata* seu *completa* existat ratione *jurium*, hoc est, quod tribus attributis potestati independenti necessario atque essentialiter inhaerentibus polleat, scilicet, facultate *legislativa, judiciali* et *coercitiva* seu, uti alii malunt, *exsecutiva*.

89. Ad notionem juridicam potestatis *completae* in societate perfecta intime dignoscendam et recte de-

terminandam, finem proprium et adaequatum societatis, tamquam praecipuum ejus elementum, inspicere atque perpendere necessum est, siquidem potestas nihil aliud est quam complexus jurium, quae cuilibet societati perfectae *pro sui natura* competunt; sed cum a fine pendeat non solum *specificatio, status juridicus* et *interna constitutio* societatis, verum etiam omnia jura societati perfectae competentia, hinc qualitas et quantitas potestatis socialis in suos a natura finis desumenda est, seu quod idem est, natura finis mensura est potestatis.

Unde optimo jure statuere possumus sequens fundamentale principium: "*Potestas adaequata societatis perfectae ea omnia jura complectitur, quae necessaria sunt ad assequendum finem socialem,* SALVO ORDINE FINIUM *seu servata subordinatione ad ordinem superiorem.*"

Ex hoc fundamentali principio eruuntur quatuor regulae juridico-naturales, quae potestatem adaequatam et completam societatis perfectae clare et distincte declarant ac definiunt:

1.ª *Societas perfecta jure* POTEST *exigere a sociis quae necessaria sunt ad finem plene consequendum.*

2.ª *Societas perfecta* NEQUIT *a consociatis exigere quae ad finis assequutionem minime necessaria sunt.*

3.ª *Societas perfecta* NON VALET *per se ordinare et determinare ea quae sunt necessaria ad finem, sed pertinent ad quemdam ordinem superiorem.*

4.ª *Societas perfecta* POTEST *jure, per se loquendo, urgere vel exigere ab associatis necessaria fini plene assequendo, quamvis sint ordinis superioris, semel ac ordinata et determinata competenti auctoritate fuerint.*

His regulis praejactis et constitutis, heic pro re nostra tantum refert primam probare et exponere; reliquas vero innuere contenti erimus, ut, cum in decursu hujus tractationis opus sit, data opportunitate in memoriam iterum revocemus.

Prima regula sequenti argumentatione probatur:

cum jura et officia, prout ab exordio nostrae disceptationis praemonuimus, *correlativa* sint, jus aliquid exigendi necessario respondere debet officio, quod alteri parti incumbit, illud praestandi; atqui in qualibet societate pro sua natura singula ejus membra officio obstringuntur tendendi ad finem socialem mediis proportionatis; et quidem *officio obstringuntur* vel sponte suscepto, cum agitur de societate voluntaria ex pacto legitimo inita, vel recte imposito, si sermo sit de societate necessaria ex jure praevalenti constituta; atque etiam officio obstringuntur *tendendi ad finem socialem mediis proportionatis,* etenim socii semel obligati ad consequendum finem, eo ipso obligati remanent ad conferendas suas vires omniaque media adhibenda, quae ad finem ducunt, secus magna sequeretur contradictio; lex enim naturae rem vere imposibilem exigeret, nempe, adeptionem finis sine mediis congruentibus: igitur, si in omni hominum congregatione sociis inest vera et proprie dicta obligatio media ad finem ordinata applicandi, societas ipsa jus habet exigendi ab associatis ea omnia, quae necessaria vel utilia existimantur ad plenam et tutam finis consecutionem.

Nunc vero, ex hac prima regula generali et juridico naturali colligitur totum systema potestatis, qua fungitur societas perfecta in suos, quandoquidem ex ea profluit adaequata divisio potestatis in *legiferam, judiciariam* et *coactivam,* seu, si melius placet, *exsecutivam.*

Et re quidem vera, juxta praefatam regulam, tota potestas, quae vi suae naturae societati perfectae competit *in suos,* sita est in jure exigendi ea omnia, quae necessaria vel utilia putantur ad finem plene integreque obtinendum; age jam, ad plenam et integram finis adeptionem tria haec tantum requiruntur: 1.° *propositio obligatoria* mediorum, quae in finem perducunt; 2.° *recta applicatio* eorumdem, hoc est, usus atque positio mediorum juxta eum modum ac sensum, quo proposita

fuerint; 3.° *externa coactio vel coercitio* renuentium aut impedientium ejusmodi applicationem; sed praecise primum horum trium constituit potestatem *legiferam*, alterum *judicialem*, et tertium *coactivam* seu *coercitivam* (1);, ergo ex praedicta generali regula plane consequitur tum notio juridica potestatis completae, qua gaudet societas perfecta in adsociatos, tum etiam adaequata ejusmodi potestatis partitio in triplicem memoratam facultatem, de qua seorsum loquemur.

90. Potestas *legifera* definitur: *Jus proponendi modo obligatorio media necessaria ad societatis finem assequendum*, seu quod idem est, *facultas leges obligatorias ferendi pro consecutione finis socialis;* etenim omnis lex in propositione alicujus medii consistit.

Societati perfectae competere potestatem legislativam in suos ex ipsa ratione constat: ut supra ostendimus, societas perfecta jure pollet exigendi a consociatis quidquid necessarium est ad finem adipiscendum; sed ad finis consecutionem quaelibet agentium multitudo in eumdem scopum colligata, spectata triplici difficultate, quae ex multiplici humani intellectus *diversitate*, frequentissima voluntatis *inconstantia*, indomitoque cupiditatum *aestu* exsurgit, indiget potestate aliqua jure instructa designandi media, omnes quead eadem adhibenda cogendi, in quo equidem sita est potestas legifera; igitur cuilibet societati perfectae integre, absolute et certissime competit facultas leges condendi.

---

(1) Hodie in scholis juridicis potestas publica societatis perfectae passim tribui assolet in *legislativam*, *judicialem* et *exsecutivam*, et tunc coactiva in postrema continetur; etenim, juxta tractatores Juris sive Naturalis sive Publici, tres sunt attributiones potestatis *exsecutivae*: 1.ª facultas gubernii seu regendi personas; 2.ª jus administrationis, hoc est, curandi bona; 3.ª potestas coactiva.

Nos in tradendo Jure Ecclesiastico tritam et communiter receptam divisionem in potestatem *legiferam*, *judicialem* et *coactivam* sequemur, quia pro scopo nostro attingendo sufficiens videtur et simplicior apparet.

91. Potestas *judicialis* nuncupatur: *Jus declarandi modo obligatorio rectam mediorum applicationem actionibus subditorum*, vel *facultas determinandi verum legum sensum, cognoscendi in concreto de sociorum actionibus, atque definiendi quaenam sint juri conformes vel difformes.*

Ex hac definitione colligitur judicium potestatis judicialis posse esse: 1.° ratione *extensionis*, mere *juridicum*, mere *empiricum* et mixtum seu *empirico-juridicum;* theoreticum aut *mere juridicum* circa rectum modum legis applicandi versatur; *mere empiricum* circa naturam facti; et mixtum seu *empirico-juridicum* relationem facti ad legem inquirit, in cujus declaratione consistit sententia: 2.° ratione *materiae, civile* et *criminale;* judicium *civile* dicitur quod jus controversum dirimit, aut de juris privati laesi restauratione agit; *criminale* autem appellatur quod juris transgressionem, transgressionisque poenam respicit, seu de violati publici ordinis restauratione judicat.

Ratio naturalis invictissime cuique suadet societati perfectae competere potestatem judicialem in suos: et sane, societas perfecta ex dictis jure gaudet exigendi a sociis cuncta necessaria ad finem assequendum; sed pro fine sociali obtinendo minime sufficit propositio obligatoria mediorum, quae per potestatem legislativam fit, sed requiritur etiam recta eorumdem applicatio, hoc est, ut media proposita adhibeantur juxta eum sensum ac modum quo proposita sunt. Nunc vero, praesupposito triplici obice nuper recensito, quod in qualibet agentium multitudine semper supervenit, et removere fere imposibile videtur propter naturalem humani intellectus *varietatem,* insitam voluntatis *mutabilitatem* atque vehementissimum passionum *aestum,* media ad finem ordinata, utut sufficienter sint proposita, rite applicari nequeunt, nisi in ipsa societate agnoscatur potestas vi obligandi praedita, quae judicare possit de vera et justa mediorum applicatione tum *in se,* hoc est, germa-

num et legitimum legum sensum determinando, tum *relate ad sociorum actiones*, id est, facta peculiaria perpendendo, eorumque conformitatem vel difformitatem genuino legum sensui definiendo; atqui haec duplex attributio seu facultas, quae auctoritati sociali inesse debet pro recto mediorum usu et tuta finis assequutione, potestatem judiciariam constituit; ergo ipsa necessariò et essentialiter societati perfectae competit.

Praeterea, si societas perfecta jure potitur leges ferendi, eo ipso eidem competit prima pars potestatis judicialis, nempe, facultas explicandi atque finiendi leges: 1.° quia ejus est cognoscere de vero legum sensu, cujus est condere leges; 2.° quia nemo melior interpres est, quam ipse sui; 3.° quia jus exponendi et cognoscendi de legibus cohaeret necessario potestati legiferae, quae inutilis prorsus evaderet, si alteri independenter a legislatore tribueretur facultas vel arbitrium eas subjective interpretandi.

Demum, si societati perfectae integrum est, velut jus proprium et ineluctabile ex potestate legifera derivatum, declarare et definire leges, ipsi etiam adscribenda est tamquam logicum consectarium secunda pars seu munus potestatis judiciariae, nimirum, jus inquirendi ac pronuntiandi, utrum actiones sociorum sint necne vero legum sensui conformes aut juris praescritionibus consentaneae; siquidem ejus esse debet cognoscere et judicare de consonantia vel dissonantia actionum proprio et genuino legum sensui, cujus est explanare atque determinare rectam legum intelligentiam; sed hoc ad potestatem legislativam in societate perfecta, constitutam attinet; igitur societas perfecta, praeter potestatem legiferam et judicialem in sensu theorico seu juridico spectatam, habet insuper potestatem judiciariam practice et mixte consideratam, hoc est, examinandi simul actiones sociorum atque judicandi de relatione earumdem cum sensu legum.

92. Potestas *coactiva* dicitur: ***Jus vim physicam adhibendi in personas ad consecutionem finis socialis,*** vel quod idem est, ***facultas vi externa cogendi pro fine sociali obtinendo omnes contumaces*** (sive renuentes, sive contemnentes, sive impedientes fuerint) ***ad ponenda media, quae per potestatem legiferam proposita sunt, necnon ad eadem recte applicanda juxta eum modum et sensum, quo proposita sunt.***

Ex juris naturalis principiis plene ostenditur societatem perfectam necessario potiri debere etiam potestate coactiva aut coercitiva supra cunctos adsociatos, quod quidem simplici argumentatione demonstratur:

Societas perfecta, communi omnium suffragio, essentiali atque indubitato jure gaudet tum exigendi a sociis, tum per se praestandi quidquid necessarium aestimatur ad finem consociationis obtinendum; atqui potestas coactiva necessaria omnino est pro fine sociali assequendo; ergo societati perfectae certissime competit.

Veritas propositionis majoris absque contradictione ab omnibus admittitur et conceditur, minor tantum probanda remanet, quod ita conficimus: in qualibet humana societate pro consecutione finis et ordinis conservatione sufficeret potestas *mere directiva,* nempe, quaedam potestas magisterii, quae media doceret, modumque ea adhibendi patefaceret, si ob ignorantiam tantum impediretur finis socialis et tranquillitas publica turbaretur; jam vero, praeter hanc causam necessario agnoscendae sunt tres aliae, quae assecutionem finis socialis praepedire et publicam perturbationem inducere possunt, videlicet, *malitia* in delinquentibus, *contumacia* in criminalibus, atque naturalis vitii *necessitas* in dementibus vel morbo pestilenti infectis; sed omnes perfecte norunt malitiam, contumaciam, et multo magis naturalem necessitatem, nonnisi vi externa adhibita cohiberi posse; igitur societas perfecta, si suo fini persequendo,

temporali civium felicitati promovendae et paci publicae tutandae intendere tenetur, potestate *coactiva* instructa esse debet, tamquan medio efficacissimo contumaces vi externa coercendi, sive illi renuant applicare media, quae per potestatem legiferam proposita sunt; sive nolint decretis potestatis judicialis eadem rite applicari jubentis parere; sive demum societatis finem aut mediorum oeconomiam quoad alios impediant.

Caeteroquin, societati perfectae competit, uti supra exposuimus, potestas legislativa et judiciaria; age jam, utraque potestas inutilis redderetur, inefficax foret atque prorsus irrisoria evaderet sine potestate coactiva, quandoquidem perversi homines infringere, spernere vel impedire possent, quae legis praecepto vel sententia essent praescripta; oportet igitur societas vi coactiva polleat, tamquam sequela necessaria et legitimo corollario ex duplici potestate legifera et judiciali deducto.

ARTICULUS IV

SUMMARIUM.

93. Consectaria quae ex conceptu juridico-naturali potestatis adaequatae derivantur.—94. Consectaria ad *legum theoriam* spectantia. —95. Consectaria relate ad ordinem *judicialem*.—96. Consectaria circa systema *criminale* atque *poenale*.—97. Genuina natura potestatis *coactivae*.—98. Vera notio systematis *criminalis*.—99. Legitimum fundamentum systematis *poenalis*.

93. Ex conceptu juridico-naturali potestatis adaequatae, quae societati perfectae inesse debet, logice derivantur tria corollaria magni momenti relate ad ordinem *legalem*, *judicialem* et *coercitivum* cuilibet humanae societati necessarium: 1.° ex potestate *legifera* infertur tota theoria vel systema de *legibus* omni parte absolutum: 2.° ex potestate *judiciaria* eruitur inefficacia et insufficientia potestatis *arbitralis* et *privatae* pro tutela et conservatione ordinis socialis; 3.° ex potestate *coerciti-*

va colligitur genuina natnra facultatis coactivae, ideoque vera notio et legitimum fundamentum systematis *criminalis* et *poenalis* in humanis societatibus.

94. Quoad consectaria ad *legum theoriam* spectantia, heic explicanda veniunt quatuor doctrinae legalis capita: 1.° *natura* et *divisio* fundamentalis omnis legis; 2.° *materia* legis; 3.° *forma* legis; 4.° *extensio* legis.

Natura. Ex dictis manifestum est quamlibet legem nihil aliud esse quam propositionem alicujus medii sive positivi sive negativi obligatorio modo ab eo factam, in quo societatis potestas residet, ad ipsius societatis finem immediate vel mediate assequendum, ordine superiori servato: hinc exsurgit divisio fundamentalis legis; etenim si medium propositum fuerit *positivum*, lex erit praecipiens seu *affirmativa*; si vero *negativum*, habebitur lex prohibens seu *negativa*, ad quam *permissiva* revocatur, quippe quae prohibet molestari eum qui aliquid fecerit aut omiserit. Rectissime igitur a D. Thoma lex definitur: *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata* (1), quibus verbis clarissime traditur vera et adaequatia legis notio, quae sita est in regula agendi *rationabili*, ad finem societatis *ordinata*, ejusdemque membris obligatorio modo *proposita* ab ipso adsociationis moderatore.

Materia. Dicitur *materia* legis ipsa regula agendi seu norma notris actionibus proposita, quae, juxta Angelici Doctoris definitionem, duplici qualitate praedita esse debet, ut sit vere *ordinatio rationis ad bonum commune*, nimirum, debet esse 1.° *rationabilis*, id est, honesta ordinique conformis; 2.° *utilis*, hoc est, ita apta, ut ad finem societatis proprium ducat.

Forma. Vocatur autem *forma* legis recta propositio normae seu sufficiens significatio societatis membris

---

(1) 1.ª 2.ªᵉ q. 90, ar. 4.

facta per modum obligationis ab eo qui auctoritate sociali potitur: diximus recta seu sufficiens significatio regulae, quia, ut promulgatio legis rite facta et sufficiens habeatur, duo communi calculo requiruntur: 1.° publicationem legis ita fieri, ut ejus notitia pervenire ad omnes *moraliter* possit; 2.° primam legis propositionem *authenticam* esse, hoc est, ita peractam, ut dubitari nequeat eam ab illo prodiisse, in quo societatis potestas residet; sed nullo modo eadem conditio a *propagatione* vel in *propagatione* exposci debet.

Ex hoc duplici legis conceptu tum *materialiter*, tum *formaliter* sumptae aperte liquet quamcumque legem nullam esse posse vel *ex defectu materiae*, si regula proposita alterutra ex praedictis qualitatibus, id est, honestate vel aptitudine conducendi ad finem manifeste careat; vel *ex defectu formae*, cum regula non fuerit sufficienter proposita seu promulgata; aut fuerit proposita per modum consilii, non autem per modum obligationis; aut postremo ab alio proposita fuerit, quam ab illis, qui legitima potestate in communitate vel consotiatione gaudent.

Extensio. Circa objectum legis animadvertere oportet ipsam, limitibus honestatis et utilitatis servatis, ut *rationabilis* existat, juxta traditam definitionem (*ordinatio rationis*), ita in sua notione universalem esse, ut cuncta *media* sive positiva sive negativa ad finem consequendum amplectatur, ideoque potestatem legiferam proponere ac praecipere posse ratione medii ea omnia, quae ad finem necessaria putentur.

Tamen, ut in specie praecipua objecta, quae sub competentia legis cujuslibet societatis perfectae atque idcirco potestatis legiferae in eadem constitutae cadunt, etsi leviter recenseamus, sequentia innuere sufficiat, de quibus Juris Publici scriptores seorsim agere consueverunt: 1.° jus constituendi minores magistratus, atque locum circumscriptum definiendi ipsorum jurisdi-

ctioni; etenim in societatibus humanis adeo numerosis delegatio potestatis supremae et ejusdem exercitium in territorio determinato ad ordinatum societatis amplae regimen maxime conducit; 2.° jus perfectum, nativum et proprium possidendi bona temporalia pro conventibus publicis celebrandis, magistratuum substentatione, aliisque mediis sibi procurandis; 3.° jus exigendi a sociis tributa, unde adsociationis necessitatibus consulatur, quoniam media humana ab iis suppeditari debent in quorum utilitatem cedunt, ut ita illi sustineant incommodum, qui et commodum persentiunt; 4.° jus adquirendi dominium stabile seu veram proprietatem, siquidem ex omnibus mediis temporalibus hoc equidem optimum videtur propter securitatem rerum et aequalitatem reddituum; 5.° jus etiam proprium et nativum bona tum mobilia tum immobilia libere administrandi, tamquam legitima sequela facultatis adquirendi, possidendi et utendi; 6.° jus interdicendi quidquid societati ejusque fini perniciosum esse existimatur, uti lectionem pravorum librorum, propagationem doctrinae ordinem publicum subvertentis, spectacula honestati et rectae morum institutioni adversantia, etc., quia haec omnia mentem et cor depravant et fini societatis humanae proprio, nempe, felicitati temporali et paci publicae repugnant.

95. Quod ad ordinem *judicialem* respicit, duo potissima corollaria deducuntur: 1.° insufficientia potestatis *arbitralis* pro pace inter socios tutanda; 2.° insufficientia potestatis *privatae* ad jurgia componenda et jus cuique tribuendum.

Insufficientia potestatis *arbitralis*. Potestas quam *arbitri*, id est, privati judices a contendentibus electi exercent, sufficiens haberi nequit in societate perfecta duplici potissimum ratione: 1.° ex defectu *auctoritatis* seu *juris proprii*, etenim tantum interveniunt invocati, ideoque non solum jus judicandi eis confertur ex pacto,

verum etiam modus judicium exercendi ex pacto pendet, necnon retractari vel modificari ex voluntate reciproca contendentium potest; at vero in societate perfecta adesse debet potestas jure proprio insignita interveniendi in litibus et contentiones dirimendi, ordine judiciali servato efficaciori et expeditiori, absque alia limitatione, quam illa quae ex justitia et ipsa rei natura necessario oritur; 2.° ex defectu *coactionis* vel *sanctionis*, quippe arbitri non pollent vi *cogendi* socios ut stent ipsorum sententiae, sed tantum gaudent vi *directiva*, cui partes tenentur stare ex pacto; et quamvis generatim leges civiles et canonicae adigunt alterutram partem ad servandum *laudo* arbitrorum, si altera urgeat, tamen contendentibus integrum est pro sua libidine privataque utilitate a pacto recedere, unde media non applicarentur secundum eum sensum ac modum quo a potestate legifera proposita sunt: eapropter societas perfecta judicare debet de controversiis inter consociatos exortis cum facultate propria tam ferendi sententiam quam ad ejus exsecutionem obligandi.

Insufficientia potestatis *privatae*. Deinde judicium *privatorum* prorsus inefficax censendum est ad quaestiones sociales solvendas, et hoc triplici de causa: 1.° ex defectu *competentiae*, siquidem *excepto Principe* seu eo qui suprema auctoritate potitur, nemo judex est in causa propria; hinc, si quando controversiae inter socios exsurgant, cum munus declarandi legem ejusdem auctori incumbat, jus eas dirimendi non ad singulos privatos attinebit, sed potestatis socialis proprium atque exclusivum erit; 2.° ex defectu *superioritatis*, si enim facultas judicandi privatis competeret, ad utrumque contendentem spectaret; sed cum eodem jure polleant, atque eo ipso sint respective independentes, nemo praevaleret; hinc ex alia parte sententia et decisio numquam obtineri posset, ex alia vero, cum media pacifica non sufficerent ad partes concordandas, nullum aliud superesset

medium nisi bellum, ut unaquaeque pars contendens vi mediante suum jus prosequeretur, quod quidem societatem humanam funditus everteret, e medio tollendo mutuam conspirationem ad bonum commune; 3.° ex defectu *rectitudinis*, quia, teste propria et quotidiana experientia, ita praejudiciis abripimur, ut judicia nostra, quando de rebus nostris agitur, cupiditati magis, quam aequitati facile faveant.

Principem superius *excepimus*, nam repugnat Principem ut talem, hoc est, tamquam personam publicam caeterisque superiorem, in suis controversiis aliis subjici; aliunde ad conservationem societatis et ad finis assequutionem pertinet, ut is, in quo societatis jura plene resident, habeat jus ea imperandi, quae sibimetipsi opportuniora videntur, suoque judicio caeterorum judicia subjiciendi. Tamen maxime expedit, uti fers frequens usus fere omnium populorum, ut Principes suas privatas causas non judicent, sed judicibus delegatis committant, eisdem relinquendo veram perfectamque libertatem in ferenda sententia vel proponenda solutione.

96. Demum ex conceptu juridico-naturali potestatis coactivae fluunt tria praecipua consectaria cum ordine *criminali* et *poenali* intime copulata et speciali mentione digna: 1.° genuina natura potestatis *coercitivae*; 2.° vera notio systematis *criminalis;* 3.° legitimum fundamentum systematis *poenalis*.

97. Natura potestatis *coactivae*. Ad definiendam naturam potestatis coactivae tria investigare oportet, nimirum, ejus *originem, finem* atque *jura*: a) fundamentum naturale seu titulus ex quo *oritur* potestas coactiva est necessitas tutelae ordinis socialis et vis physicae proportio eidem tutelae, ne finis socialis assecutio ex toto vel ex parte impediatur; b) *finis* in conservatione ejusdem ordinis socialis situs est, ad quam tutela natura sua ordinatur; c) *jura*, quae potestati coercitivae vel exsecutivae, si melius placet, competunt, possunt spe-

ctari *ante laesionem* ordinis socialis, *in ipsa laesione* seu *in actu aggressionis*, et *post laesionem*.

Ante laesionem, potestati coercitivae incumbit officium *conservationis* ordinis socialis,. cui respondent tria jura: jus *praeventionis* pro servandis bonis sociorum; unde prudentes et necessariae cautelae contra delicta et aggressiones, ne discrimini exponatur ordo publicus vel ne innocentes inutili vexationi subjiciantur; hinc leges contra vagos, otiosos, aliosque vere suspectos, de quibus certitudine quadam morali judicari potest eos ordinem socialem turbaturos esse: jus *censurae* pro impedienda in publicis scholis, in comitiis, in libris, foliis et ephemeridibus typis editis propagationem doctrinae mentem vel cor pervertentis: jus *regiminis urbani* seu institutionis specialis, mediis secretis ut plurimum utentis (hispanice *Policia*), ad praevenienda delicta et simul eorum auctores facile detegendos, postquam patrata sunt.

In ipsa laesione seu in actu aggressionis, potestati coactivae incumbit officium *defensionis* ordinis socialis, cui respondent duo jura: jus *repressionis* vel *coercitionis*, si actio ordinem socialem turbans voluntaria et criminalis sit, utpote malitia et contumacia posita: jus *reclusionis* vel *separationis*, quando actio societati nocens et publicam tranquillitatem subvertens involuntaria fuerit, quatenus ex vitio naturae profecta, uti fit in furiosis, pestilentibus, hisque similibus.

Post laesionem vero, potestati exsecutivae inest officium *restaurationis* ordinis socialis, cui haec quatuor jura respondent: jus *punitionis* propter *emendationem* delinquentis, *exemplaritatem* caeterorum civium et *expiationem* delicti; et quidem in *materia, qualitate* et *proportione* conservationi ordinis socialis adaequata: jus *veniae* seu ignoscendi, cum, attentis specialibus circumstantiis, indultum a suprema potestate cenceditur, etenim aliquando poenae condonatio Reipublicae et paci sociali

expedire potest: jus *carceris* et temporalium poenarum pro vitanda renovatione aut reiteratione criminum, fragendaque contumacia eorum sontium, qui ita in mala agendi ratione obdurati manent, puta latrones in ordine temporali et haeretici dogmatizantes in ordine spirituali, ut, nonnisi carcere aliisque temporalibus poenis adhibitis, coerceri atque conteri queant: jus *vis armatae* ad sententias contra reos pervicaces latas exsequendas; secus enim societas medio necessario et efficaci destituta esset tum sese defendendi ab ulterioribus aggressionibus, tum tentandi delinquentis correptionem, tum denique caeteros deterrendi ab ejus imitatione.

98. Notio systematis *criminalis*. Cum agitur de actu *aggressionis* seu de violatione *effectiva* ordinis socialis ob actionem hunc voluntarie perturbantem, exsurgit notio *criminis* vel *delicti*, quo nomine venit: *actio vel omissio injusta, auctori suo imputabilis, ordinem socialem turbans;* dicitur *imputabilis*, quia, licet potestas coactiva custodire possit eos qui naturae necessitate ordinem publicum deturbant, uti dementes, nequit tamen ipsos punire eo quòd omni culpa immunes sint; additur *ordinem socialem turbans* ad significandam differentiam inter peccatum et crimen seu delictum; illud ordinem moralem simpliciter perturbat, hoc autem ordinem socialem evertit: jam vero auctoritas socialis non est per se simpliciter custos ordinis moralis, sed tantum ordinis socialis, ideoque ipsi minime incumbit peccatorum correctio atque punitio. Sub nomine delicti, servata recta proportione, comprehenditur etiam *quasi-delictum*, quod communiter definiri solet: *actio injusta turbans ordinem socialem, imputabilis, non ex dolo qui defuit, sed ex culpa juridica, hoc est, ex omissione debitae diligentiae.* Quamvis in jure criminali atque poenali distinctio facienda sit inter delictum proprie sumptum, quod ex dolo procedit, et quasi-delictum, tamen sub ratione generica conveniunt. Quot autem sunt species ordinum socialium,

tot habentur genera criminum, ac praecipue civile et ecclesiasticum, quae quidem ex diversitate ordinis seu finis laesi diverso etiam criterio judicari merentur.

Ex notione criminis nuper tradita colligitur: 1.° *peccata mere interna* non esse delicta, licet manifestentur semel commissa, nisi forte agatur de societate, cujus finis sit ipsa moralis personae institutio in sanctitate, tunc enim manifestatio peccati interni ordinem socialem laedit; 2.° *propagationem doctrinae* ordinem socialem subvertentis delictum censendam esse et optimo jure puniendam; quandoquidem doctrinae vel theoriae, homines ad operandum impellunt; age jam doctrinae, ad ordinis perturbationem ducentes, proculdubio habendae sunt velut causa ejusdem subversionis; 3.° *conatum externum* ad delictum, cum tranquillitatem ordinis socialis deturbet, esse verum delictum, quamvis consummato multo levius; ejusmodi enim conatus est aliquid externi tendens ad ordinem perturbandum et incipit illum turbare, et illum vere turbat, si non physice saltem moraliter.

99. Fundamentum systematis *poenalis*. Cum post laesionem potestati coactivae primo competat jus *puniendi,* hic est locus proprius exponendi *notionem, finem, materiam, qualitatem* et *proportionem* poenarum.

Notio. Poena passim definitur: *malum passionis ob malum actionis,* in qua definitione nomine *passionis* venit privatio cujuscumque boni, ad quod quisque jus habet, et denominatione mali intelligitur malum physicum complectens privationem cujuscumque boni subjectivi, sive sit materiale, sive sensitivum, sive spirituale, sive sociale, ut privatio bonae famae. Alii vero sequentem poenae notionem tradunt, quae nobis magis arridet: *privatio boni ob abusum rei bonae;* hujusmodi philosophica definitio poenas omnes tum naturales tum supernaturales continet; qui enim gratiam contemnit, gratiam amittit; qui gula trahitur salute et appetitu abutens, bonum salutis amittit.

Finis. Poenae in qualibet legislatione contentae et a potestate coactiva inflictae ordinem socialem defendunt constabiliuntque tam antecedenter quam consequenter: enimvero poena ante delictum est praeservatrix, siquidem legem sancit, efficaciam eidem tribuit ad hominum voluntates movendas, et praesertim socios avertit a perpetrando crimine; post delictum autem poena est restauratrix seu reparatrix ordinis socialis violati; quod quidem assequitur: 1.° per *emendationem* rei si fieri potest; 2.° per *exemplaritatem* caeteros a delinquendo deterrendo, qui ex malo exemplo ad delinquendum fuerant incitati; 3.° per *vindicationem* criminis, si sponte non fuerit reparatus ordo laesus, vel si spontanea reparatio sit insufficiens pro ejusdem defensione; inde fas est colligere triplicem finem seu scopum poenarum in societate civili: omnis namque poena est *emendatrix* propter delinquentium correctionem, *exemplaris* ob civium defensionem seu sociorum praeservationem, atque *vindicativa* seu *expiatoria* sub respectu justitiae socialis, quae non sinit delictum cum aperta et continua deordinatione manere impunitum.

Materia. Quod ad *materiam* poenarum spectat, talis esse debet, ut conservationem ordinis socialis certo pariat, quia poena nihil aluid est nisi medium ad obtinendam ordinis tutelam atque securitatem, sed proportio mediorum mensuranda est a finis necessitate; igitur illud poenae genus est eligendum et ea proportione applicandum, quae fuerit efficacior tuendo et consolidando ordini sociali.

Qualitas. Poenae praecipue debent esse *certae, inevitabiles* atque *analogae; certae,* quia parum vel nihil delinquentes a patratione criminum deterrent poenae, quae facile effugi possunt ex protectione, privilegiis aliisque mediis indirectis; *inevitabiles,* quoniam plus juvant poenae leviores sed indeclinabilis applicationis, quam graviores quae difficile possint applicari ob dif-

ficultatem reum detegendi; ***analogae***, ferentes nempe privationem boni ipsius quo abusum fuit; regula enim in S. Scriptura tradita ***per quae quis peccaverit, per haec et punietur*** servari debet, in quantum fieri potest, ab humana justitia, ut ita illi qui legem offenderunt ex inordinato amore alicujus boni, per poenam aut privationem ejusdem ordinis magis terreantur, simulque ordo perfectius ad aequalitatem restauretur. Hinc oportet plagia vel captivitatem carcere, furta mulcta pecuniaria, calumnias infamia, homicidia capite puniri.

Proportio. Poena demum, spectata ejus proportione, adaequata esse debet majori vel minori ***perturbationi*** ordinis socialis, ***quantitati*** damni illati vel boni obtenti, ***facilitati*** impunitatis, ***frequentiae*** delictorum et ***variis*** temporum, locorum et personarum ***adjunctis***.

ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

100. Probetur Potestatem Ecclesiae esse adaequatam et completam ex ipsa sua natura.—101. Ostendatur eadem veritas ex positiva Christi voluntate.—102. Rationes ex jure divino-positivo, apostolico, ecclesiastico atque civili desumptae pro tuenda potestate ***legifera*** Ecclesiae.—103. Doctrina Christi, praxis Apostolorum, sensus antiquitatis et Principum testimonia circa ***judicialem*** Ecclesiae potestatem.—104. Mirabilis conspiratio Codicis Evangelici, auctoritatis Apostolicae, Traditionis christianae atque civilis legislationis in stabilienda potestate Ecclesiae ***coactiva***.—105. Objectiones.

100. Praefinito in praecedentibus articulis juridico conceptu potestatis adaequatae et completae, quae societati perfectae inesse debet, ut praeambulo necessario atque firmissimo fundamento eorum quae de Potestate Ecclesiastica agenda sunt, pergimus modo ad plene demonstrandum Potestatem Ecclesiae non solum ***supremam*** esse in suo ordine ratione divinae suae ***independentiae***, uti articulo II ostendimus, verum etiam ejusmodi

habendam et praedicandam esse ratione *jurium*, hoc est, spectata potestate *adaequata* et *completa*, qua cumulatissime et absolute gaudet societas a Christo Domino condita tum ex ipsa sua *natura*, tum ex positiva Divini ejus Fundatoris *voluntate*.

Primum, nempe, Ecclesiam suapte juridica natura potestate adaequata et completa pollere vix demonstratione indiget, postquam principia juris naturalis hac super re communiter recepta supra fuse exposita sunt. Satis erit levissimam probationem in memoriam revocare: Potestas adaequata cujuslibet societatis perfectae, ut in suo genere sit vere suprema atque independens, triplici jure praedita esse debet, jure leges condendi, jure judicium ferendi, et jure sententias exsequendi poenasque delinquentibus et contumacibus infligendi: atqui Ecclesia juxta demonstrata in capite I est societas juridice perfecta, a Statu politico plane distincta et ratione finis altissimi superior quacumque alia humana societate; igitur ipsi pro suo fine supernaturali assequendo certissima competit triplex facultas, quae potestatem adaequatam in omni societate perfecta inaequali ac independenti constituit, videlicet, potestas *legislativa*, potestas *judicialis* et potestas *coactiva*; ideoque sub hoc etiam respectu *Suprema* est.

101. Praeter autem juridicam naturam atque intimam Ecclesiae constitutionem, pro adaequata ejus potestate vindicanda nobis suppetit alius fons argumentationis, nitidissimus atque uberrimus, et quidem ab exordio religionis christianae ad nos usque perpetuo ac indesinenter scaturiens. Enimvero, argumenta, quae ex ineluctabili atque publico facto divinae institutionis, hoc est, ex positiva Christi voluntate desumuntur, adeo luculenta sunt, ut rem nostram plane conficiant, quandoquidem evidenter ostendunt Ecclesiam, Deo disponente, longo saeculorum tractu, nimirum a suis incunabulis ad nostra usque tempora et insignitam et potitam

esse triplici essentiali attributo supremae potestati sociali inhaerente.

Quod ut melius pateat et voluntas Divini Institutoris plenius appareat, consentaneum nobis visum est unamquamque potestatem Ecclesiae, sive *legiferam*, sive *judicialem*, sive *coercitivam*, singillatim comprobare quatuor rationum momentis ex Sacra Scriptura, apostolica auctoritate, christiana antiquitate atque juridica Principum et Codicum recognitione depromptis: hisce enim probationibus adductis apertissime constabit testimonia evangelica, praxim Apostolorum, catholicam traditionem, cunctarumque gentium legislationem pro tuenda ac constabilienda *suprema* Ecclesiae potestate mirifice conspirare.

102. Potestas LEGIFERA Ecclesiae. Probatur 1.° ex jure *divino-positivo;* tria loca evangelica pro scopo nostro attingendo innuere sufficiat: a) *docete omnes gentes*, etc.; per haec notissima verba Christus Dominus Apostolis eorumque successoribus contulit magisterium publicum, solemne atque universale in omnes gentes, tempora et nationes; sed ejusmodi magisterium eisdem divinitus commissum non fuit mere *doctrinale*, sed vere *auctoritativum*, hoc est, jus docendi proprie dictum, simul praeditum potestate non modo plena et absoluta *(omnis)* regendi, constituendi ac praecipiendi omnia quae Christus imperavit, secus enim nequirent docere fideles modum servandi divina mandata *(docentes eos servare omnia qnaecumque mandavi vobis)*, verum etiam suprema atque infallibili in iis proponendis quae Salvator praeceperat, eorumdemque observantia legibus disciplinaribus urgenda *(ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi)*. b) *Quaecumque alligaveritis... et quaecumque solveritis...; ligare* et *solvere*, de quo allatum testimonium loquitur, cum *physice* intelligi nequeat, sed *moraliter*, morale vinculum significat, seu obligationem quae alicui imponitur, agendi quid-

piam vel non agendi; atqui hoc vere et proprie est legem constituere; igitur in jure *ligandi* et *solvendi* continetur potestas legum ferendarum. c) *Tibi dabo claves regni coelorum;* Christus hoc in loco metaphora clavium utens Petro pollicetur se illi daturum claves suae Ecclesiae sub nomine *regni coelorum* significatae; nunc vero penes omnes gentes, praesertim autem apud Hebraeos, traditio clavium sumitur pro insigni aut symbolo potestatis in domum, civitatem vel regnum, uti ex ipsa Sacra Scriptura liquide colligitur; etenim de Eliacim filio summi sacerdotis Helciae dicitur: *Et dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat* (1); immo etiam suprema Christi potestas eodem clavium symbolo designatur: *Haec dicit sanctus et verus qui habet clavem David* (2); igitur Redemptor noster, cum B. Petro claves regn- coelorum pollicitus est, eo ipso promisit eum constitutum iri Principem supremum Ecclesiae a se paulo post condendae cum potestate plenissima quodcumque ligandi atque solvendi, hoc est, leges constituendi, populum christianum ad earum observantiam obstringendi, atque transgressores salutaribus poenis puniendi.

Prob. 2.° ex jure *apostolico*: compertum namque est hos sanctissimos Viros divinitus edoctos et ab spirii tu dominationis prorsus immunes, etiam saevientibus Romanis Caesaribus et civilibus Magistratibus contra Christianos, potestatem legiferam sibi vindicasse, quoties id exposcebat Ecclesiae necessitas vel utilitas. Ita videmus ad vitandam offensionem Judaeorum legem tulisse de abstinentia *a sanguine et suffocato,* eamque *onus* appellasse (3); eadem potestas elucet in diversis S. Pauli epistolis—*Laudo vos, quod praecepta mea tenea-*

(1) Isa. cap. XXII, v. 22.
(2) Apoc. cap. III, v. 7.
(3) Act. XV.

tis (1)—*Scitis quae praecepta dederim vobis* (2); insuper in Apostolorum scriptis crebro reperiuntur leges ab eis latae de dotibus Episcoporum, de bigamis non ordinandis, de neophytis non evehendis, de modo judicandi Presbyteros, de connubiis, deque aliis quamplurimis id genus ad externam Ecclesiae politiam spectantibus.

Prob. 3.° ex jure *ecclesiastico*: supervacaneum nobis videtur in medium proferre prope innumera legislationis ecclesiasticae monumenta quae ineluctabiliter ostendunt Successores Apostolorum ubique et semper eadem potestate usos esse; siquidem perlegere aut evolvere quisque poterit Corpus Juris Canonici, ubi undequaque habentur leges ac decreta sive a Conciliis generalibus et particularibus, sive a Summis Pontificibus quovis tempore condita et promulgata.

Prob. 4.° ex jure *civili:* Summi Imperantes et civiles omnium populorum leges hanc nativam propriamque Ecclesiae potestatem perpetuo ac palam agnoverunt; legantur equidem pro hujus assertionis firmitate Codices Theodosianus et Justinianeus apud Romanos; consulantur in confirmationem ejusmodi veritatis celeberrima Regum Francorum Capitularia; scrutentur luculenta testimonia quae pro potestate Ecclesiae vindicanda ex Codicibus nunquam sat laudatis Fori-Judicum et Partitarum, necnon ex Novissima Recopilatione in nostra Hispania desumi possent; evolvantur demum Collectiones juridicae cunctarum gentium, et thesis catholicae, quam propugnamus, plena probatio habebitur.

In obsequium brevitatis sequentia tantum verba ex Codice Justiniani excerpimus: *Si civiles leges*, ait catholicus Imperator, *quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab hominibus custodiri ad obedientium securitatem studemus*: *quanto plus*

(1) I. *ad Corinth.* cap. XI.
(2) I. *ad Thess.* cap. IV.

studii adhibere debemus circa sacrorum canonum, et divinarum legum custodiam, quae super salute animarum nostrarum definitae sunt? (1).

103. Potestas JUDICIALIS Ecclesiae. Probatur 1.° doctrina *Christi*: tres etiam textus cum apposita explanatione pro se nostra conficienda ex Evangelio seligimus: [a]) *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur* (2); heic de salvatione et condemnatione agitur et aperte infertur potestas judicialis Ecclesiae, quia eidem divina dispositione demandatum est munus tum declarandi veram fidem profitendam et valida sacramenta necessario suscipienda, ut quisque in suum sinum adscribatur et aeternam salvationem assequatur (*salvus erit*), tum etiam definiendi quando homo ob defectum fidei et sacramentorum e suo gremio excludatur et aeternae damnationis reus fiat (*condemnabitur*); age jam ejusmodi authentica declaratio atque solemnis definitio Ecclesiae divinitus incumbens supponit ac postulat sive judicium (*theoreticum*) aut mere juridicum, sive judicium *practicum* aut mere empiricum, sive judicium *mixtum* aut empirico-juridicum; igitur Ecclesia ex Dei institutione potestate judiciaria insignita est. [b]) *Quodcumque ligaveris... quodcumque solveris... Quaecumque alligaveritis... quaecumque solveritis...* (3); Christus Dominus per haec verba Petro et Apostolis eorumque legitimis Successoribus tribuit potestatem *ligandi* atque *solvendi*, hoc est, sententiam damnationis vel absolutionis ferendi; atqui condemnatio vel absolutio contra delinquentes pronunciari nequet absque facultate judiciali, etenim ordo justitiae praescribit et leges positivae apud omnes gentes statuunt, ut, antequam jus definitoric dicatur cum tan-

(1) *In praef.* Nov. 127.
(2) Matth., cap. XVI, v. 15.
(3) Matth.. capp. XVI et XVIII, vv. 19 et 18.

to incommodo et boni personalis jactura, rei audiantur et formale judicium instituatur; ergo Romani Pontifices, Supremi Ecclesiae Magistratus, et Episcopi, inferiores societatis christianae Rectores, qui divina ordinatione potestate ligandi atque solvendi instructi sunt, ipso facto traditionis ejusmodi praestantissimae auctoritatis, vera facultate judicandi gaudent, ut in ligando atque solvendo normae justitiae sese attemperent et recte procedant. [c]) *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiae* (1); hoc in loco Salvator humani generis ordinem in correptione fraterna servandum assignans potestatem judicialem Ecclesiae solemniter declaravit; primum correptionem secretam et charitativam inculcat (*Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te ipsum solum*); deinde judicium arbitrale seu actum conciliationis praescribit (*si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos*); denique, quando media charitatis et adhortationis inutilia evadant et conciliatio frustra tentata sit, jubet institui judicium contentiosum juxta canonum formam (*Quod si non audierit eos: dic Ecclesiae*), ubi palam agnoscitur et adjudicatur Ecclesiae facultas judicandi.

Prob 2.° praxi *Apostolorum*, quae nobis patet: [a]) ex eorum exemplo; sic S. Petrus potestate judiciali utitur in casu defraudationis ab Anania et Saphira patratae (2), illum judicio, ut ita dicam, summarissimo judicando atque Domino increpationem Apostoli subita morte confirmante, istam vero forma judiciali damnando; etenim servantur conditiones vel requisita essentialia judicio

---

(1) Matth., cap. XV, vv. 15, 16 et 17.
(2) Act. Apost. cap. V, v. 7 et sequentibus.

criminali—Comparitio (*Et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat introivit*) — Interrogatio (*Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis?*)—Declaratio rei (*At ista dixit: etiam tanti*)—Accusatio (*Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare spiritum Domini?*)—Confessio (Saphira silet et tacite sese declarat convictam et confessam) — Sententia (*Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, et efferent te*)—Executio sententiae (*Confestim cecidit ante pedes ejus, et exspiravit*): ita etiam Doctor gentium praecipit comburi libros oblatos ab eis qui fuerant curiosa sectati (1), et ad Corinthios scribens jubet ut incestuosus jam ab ipso *judicatus* cum virtute Domini nostri Jesu *tradatur hujusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi* (2). [b]) Ex sententia in Concilio Hierosolymitano lata ad finiendam controversiam Anthiochiae ortam circa necessitatem circumcissionis: *Visum est enim Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione; a quibus custodientes vos, bene agetis* (3); quibus verbis Apostoli aperte declararunt praesentiam Sancti Spiritus, divinamque judicandi potestatem, qua coelitus insigniti erant. [c]) Ex epistolis S. Pauli; etenim Timotheo quasdam solemnitates judiciales praescribit: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus* (4); et Corinthiis, postquam illos vehementer reprehendisset eo quòd *frater cum fratre judicio contenderet et hoc apud infideles,* simulque processum *arbitralem* commendasset (*Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem*

---

(1) Ibid. XIX, 19.
(2) Epist. I, cap. V, vv 3, 4 et 5.
(3) Act. Apost. cap. XV, vv. 28 et 29.
(4) Epist. I, cap. V, v. 19.

suum?) ita peremptorie edixit: *Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis saecularia?* (1); unde fas est conjicere juxta D. Paulum potestatem judicialem Ecclesiae adeo latam plenamque esse, ut non modo ad spiritualia sese porrigat, verum etiam de saecularibus aut temporalibus cognoscere et judicare queat, quatenus relationem vel connexionem cum coelestibus et aeternis passim habeant.

Prob. 3.° sensu *antiquitatis* christianae: omnes siquidem agnoscunt et ultro fatentur causas ecclesiasticas, nempe, quae ad fidem, mores et disciplinam spectant, foro ecclesiastico competere; audiamus hac super re praeclarum testimonium Papae Vigilii: *Negotia ecclesiastica Episcoporum judicio reservata sunt, idque juxta ecclesiasticum morem, juxta paternas traditiones, juxta omnem auctoritatem evangelicae apostolicaeque doctrinae* (2).

Prob. 4.° testimonio *Principum:* religiosissimi Imperatores et catholici Principes nedum arbitrati sunt potestatem judicialem Episcoporum nullam majestati suae injuriam irrogare, sed maxime obsequentes judiciis Antistitum fuerunt; en quomodo Basilius Imperator inter alios Principes memoratu dignos ad Concilium Oecumenicum VIII alloquebatur: *Non est datum laicis, aut iis, qui civilibus officiis mancipantur, secundum canonem dicendi quidpiam penitus de ecclesiasticis causis... quantaecumque enim religionis et sapientiae laicus existat, vel etiamsi universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis est* (3).

104. Potestas COERCITIVA Ecclesiae. Probatur 1.° Codice *evangelico:* tria sacra eloquia proferemus pro evincenda facultate coactiva Ecclesiae: a) *Quaecumque*

(1) Ibid. cap. VI, vv. 1 et seqq.
(2) Epist. 16.
(3) *Orat.* Basil. imp. in Concil. VIII, act. X, apud Labb. tom. VIII.

alligaveritis... Quaecumque solveritis; ejusmodi verba declarant atque proclamant jus *ligandi* et *solvendi* Apostolis divinitus tributum; jam vero in jure ligandi et solvendi continetur potestas coactiva ab ipsom et Jesu Christo instituta et Apostolis eorumque successoribus tradita; qui enim *ligat* coercet, punit, poenam infligit, ligatum libertate privans; qui autem *solvit* a poena liberat, punitionem aufert, libertatem reddit, vel innocentiam vel poenitentiam rei post judicium videns. [b]) *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (1); hoc in textu Christus Dominus docet ac praecipit eos, qui Ecclesiam non audierint, ejusque leges, monita atque judicia spreverint, esse aequiparandos ethnicis et publicanis; atqui Israelitae cum ethnicis non communicabant, et publicanis, praeter incommunicationem, odium atque despectum profitebantur; igitur juxta explicitam Christi doctrinam, Ecclesia suorum praeceptorum transgressores, necnon sententiarum contemptores plectere potest poena omnium gravissima, videlicet, excommunicatione, quae in ordine spirituali est maxima et capitalis poena canonica, animam christianam vita spirituali privans; et sicut in ordine temporali poena capitalis caeteras minores poenas complectitur, quia capite damnatus vitam, libertatem, honores, divitias omniaque amittit, ita etiam in ordine ecclesiastico excommunicatio quae suprema poena canonica et est et nominatur, omne punitionis genus, cunctasque censuras ac poenas comprehendit. [c]) *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (2); hic injungitur obligatio servandi omnia Christi mandata; sed custodia praeceptorum et legum observantia vi gravissimi officii ab ipso Deo impositi *(mandavi)*, Apostolis communicati *(vobis)* et ab eis promulgati *(docentes)* nec impleri nec

---

(1) Matth. cap. XVIII, v. 17.
(2) Eod. loc. cap. XXVIII, v. 20.

concipi potest absque sanctione proprie dicta, id est, nisi existant poenae contra transgressores et contumaces a legislatore latae, ergo Ecclesia in persona Apostolorum eam pristina illa aetate constituentium a suo Divino Fundatore vi cogendi atque delinquentes poenis sancitis puniendi donata est.

Prob. 2.° auctoritate *Apostolica:* Apostolus enim saepenumero declarat sibi divinitus collatam esse hanc potestatem coercendi legum violatores et criminum reos; et sane ad Corinthios scribens ejusmodi auctoritatem sibi vindicat hisce decretoriis verbis: *In promptu se habere ulcisci omnem inobedientiam ex potestate, quam dedit nobis Dominus* (1): et paulo post; *Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi* (2); postremò Thessalonicensibus praecipit rebelles et pervicaces denuntiare et sese ab eorum commercio et conversatione sejungere: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo* (3).

Prob. 3.° christiana *Traditione*: Patres, Pontifices et Concilia in hac veritate asserenda plane consentiunt: a) S. Augustinus apposite ad rem ait: *Sanè si judex es, si judicandi potestatem accepisti ecclesiastica regula, si apud te accusatur, si veris documentis testibusque convincitur,* COERCE, CORRIPE, EXCOMMUNICA, DEGRADA; *sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina* (4); b) S. Siricius Papa *in ergastulis includi jubet* Monachos et Moniales, qui crimen in castitatem patraverint (5); atque Pontifex Caelestinus III poenam degradationis imposuit Clericis atrociorum quorumdam criminum reis et legitime con-

---

(1) II *ad Corinth.* cap. X, v. 6.
(2) *Ibid.* cap. XIII, v. 10.
(3) II *ad Thess.* cap. III, v. 14.
(4) Serm. 164 *de verb. Apost.* cap. 5.
(5) Epist. I. cap. 6 apud Constant.

victis, eosque Curiae Saeculari puniendos tradidit (1). c) Praetermissis pluribus Conciliis quorum canones multiplices adversus sontes gravioribus delictis irretitos poenas statuunt, annotare satis est Tridentinam Synodum palam agnovisse et suprema sua sanctione confirmasse potestatem, qua pollent Judices Ecclesiastici, poenas corporales infligendi: *In causis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus Ecclesiasticis, cujuscumque dignitatis existant, ut quandocumque* EXSECUTIO REALIS vel PERSONALIS *in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se, tam in procedendo, quam definiendo, a censuris Ecclesiasticis, seu interdicto; sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum Eclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscumque etiam laicos, per* MULCTAS PECUNIARIAS.....; *seu per* CAPTIONEM PIGNORUM PERSONARUMQUE DISTRICTIONEM... *sive etiam per* PRIVATIONEM *beneficiorum... procedere et causas definire* (2).

Prob. 4.° legislatione *civili:* Codices diversarum gentium post Ecclesiae institutionem concinnati atque evulgati, ac proinde spiritu evangelico et salutari christianismi influxu informati manifeste fatentur et juridice proclamant et Ecclesiae inesse nativam potestatem vim externam adhibendi, et suis Magistratibus facultatem propriam competere delinquentes ac devios salubribus poenis puniendi. De novis et recentioribus collectionibus allegandis supersedemus, cum Codex Justinianeus luculentissimum testimonium hac super re nobis praebet; ita enim egregius Imperator in Novella LXXXIII loquitur: "Si vero ecclesiasticum sit delictum, egens *castigatione ecclesiastica et mulcta,* Deo amabilis episcopus hoc discernat, *nihil communicantibus clarissimis pro-*

---

(1) Cap. *Cum ab homine,* 10 *de judiciis.*
(2) Sess. XXV, cap. III.

vinctae judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles judices secundum sacras et divinas regulas, *quas etiam nostrae sequi non dedignantur leges.*"

OBJECTIONES.

105. Objectio 1.ª contra potestatem *legiferam.* Ecclesiae tantum competit ex dispositione sui Divini Fundatoris magisterium *doctrinale (Docete),* hoc est, jus fideles in fide et sacramentis instituendi, bona opera persuasione consulendi, mediaque commonstrandi quae recte ad salutem aeternam perducunt: sed ejusmodi religiosa institutio, doctrinalis cura et charitativa sollicitudo potestatem quamdam *mere directivam* arguunt homines edocendi, animarumque saluti mediis suavissimis invigilandi minime vero leges proprie dictas condendi, quibus omnes obedire teneantur; igitur Ecclesia potestate vere et juridice legislativa caret.

Resp. *Dist.* maj.: Ecclesiae competit magisterium *doctrinale,* simulque *auctoritativum, conc.;* mere *doctrinale, nego.* Probationem seu explicationem majoris, iterum *dist.*: Ecclesia habet jus in fide et sacramentis instituendi, etc., jus supremum, proprium et absolutum, *conc.*; jus dependens, subordinatum et improprie dictum, *nego.*

Quoad minorem, sub eadem explicatione distinguenda est: potestas Ecclesiae *mere directiva* foret, si magisterium, institutio, cura, caeteraque munia ei demandata essent ex mera charitate, *conc.*: potestas Ecclesiae spectari vel nominari potest *mere directiva,* si praedita sit, praeter munus doctrinale et charitatis officia, suprema auctoritate et plenissima facultate ea omnia juridice faciendi, quae ad suum finem supernaturalem ducunt, *nego.* Et sane ex Sacra Scriptura et Conciliaribus Definitionibus liquet potestatem Ecclesiae esse vere legislativam, non mere directivam; etenim, juxta

divina eloquia et Conciliorum decreta, ecclesiasticae leges et praecepta juridicam obligationem gignunt et necessitatem parendi inducunt. [a]) Sacrae Litterae hanc veritatem quamplurimis locis aperte tradunt: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit* (1). *Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (2). *Perambulabat* (Paulus) *Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et Seniorum* (3). [b]) Tridentina autem Synodus tamquam dogma fidei definivit obligationem Ecclesiae legibus obtemperandi: *Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit* (4).—*Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit* (5).

Objectio 2.ª contra potestatem *judicialem*. Distinctio fori ecclesiastici criminalis a foro poenitentiali, uti animadvertit Van-Espenius (6), non semper exstitit in Ecclesia, sed demum saeculo XI et XII inducta est; igitur tribunalia externa pro causis criminalibus dijudicandis nova sunt; ideoque facultas in foro externo judicandi Ecclesiae *essentialiter* minime competit, utpote

(1) Luc. cap. X, v. 16.
(2) Epist. *ad Hebraeos*, cap. XIII, v. 17.
(3) Act. cap. VI, v. 4.
(4) Sess. de *Justif.* can. XXI.
(5) Sess. VII, can. VIII *de Bapt.*
(6) En verba celeberrimi jansenistae Belgae: «Licet enim Episcopi, in peccata inquirerent, testes audirent, censuris aliisque canonicis poenis contra peccatores procederent, tamen haec omnia unice ad ipsius peccatoris reconciliationem tendebant; imo omnia, quae Episcopi circa crimina exercebant, cum Poenitentiae Sacramento connectebantur, atque ad ipsum forum internum Poenitentiae, sive antecedenter, sive consequenter reducebantur» (*Jus Eccl.* par. 3, cap. 1).

spatio plurium saeculorum prorsus ignota et per actus exteriores et separatos haud exercita.

Resp. *Nego* ant., cons. et consequentiam; quia praemissae, conclusio et illatio falsitate laborant et ementita hypothesi innituntur; etenim a primaeva Ecclesiae aetate memorantur accusatores, testes, citationes, judices designati, sententia, exsecutio sententiae et appellatio; atqui ejusmodi actus nullo modo ad tribunal Poenitentiae referri possunt; Ecclesia ergo jugiter habuit forum externum criminale a foro poenitentiali penitus distinctum ac disjunctum.

Et re quidem vera, constat omni argumentorum genere Ecclesiam a remotissimis temporibus de negotiis criminalibus cognovisse, judicasse atque sententiam tulisse separatim et independenter a Sacramento Poenitentiae: 1.° ex testimonio S. Pauli, qui ad Timotheum Episcopum scribens, hanc legem judicialem constituit: ***Adversus presbiterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*** (1), quae equidem verba foro interno accommodari nequeunt; 2.° ex Scriptis S. Cypriani, in quibus narratur Fortunatum pseudo-episcopum ejusque socios Carthagine condemnatos fuisse (2); 3.° ex actis Concilii Constantinopolitani, Ephesini et Chalcedonensis, ubi videre est Eutychen, Nestorium atque Dioscorum, antequam sententia adversus eos proferretur, semel, iterum ac tertio vocatos fuisse, et Nestorium quarta etiam vice a Synodo Ephesina citatum esse; 4.° ex canonibus vulgatis *de appellatione,* juxta quos licitum erat a sententia judicis inferioris ad superiorem judicem provocare; 5.° ex pluribus casibus, in quibus rei etiam absentes et contumaces poenis mulctabantur, ita evenit cum Nestorio et Dioscoro frustra citatis.

Ex adumbratis satis superque apparet Ecclesiam

(1) Epist. I. cap. V, v. 19.
(2) Epist. 55, num. 10 *ad Cornelium Pontificem.*

quovis tempore forum externum pro causis criminalibus discutiendis habuisse, ac proindè potestate judiciali perpetuo usam esse; si quid autem a saeculo XI innovatum est in materia judiciali, id omne respicit formam et solemnitates judicii, minime vero ad existentiam tribunalium et exercitium potestatis spectat, quae ad remotissimam antiquitatem assurgunt.

Objectio 3.ª contra potestatem *coercitivam*. Facultas vim externam adhibendi atque rebelles contumacesque poenis coercendi lenitati et mansuetudini Ecclesiae plane adversatur, quae spiritu Christi informata et divina charitate edocta suam legislationem *Disciplinam*, suasque leges *Canones* seu Regulas nuncupare maluit; atqui quod naturae et indoli Ecclesiae repugnat, ejusdem potestati competere nequit, tamquam jus proprium, essentiale atque necessarium; igitur omnis facultas sontes vi cogendi et pervicaces poenis plectendi ab ipsa abjudicanda est.

Resp. *Nego* maj., min. et cons. Falsum est enim usum potestatis coactivae a natura et fine Ecclesiae absonum esse, sed e contra fundamentali ejus constitutioni, Apostolorum praxi et catholicae doctrinae valde consentaneum habitum iri, uti sequentes insinuationes patefaciunt: 1.° sublata potestate coercitiva, Ecclesia a Christo Domino instituta jam non adesset societas juridice perfecta, nec mediis ad finem proprium ordinatis uti posset, neque multo minus hunc assequeretur; 2.° Apostoli in scholam Divini Magistri cooptati, spiritu ipsiusmet Christi imbuti, legitimi ejus coelestialis doctrinae testes atque interpretes constituti, et tandem Spiritu Sancto repleti, ejusmodi potestatem dictis et factis sibi vindicarunt, prout clarissime conjicitur ex probationibus nuper allatis; 3.° Ecclesia Catholica *Infallibilis* in sua doctrina ac *Sancta* in suis praxibus et traditionibus indesinenter, palam et strenue non modo docuit et propugnavit jus sibi insitum, necessitatemque inde-

clinabilem potestate coactiva utendi, verum etiam longo saeculorum tractu, apud omnes gentes, coram regibus et principibus, contra quoscumque delinquentes, legum violatores vel sceleratos homines facultatem punitivam plene et independenter exercuit.

Igitur vel rejiciendus est conceptus *juridicus* societatis christianae; vel Apostolis crimini vertenda *sua agendi ratio*; vel inficiari necesse est Ecclesiae *Infallibilitatem* et *Sanctitatem;* vel ab omnibus agnoscenda atque fatenda ejus *coercitiva* potestas velut necessaria, utilis et salutaris.

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

106. Tertius character: Potestas Ecclesiae PLENA est.—107. Notio Plenitudinis.—108. Res ecclesiasticae.—109. Earum divisio.—110. Quotuplicis generis possint esse res *spirituales*.—111. Rerum *temporalium* partitio.—112. Errores circa *objectum* potestatis legislativae.—113. Quantitas potestatis *legiferae* Ecclesiae juxta catholicam doctrinam.—114. Regulae dogmatico-juridicae ad finiendam extensionem ecclesiasticae potestatis quoad leges condendas.

106. Tertius Potestatis Ecclesiasticae character, juxta ordinem praefixum, PLENITUDO est (QUANTA): recta hujus characteris expositio magni interest pro constitutione Ecclesiae rite agnoscenda, ejusque essentiali potestate simplici intuitu conspicienda.

In primis enim agitur nunc de inquirendo ac definiendo objecto proprio, circa quod versari potest suprema Ecclesiae auctoritas, ita ut certe tutoque praestituantur fines necessarii, intra quos utraque potestas, ecclesiastica et civilis, exorceri debet in iis quae respectivae jurisdictioni competunt.

Deinde summopere refert in controversia adeo salebrosa et complexa catholicam doctrinam integre adstruere ad refellenda perniciosa Protestantismi, Janse-

nismi, Regalismi atque Liberalismi systemata, simulque detegendas inanes praetensiones futilesque argutias eorum neotericorum, sive canonistae, sive juristae, sive aulici, sive politici, sive quocumque nomine vocentur, qui omnes, nefario conatu et iniqua mente Regibus et Principibus saecularibus adblandiendi, suaque jura majestatica *regalias* nuncupata amplificanda, limitationibus undequaque circumscribere potestatem legiferam, judicialem etcoactivam Ecclesiae ausi sunt.

107. Potestas Ecclesiae duplici conceptu *Plena* est, nimirum, ratione tum *universalitatis*, tum *objecti;* ratione *universalitatis* sese porrigit ad *omnes* homines (*docete omnes gentes predicate evangelium omni creaturae);* ad *omnia* loca (*ite in mundum universum—ubicumque praedicatum fuerit evangelium hoc*); ad *omnia* tèmpora (*ecce enim ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi—et regni ejus non erit finis)*: ratione vero *objecti* cunctas res *religiosas* complectitur, sub quarum denominatione veniunt omnia quae directe vel indirecte ad sanctificationem animarum conferunt, finem proprium, immediatum atque necessarium christianae societatis, uti inter alia praeclara documenta explicite docet laudatissima Sanctissimi Patris Leonis XIII Encyclica *Immortale Dei* hisce luculentis verbis: *Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae* (1).

108. Semel praestabilita *generatim* potestatis ecclesiasticae extensione, modo mensuranda atque definienda venit *spectatim* quantitas triplicis facultatis supremae potestati inhaerentis, videlicet videndum rema-

---

(1) § *Itaque inter.*

net quodnam, quale et quantum sit in concreto objectum potestatis legislativae, judicialis ac coactivae; quod quidem attingi atque intelligi nequit, nisi prius etsi leviter enucleetur notio et tradatur distinctio *rerum*, *causarum* et *poenarum* ecclesiasticarum, cum *leges* de rebus agant, *judicia* in causis versentur et *punitio* per poenas exerceatur. Hinc primum erit sermo de *rebus*.

Vocabulum *res* (cosa) triplicem acceptionem obtinet, latissimam, latam et strictam; res *logice* et *grammatice* sumpta sensu latissimo significat: *quidquid est aut esse potest*, seu quidquid entitatem moralem aut materialem, naturalem aut artificialem, physicam aut metaphysicam habet; *juridice* autem usurpata *res* sensu generico sed minus lato denotat, juxta sententiam celeberrimi jurisconsulti Caii: "omne quod esse potest in bonis hominis, ejusque utilitati deservire"; *canonice* vero spectata *res* sensu strictiori ad usum et utilitatem Ecclesiae tantum restringitur, et tunc alii cum Schran, sententiam Caii sequentes, res ecclesiasticas definiunt: *Omnia quae Ecclesiae utilitati deserviunt;* alii cum Devoti: *Quidquid et in Ecclesia praeter personas et judicia.* Neutra definitio nobis plene arridet: altera quia adaequata et completa non est, siquidem plus amplectitur quam exprimunt verba; etenim sacerdotes caeterique ministri sacri equidem utilitati Ecclesiae deserviunt, et tamen non sunt res, sed personae ecclesiasticae: altera nimis vaga et indeterminata apparet; at vero ex utraque efformari potest recta atque adaequata definitio res ecclesiasticas nuncupando: *Omnia quae Ecclesiae utilitati deserviunt praeter personas et judicia.*

109. Res ecclesiasticae passim et communiter tribuuntur: 1.° in *spirituales, temporales* ac *mixtas;* 2.° in *sacras, sanctas* et *religiosas;* 3.° in *mobiles, immobiles* et *semoventes:* secunda et tertia partitio ad nostram provinciam non attinent, sed sub dominio Juris Privati cadunt, ideoque pro definitione uniuscujusque membri

addiscenda, necnon genuino conceptu assequendo consulantur tractatores Juris Canonici, qui fuse hac de re disserunt; prima autem classificatio magni momenti habetur et frequentissimam in Jure Publico Ecclesiastico applicationem obtinet; unde assiduam curam et singularem explanationem a nobis postulat.

Res *spirituales* vocantur: *Illae quibus Deus colitur et homines ad aeternam salutem ducuntur*, cujusmodi sunt Sacramenta, Sacrificium, festa religiosa, preces sacrae, vota, jejunia, etc.; *temporales* dicuntur: *Quae alendis clericis aut pauperibus, vel divino cultui peragendo destinatae sunt*; postremò, *mixtae* denominantur: *Quae ad finem temporalem et spiritualem aeque vel directe referuntur*.

110. Res *spirituales* distingui possunt: 1.° in *corporeas* seu *visibiles* atque *incorporeas* aut *invisibiles*; *visibiles*, quae formam sensibileme xhibent; *invisibiles*, quae sensibus percipi nequeunt, uti Spiritus Sancti dona et gratia sanctificans: 2.°, in *proprie* et *improprie* spirituales; *proprie* spirituales nominantur quae hujusmodi sunt tum propter originem ex qua procedunt, tum propter finem seu destinationem cui addicuntur, puta Sacramenta et Sacrosanctum Missae Sacrificium; *improprie* spirituales, quae etiam ab aliis *supernaturalizatae* nuncupari solent, quae spirituales habentur tantum ratione finis, sed non respectu principii unde proficiscuntur, quod mere naturale existimatur, velut ecclesiae, coemeteria, aliaque id genus; ejusmodi res *improprie* spirituales duplici modo supernaturalizatae esse possunt, vel per *evectionem* ad ordinem supernaturalem ut Matrimonium, vel per *dedicationem* fini supernaturali, prouti utensilio sacra et objecta mobilia cultui divino dicata; 3.° in *directe* et *indirecte* spirituales: *directe* spirituales appellantur quae primario et *per se* ad sanctificationem animarum spectant, tales censentur cultus, sacramenta, vota, etc.; *indirecte* spirituales subaudiunt quae prima-

rio et immediate circa regimen et externam Ecclesiae politiam versantur, ex. gr. electiones, immunitates, bona, judicia, aliaque hujusmodi.

111. Res *temporales* dispesci valent: 1.° in *mere* temporales et temporales spiritualibus *adnexas*; *mere* temporales cognominantur quae tum ratione principii, tum ratione finis ad ordinem naturalem directe pertinent; temporales spiritualibus *adnexae*, quas nonnulli recentiores canonistae *spiritualizatas* denominare consuescunt, usuveniunt quae, licet in sua origine intra ordinem temporalem contineantur, tamen vi unionis, connexionis vel adnexionis rebus spiritualibus limites naturales transgrediuntur et inter res vere spirituales connumerantur, uti Beneficia ecclesiastica, Decimae, Jus patronatus, innumeraque alia; notum exploratumque est, cum de hac re late moralistae agunt, temporale spirituali *adnexum* triplici modo esse posse: *antecedenter*, *consequenter* et *concomitanter*; *antecedenter*, quando temporale spirituali antecedit (jus patronatus); *consequenter*, si temporale ex spirituali proveniat (jus decimas percipiendi); *concomitanter*, quoties temporale cum spirituali *intrinsece* vel *extrinsece* conjunctum est (labor in sacris functionibus): 2.° in *corporeas* atque *incorporeas*, prout in domibus, praediis, aliisque similibus consistant, vel in censibus, tributis, caeterisque hujus generis sitae sint.

112. Notione rerum ecclesiasticarum recte atque distincte exposita, praecipuos circa potestatem legiferam Ecclesiae errores insinuare oportet, priusquam principia hac super materia omnino tenenda statuamus.

Protestantes et Janseniani *rigidiores* effutire veriti non sunt Ecclesiae tantum inesse jus leges condendi relate ad res spirituales invisibiles, quas pravo consilio et nequissima mente *internas* nuncupant, caetera omnia quae in societate christiana *externa* sint, eo quòd cum

ejus regimine atque politia connectantur, potestati saeculari tribuentes.

Jansenistae vero *laxi* et qui inter Regalistas *mitiores* audiunt, facultatem legislativam Ecclesiae ultro concedunt, et palam fatentur ipsam leges ferre posse non solum in ordine spirituali *interno*, verum etiam *externo*, sed cum hac restrictione, dummodo agatur de rebus spiritualibus externis, quae sint *proprie* et *directe* spirituales; reliqua autem quae sensu improprio vel indirecto spiritualia putantur, Principibus adjudicant; quod si Ecclesia de his rebus cognoscit, judicat atque definit suis regulis atque statutis, non jure proprio et exclusiva competentia agit, sed ejusmodi facultate utitur ex concessione, benevolentia aut Regum tolerantia.

113. Doctrina autem catholica circa potestatem Ecclesiae legiferam prope innumeris Conciliorum definitionibus, apertissimis christianae Traditionis monumentis, sacrisque Romanorum Pontificum constitutionibus concinnata atque ab omnibus Christi fidelibus necessario profitenda, declarat, statuit ac docet Ecclesiam ex Divini sui Fundatoris institutione auctoritate propria et jure nativo fungi ad leges disciplinares condendas haec quatuor capita complectentes: 1.° res spirituales *externas* seu *visibiles*; 2.° res ordinis naturalis *supernaturalizatas*; 3.° res temporales *spiritualizatas*; 4.° res *mixtas* etsi quibusdam restrictionibus adhibitis, de quibus postea loquemur.

Pro tuenda igitur atque corroboranda doctrina catholica in controversia adeo praestantissima, nobis consentaneum videtur quatuor universalia principia seu regulas dogmatico-juridicas stabilire, quae normam tutissimam praebeant ad recte finiendos limites potestatis ecclesiasticae et civilis, quandocumque solvendae obveniant quaestiones cum ordine spirituali vel temporali connexae.

114. Regula 1.ª: *Potestas Ecclesiae sese protendit ju-*

re proprio ad res spirituales EXTERNAS *seu* VISIBILES. Probatur: 1.°, quia doctrina erronea Protestantium atque Jansenianorum qui *rigidiores* vocantur, triplici fundamentali dogmati plane refragatur, nempe, Visibilitati, Independentiae et Hierarchiae Ecclesiae; 2.° quia absurda adversariorum hypothesi semel admissa, sequeretur logice tamquam legitimum consectarium jactura vel totalis eversio unitatis, formae, organizationis, immo existentiae societatis christianae, quippe omne in Ecclesia externum ac visibile est, etiam gratia sanctificans, quae equidem exterior fit per sacramenta, hoc est, per signa sensibilia; 3.° quia ejusmodi commentum saepius damnatum fuit quamplurimis documentis authenticis, in quibus rejecta et prorsus anathematizata comperitur distinctio Disciplinae in *internam* atque *externam* sensu janseniano sumpta, praesertim vero in Const. Pii VI *Auctorem fidei* et propositione XLI Syllabi, quae incipit: "Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra".

Regula 2.ª: *Potestas Ecclesiae exclusiva competentia sese porrigit ad res ordinis naturalis, quoties* SUPERNATURALIZATAE *sint*. Probatur: 1.° ratione; etenim omnia quae ex ordine naturali ad supernaturalem transeunt, sive per elevationem ad dignitatem sublimiorem et nobillissimam sphaeram, sive per directam ad finem supernaturalem relationem, limites transgrediuntur jurisdictionis Principum et saecularium Magistratuum, quorum jura et facultates intra orbitam mere temporalem continentur; 2.° argumento auctoritatis; videlicet, ex condemnatione propositionis XLIV Syllabi ita se habentis: "Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent".

Una tantum admittitur hujus regulae exceptio, nimirum, si res supernaturalizatae effectus habeant *separabiles* ab ipsa substantia vel essentia rei, uti evenit in Sacramento Matrimonii; tunc potestas civilis leges ede-

re valet circa ejusmodi effectus *separabiles* rei ad ordinem supernaturalem evectae, sed numquam supra *substantiam* vel effectus *inseparabiles* rei novo et altiori charactere insignitae.

Regula 3.ª: *Potestas Ecclesiae vi nativa atque insita extenditur ad res temporales* SPIRITUALIZATAS. Probatur: 1.° temporalia enim spiritualibus adnexa, propter ipsam conjunctionem seu connexionem cum spiritualibus, conditionem vel naturam mere temporalem amittunt, eo quòd praevaleat ordo supernaturalis longe nobilior ac sublimior ordine naturali; 2.° quia ut rectum ferri possit judicium, ac justi ponantur fines ecclesiasticae et civilis potestatis, illud in primis observandum videtur, cujus auctoritate et legibus ea res, de qua quaeritur, constituta sit: nam, ut apposite animadvertit Joannes Devoti (1), "dubitare quis nequit, quin is qui rem aliquam constituit, legesque tulit cum quibus eadem administraretur, omnem in ea jurisdictionem et auctoritatem habere debeat. Atqui ab Ecclesia instituta sunt beneficia, juspatronatus, decimae, jus funeris et sepulturae, jura multa et privilegia Episcoporum, jura Parochorum et caetera, quae aut spiritualia, aut spiritualibus annexa sunt, de iisque omnibus ab Ecclesia leges praescriptae sunt. Cuncta igitur ab ejus auctoritate pendere debent„; 3.° ita demum ex Syllabo eruitur qui oppositam doctrinam in propositione XXIV damnavit: "Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam,„

Sed quoniam agitur de rebus aliquatenus temporalibus, siquidem ex principio naturali originem ducunt, quaeritur nunc, utrum potestas saecularis leges edere possit supra temporalia *spiritualizata:* ad quod respondendum videtur Principes et Magistratus politicos his de rebus leges ferre posse tantum *accumulative* seu *super-*

(1) *Proleg. in Jus Can. univ.* cap. XII, § 19.

addendo, uti ajunt jurisconsulti, hoc est, sequendo, obsecundando atque sanciendo legem ecclesiasticam, minime vero eam modificando, interpretando, vel, quod gravius esset, ipsi contradicendo, nisi in casu particulari ex concessione aut delegatione ecclesiastici legislatoris vel cum dependentia ab eo agerent, at nunquam jure proprio, neque sacrae legislationis contemptu aut violatione.

Regula 4.ª: *Potestas Ecclesiae pertingit ad res etiam* MIXTAS *in iis quae sub ejus jurisdictione cadunt, id est, in parte spirituali rei.* Probatur: 1.° ubicumque adest aliquid suapte natura spirituale relationem cum ordine superiori et altissimo habens, requiritur concursus atque interventio potestatis etiam spiritualis, etenim existere debet proportio inter potestatem ejusque objectum, atqui res *mixtae* characterem spiritualem praeseferunt ac saepenumero indolem supernaturalem induunt; ergo cognitio, judicium atque decisio partis seu elementi spiritualis, ex quo res mixta coalescit, Principibus saecularibus, qui bono temporali subditorum tantum intendunt, minime incumbunt, sed exclusive ad Ecclesiam pertinent, cui jure divino unice collata est potestas negotia spiritualia ordinemque supernaturalem regulandi; 2.° concordia utriusque potestatis, jurisperitorum praxis et perpetua omnium saeculorum traditio communi calculo agnoscunt et ultro fatentur esse plures res et causas ad forum mixtum attinentes, et de quibus intelligere, judicium ferre, legesque condere utrique potestati fas omnino est sub respectivo aspectu, spirituali vel temporali.

Exinde infertur potestati civili inesse quoque jus partem temporalem rei mixtae suis legibus vel statutis moderandi atque dirigendi, servatis tamen, juxta doctrinam apud juristas catholicos communiter receptam, sequentibus conditionibus seu limitationibus: 1.ª cum *subordinatione* legi ecclesiasticae, hoc est, non praescin-

dendo sed eam semper colendo; 2.ª absque *contradictione* legi ecclesiasticae, id est, nunquam prohibendo quod ista praecipit, neque praecipiendo quod illa prohibet; 3.ª cum *recognitione* excellentiae et superioritatis legis ecclesiasticae, nimirum, cedendo Juri Canonico, si quando oriretur conflictus inter utramque legislationem, vel dubium emergeret circa praelationem boni spiritualis aut temporalis, uti constat ex propositione XLII in Syllabo damnata: "In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet„.

ARTICULUS VII.

SUMMARIUM.

115. Quantitas potestatis *judicialis* Ecclesiae.—116. Causae *spirituales.* —117. Causae *matrimoniales.*—118. Quaenam foro ecclesiastico competant.—119.—Quaenam judicibus civilibus subjaceant.—120. Causae *contentiosae.*—121. Causae *clericales.*—122. Causae *criminales.*

115. Potestas judicialis Ecclesiae omnes causas religiosas seu ecclesiasticas complectitur, qua denominatione subaudiunt: *Illae causae quarum cognitio, instructio atque decisio ad forum ecclesiasticum pertinent.*

Causae religiosae aut ecclesiasticae esse possunt triplici capite sive titulo, nempe, ratione *materiae,* ratione *immunitatis* seu *personae,* atque ratione *criminis* vel *juris violati*: 1.º *materia* ecclesiastici judicii religiosa censeri valet ex triplici etiam motivo, *spiritualitatis, supernaturalizationis* atque *spiritualizationis,* unde triplex causarum genus: causae *spirituales* propter characterem spiritualem, directum vel indirectum; causae *matrimoniales* propter *supernaturalizationem*; causae *contentiosae* propter *spiritualizationem*: 2.º rationes *immunitatis* vel *personarum* causae *clericales* nuncupari que-

unt: 3.° demum, ratione *criminis* vel *violationis* juris appellari solent *criminales.*

Hinc exsurgit recta ecclesiasticarum causarum classificatio in *spirituales, matrimoniales, contentiosas, clericales* ac *criminales,* de quibus levissime disseremus, ut pateat quanta sit potestas Ecclesiae judicialis.

116. Causae *spirituales* dicuntur: *quae ad fidem, mores et disciplinam spectant,* hoc est, quae versantur circa res vel *directe* spirituales, uti fides, mores, sacramenta, sacri ritus, aliaque ad religionem pertinentia, vel *indirecte* spirituales, velut electiones, institutiones, bona, jura, officia clericorum, aliaque multa ad Ecclesiae gubernationem sive externam politiam concernentia.

Jam vero, cum anterioribus articulis cumulatissime probaverimus Ecclesiam a Christo Domino plena potestate esse insignitam docendi, jubendi, judicandi, puniendi atque solvendi in iis omnibus, quae ad cultum Dei, salutem animarum, ejusque regimen et administrationem referuntur, supervacaneum nobis videtur novis argumentis ac rationibus demonstrare causas *spirituales* Ecclesiae judicio exclusive et essentialiter competere; relegantur denuo ad pleniorem hujus rei confirmationem testimonia et observationes hinc et illinc saepissime allata.

117. Causae *matrimoniales* nuncupari possunt: *quae de indissolubilitate vinculi, validitate sponsalium, vel de jure ad divortium agunt.* Ejusmodi causas existimandas esse mere ecclesiasticas, hoc est, in foro ecclesiastico tantum dijudicandas apertissime constat: 1.° ex Tridentina Synodo, quae generatim definivit: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit* (1); 2.° ex damnatione *) *operum*

(1) Sess. XXIV *de Matrim.* can. XII.

Joannis Launoji Theologi Parisiensis (1), Littae Canonici Mediolanensis (2), et Marci Antonii De Dominis Archiepiscopi apostatae Spalatensis (3); [b]) *errorum* Petri Tamburini Antecessoris Ticinensis (4) atque Joannis Nepomuceni Nuytz in eodem Gymnasio Professoris (5); [c]) *propositionum* LXVI et LXXIII Syllabi quae ita enuntiantur: 66.ª.—"Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.„ 73.ª—"Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur„; 3.° ex natura christiani matrimonii quod prorsus spirituale est; ex quo enim matrimonium ad dignitatem Sacramenti evectum est, oportet causas matrimoniales ad unam Ecclesiam pertinere, quae ab ipso Deo jurisdictionem circa res spirituales accepit; 4.° ex confessione Protestantium; ipse enim Calvinus fassus est: "Ubi semel obtinuere Chatolici Matrimonium esse Sacramentum, conjugalium causarum cognitionem ad se traxerunt, quippe res spiritualis erat profanis Judicibus non attrectanda„ (6); atque celeberrimus Bohemerus, notissimus Reformationis jurista aperte testatur; «Protestantes, quamvis negent matrimonium esse Sacramentum, aestimarunt tamen majores nostri matrimoniales causas *ad casus conscientiae* esse referendas, quorum cum non ha-

---

(1) *De regia in Matrimonium potestate.*
(2) *Del diritto di stabilire gl' impedimenti derimenti il Matrimonio.*
(3) *De Republica Christiana.*
(4) Hic celebris jansenista, qui Synodi Pistoriensis anima fuit, miserrime mortuus est oneratus annis et censuris: ejus errores per Pium VI damnati sunt in Constitutione *Auctorem fidei.*
(5) Perversae hujus impii auctoris doctrinae a Pio IX solemniter fuerunt condemnatae in Brevi *Apostolicae Sedis*, die 22 Augusti 1851.
(6) Lib. IV *Institut.* cap. 19 §. 17.

beatur ratio in foro saeculari, merito easdem judicio ecclesiastico esse delegandas.„ (1)

118. Sed cum non omnes matrimoniales causae indiscriminatim et absolute Ecclesiae judicio subsint, finiendi gratiâ quaenam ad forum ecclesiasticum attineant, quaenam vero laicis judicibus competant, tria cum Benedicto XIV distinguenda sunt causarum matrimonialium genera: "Aliquae, ait doctissimus Pontifex, versantur circa initi conjugalis foederis *firmitatem*... Aliae sunt causae excitatae aut super *validitate sponsalium*, aut super jure instituendi *divortium* quoad thorum, et quoad cohabitationem... Aliae demum sunt causae, quae connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas et temporales directe atque immediate respiciunt.„ (2)

Ex allatis Benedicti XIV verbis plane consequitur tres esse causas, quae ad judices ecclesiasticos tantum pertinent, scilicet, causas circa *vinculum* Matrimonii versantes, causas de validitate *sponsalium* agentes, necnon causas ad jus instituendi *divortium* quoad thorum et habitationem spectantes; nunc vero videndum ac exponendum superest Ecclesiae reapse adjudicanda esse exclusivam competentiam hisce de causis cognoscendi atque judicandi, quod quidem facili demonstratione evincitur.

Quod primum causarum genus, earum nempe quae super initi conjugalis foederis firmitate versantur, certum exploratumque est eas ad ecclesiasticos judices pertinere, quandoquidem, quotiescumque in lege evangelica et apud christianos causa agatur de firmitate foederis conjugalis, idem est ac si quaestio de Sacramenti validitate institueretur; etenim post Christi adventum et Evangelii promulgationem Sacramentum nul-

---

(1) *Jus Eccl. Protest.* tom. II, tit. 2. § 14.
(2) *De Synod. Dioec.* lib. IX, cap. 9.

lo modo a matrimoniali contractu sejungi aut separari queit, tamquam si esset res segregata a re vel res extrinsecus addita et superveniens, sed Sacramentum et Matrimonium una eademque res est.

Pro hac unitate atque identitate contractus et sacramenti vindicanda, constabilienda, docendaque in actuali gratiae oeconomia simul conspirant: 1.° Tridentina definitio ejusmodi veritatem ita proclamans: *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum exseptem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, anathema sit* (1); 2.° auctoritas Angelici Doctoris, qui catholicam doctrinam hisce verbis mirifice exponit: *Actus exteriores, et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est Sacramentum matrimonii, et hujusmodi nexus ex virtute divinae institutionis dispositive operatur ad gratiam* (2); itaque, juxta S. Thomae sententiam, Matrimonium et Sacramentum non sunt duae res, sed una eademque, quatenus nexus ipse matrimonialis Sacramentum est; 3.° declaratio authentica Pontificis Pii IX sic ajentis: *Cum nemo ex catholicis ignoret, aut ignorare possit, Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse* "quin uno eodemque tempore sit sacramentum„ *atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris* "praeter sacramentum„ *conjunctionem cujuscumque etiam legis civilis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum, ab Ecclesia tanto tempore damnatum, ac proinde a conjugali foedere* "sacramentum separari nunquam posse„ *et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decerne-*

---

(1) Sess. XXIV, can. I.
(2) *In Suppl.* tert. part. quaest. 42 art. 3 ad. 2.

re, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere (1).

Cum igitur, ex praejacta Concilii Tridentini, Angelici Doctoris et Venerabilis Pontificis Pii IX doctrina ab omnibus Christi fidelibus profitenda, foedus conjugale seu contractus matrimonialis sit Sacramentum, de sacramentis autem judicare ad unam Ecclesiam pertineat, pronum est inferre causas omnes, quae ad vinculum matrimonii spectant, foro duntaxat ecclesiastico competere.

Quoad alia duo genera causarum, quae circa *sponsalia* et *divortium* institui possunt, dubitari nequit ipsas quoque ad solos judices ecclesiasticos esse deferendas, tum ob illum respectum, quem habent ad matrimonii Sacramentum, uti eruitur ex cap. 10 EX LITTERIS *de sponsalibus* et ex cap. PORRO *de divortiis*; tum etiam quia in ejusmodi causis judicandis passim occurrere possunt quaestiones circa ordinem moralem versantes, quae nec negligi aut contemni debent, nec a magistratibus saecularibus judicari vel dirimi valent, quippe de his rebus in foro civili nulla cognitio est, neque etiam esse potest.

119. Hoc triplici causarum genere excepto, quae propter sanctitatem conjugii christiani et naturam supernaturalem Matrimonii ad dignitatem Sacramenti in Novo Foedere evecti sub potestate Ecclesiae cadunt, caeterae, connexionem quidem cum connubio habentes, sed res mere politicas ac temporales directe atque immediate respicientes, inter causas *civiles* recensentur, ideoque judicio saeculari subjiciuntur.

Hinc colligere fas est omnia quae circa causas conjugales mere *civiles* versantur, vel de effectibus *separabilibus* Matrimonii agunt, veluti de dotibus, de donationi-

(1) In *Allocutione* die 27 Septembris 1853 habita circa res Reipublicae Neogranatensis.

bus propter nuptias, de alimentis, de successione haereditaria, aliisque id genus, cognitioni atque sententiae fori civilis subesse possunt, et ut plurimum laicis judicibus adscribi solent.

120. Causae *contentiosae* appellantur: *Illae in quibus judicialiter controvertitur jus in res temporales spiritualibus adnexas.* Omnibus liquido patet hujusmodi causas ecclesiastico foro esse tribuendas, eo quòd circa res temporales ob connexionem cum spiritualibus jam *spiritualizatas*, hoc est, ad ordinem superiorem diversamque conditionem elevatas, judicialiter versentur; sed res *spiritualizatae*, uti alibi demonstravimus, ad Ecclesiae potestatem pertinent; igitur causae de hisce rebus pertractantes ejusdem Ecclesiae judicio subjacent, quia, juxta omnium consensum, cognitio causae ad eum spectare debet, cujus jurisdictioni subjecta est res, de qua agitur. Exinde Alexander III competentiam ecclesiasticae jurisdictionis in causis contentiosis cognoscendis explicite declaravit: *Causa jurispatronatus itaconjuncta est et connexa spiritualibus causis, quod nonnisi ecclesiastico judicio valeat terminari* (1).

Licet vero ejusmodi causae *spiritualizatae* nuncupatae, utpote quae de rebus temporalibus cum spiritualibus intime copulatis disserant, judicibus ecclesiasticis proprie ac legitime competant; sive quaestio oborta circa *proprietatem* seu jus *petitorium* versetur; sive contentio de *possessione* seu jure *possessorio* agitetur; animadvertendum esse ducimus aliquibus provinciis vel locis hunc vigere morem: quando judicium *proprietatis* est, quia de adquirenda re vel adipiscenda possessione agitur, praefatae causae ad judicem ecclesiasticum remittuntur; quoties vero judicium *possessionis* fuerit, quia de retinenda vel recuperanda possessione agatur, apud forum civile tractari solent.

(1) Cap. 3 *de Judic.*

121. Causae *clericales* denominantur: *Quae in judicandisatque puniendis civilibus Clericorum delictis versantur, et ratione immunitatis personalis foro ecclesiastico competunt.*

Hujusmodi causae hodie apud nos haud ocurrunt, siquidem, suppresso foro ecclesiastico ex decreto unificationis a Gubernio Provisionali die 6 Decembris anni 1868 expedito, et postea in Comitiis 19 Junii anni 1869 sancito atque legis vigore munito, Clerici cujuslibet civilis criminis rei tribunalibus laicis subjiciuntur.

122. Causae *criminales* designantur: *Illae quae de cognoscendis, judicandis atque plectendis criminibus ecclesiasticis vel mixtis pertractant.*

Priusquam vero generaliter atque levissime, prout fert scopus ejusmodi Praelectionum, definiatur cuinam competat de causis criminalibus intelligere ac judicium ferre, praenotandum est delicta recte distingui posse in *ecclesiastica, civilia* et *mixta;* vocantur *ecclesiastica* quae fidem aut religionem directe laedunt, uti apostasia, haeresis, schisma, simonia, aliaque similia; *civilia* sunt quae ordinem socialem aut rempublicam directe laedunt, puta homicidium, furtum, peculatus, et plurima alia hujus generis; *mixta* demum dicuntur quae simul Ecclesiae et Statui nocent, hoc est, tum ordinem religiosum, tum ordinem socialem perturbant, cujusmodi censentur adulterium, concubinatus, sortilegia, caeteraque multa. Praemissa hac distinctione, competentiam jurisdictionis in triplici casu finire res facillima est.

1.° Causas de delictis *ecclesiasticis* cognoscere et judicare solis judicibus ecclesiasticis etiam contra laicos competit; ratio obvia est, etenim hoc in primo casu judicium versatur circa rem spiritualem, id est, circa crimen contra fidem aut religionem patratum.

2.° Causas de delictis *civilibus* cognoscere, sontesque justis ac congruis poenis coercere judicibus laicis *contra laicos* competit; diximus *contra laicos,* quia, quam-

vis leges civiles hac luctuosa aetate fere in cunctis catholicis nationibus supprimendo foro ecclesiastico mâgna cum injuria intendere nisae sunt, attamen *juridice* ac *catholice* loquendo, hoc est, juxta ecclesiasticos canones rectaque societatis christianae principia, sacra personarum immunitas et a principibus populisque antiquis temporibus proclamata fuit, et hodie a catholicis veri nominis colitùr, et usque ad consummationem saeculi, donec sit Ecclesia divinitus instituta, semper et ubique ab omnibus fidelibus agnoscetur; ideoque nos sacrosancta Ecclesiae jura ejusque sanctissima privilegia atque immunitates totis viribus et usque in mortem, Deo adjuvante, profiteri, propugnare atque vindicare satagemus.

3.° Causas de delictis *mixtis* cognoscere atque judicare valet utraque potestas, tum ecclesiastica, tum civilis; ita tamen ut inter utrumque forum, si laicus fuerit reus, locum habeat *praeventio,* quae in eo sita est, quod causa ab eo foro noscatur, quod alterum praevenit primum actum judicialem exercendo.

ARTICULUS VIII.

SUMMARIUM.

123. Quantitas potestatis *coercitivae* Ecclesiae.—124. Status quaestionis praefiniatur.—125. Notio poenae canonicae.—126. Divisio poenarum.—127. Ecclesiasticae poenae finis.—128 An Ecclesia vi potestatis punitivae poenas temporales infligere possit.—129. Ostendatur Ecclesiae inesse facultatem poenas temporales injungendi. —130. Utrum Ecclesia hujusmodi poenas jure proprio decreverit. —131 Num Ecclesiae competat *Jus gladii.*—132. Sententia negativa vindicetur.—133. Sententia affirmativa refellatur. -134. An Ecclesia *vi armata* uti queat.

123. Controversia de quantitate potestatis coercitivae Ecclesiae magna obscuritate laborat, et quamvis canonistae de ea fuse et eruditísime disceptaverint, post tot disquisitiones adhuc maxime complexa manet; diffi·

cultates pro hac quaestione dilucidanda atque finienda ex triplici fonte oriuntur: 1.° ex eo quòd Ecclesia hac super re explicitam declarationem aut apertam definitionem nondum ediderit; 2.° ex ipsa agendi ratione et authenticis Ecclesiae documentis, quae, licet interdum decretis conciliaribus vel pontificiis constitutionibus aliquid docuerit, necnon factis frequentissimis suum sensum detexerit, attamen nec ejus doctrina adeo clara et categorica apparet, ut nullus disputandi locus supersit, neque ipsius facta ita generalia, continua aut decisiva existimantur, ut quamcumque discutiendi occasionem removeant; 3.° ex magna discrepantia opinionum, quae hac praecise de causa libertatem sentiendi favente apud juristas catholicos optimae notae vigent.

124. Ut status hujus quaestionis recte dignoscatur, atque pro more nostro perspicuitate ac methodo proponatur, primum omnium secernere oportet ea, quae certa et ab omnibus recepta sunt, a privatis sententiis quas Doctores catholici majori vel minori probabilitate, argumentis plus minusve solidis tuentur.

Praeponenda sunt tamquam firmissima atque indubitata sequentia principia: 1.° Ecclesiam non solum habere, verum etiam a suis primordiis sibi tribuisse facultatem punitivam, et quidem propriam, non a Principibus saecularibus communicatam, ideoque pra sentem quaestionem non circa hújus potestatis veritatem aut existentiam versari, quae satis superque demonstrata est in thesi de Suprematia, sed tantum circa quantitatem, hoc est, naturam et specificationem poenarum, quas Ecclesia proprio jure infligere valet; 2.° Ecclesiam potiri exclusiva et essentiali potestate poenas spirituales imponendi; 3.° Ecclesiam aliquando, tum verbis seu docendo, tum factis seu agendo sibi vindicasse jus nonnullas poenas temporales adhibendi; 4.° omnem disputationem cessare debere, statim ac Ecclesia, si necessarium vel opportunum duceret, Pontificio decreto aut

Conciliari definitione quantitatem vel extensionem suae potestatis coercitivae explicite proponeret ac declararet, cum ipsa sit *positive* infallibilis in docendo et *negative* in agendo.

Praemissis hisce inconcussis atque fundamentalibus *principiis*, modo de capitibus *controversis* disserendum est, quae ad quatuor quaestiones revocari possunt, videlicet: 1.° an Ecclesia, absolute et simplici ter loquendo, vi potestatis punitivae poenas temporales injungere possit; 2.° utrum ejusmodi poenas jure pro prio decernere queat; 3.° num ipsi competat *Jus gladii*; 4.° an denique *vi armata* gaudeat.

Sed antequam singulas quaestiones attingamus, nostramque sententiam, ducibus probatissimis canonistis, aperiamus, nonnihil de ecclesiasticis poenis earumque natura dicendum erit.

125. Poena, juxta notionem alias traditam, recte dici potest: *privatio boni ob abusum rei bonae;* unde poena canonica in genere apposite definiri solet: *Privatio boni, sive spiritualis, sive temporalis, ab Ecclesia inflicta ob abusum contra divina et ecclesiastica mandata patratum.* Ex hac definitione liquido conjicitur poenalitatem in Jure Ecclesiastico latius patere quam in Jure Civili, quippe in suo conceptu triplex poenarum genus complectitur, nimirum, *poenitentias*, *censuras* et *mere poenas*, quae omnes veram poenae naturam induunt, quoniam privationem alicujus boni important.

Si privatio boni expiationem peccati et emendationem rei pro scopo habeat, vocatur *poenitentia*, quae nihil aliud est quam: *moderata castigatio delinquentibus conversis ab Ecclesia inflicta in compensationem injuriae Deo per peccatum illatae et satisfactionem societatis christianae schandalo offensae*, uti peregrinationes, jejunia, eleemosynae, aut etiam quorumdam bonorum spiritualium privatio: hinc poenitentiae aliquando simul erant poenae spirituales et temporales; *spirituales*, quia sa-

cramentis et nonnullis aliis bonis Ecclesiae privabant; *temporales* ob opera directe aflictiva, puta jejunium, abstinentia, etc. Finis poenitentiarum triplex est, *correctionalis* quoad emendationem rei, *satisfactorius* propter expiationem salutarem peccati coram Deo, et *exemplaris* ob reparationem voluntariam ordinis socialis schandalo laesi.

Si privatio boni contumaciam sontis, impoenitentis et voluntariam satisfactionem atque obedientiam Ecclesiae renuentis, frangere directe et primario intendat, tunc habetur *censura*, quae juxta eximium Suarezium, est: *poena spiritualis et medicinalis, privans usu aliquorum spiritualium bonorum, per ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eamdem ordinarie absolvi possit:* prout ex definitione elucet, finis censurae duplex est, *correctio* rei ejus pervicaciam conterendo et *exemplaritas* sociorum caeteros a crimine et obstinatione deterrendo.

Demum, si privatio boni tamquam objectum potissimum persequatur punitionem delicti vel defensionem societatis, oritur mera *poena*, sub qua denominatione venit: *quae vel vindictam vel saltem exemplaritatem sibi proponit ut finem directum, ideoque et applicatur invito et conversione delinquentis non remittitur;* dicitur in definitione *vel vindictam vel saltem exemplaritatem*, quia merae poenae esse possunt vindicativae aut exemplares pro diverso societatis fine; si enim societas directe tendat ad bonum commune, uti contingit in civilibus societatibus, mera poena vindicationem ordinis violati intendit; si vero societas bonum individuale promovendum primario atque immediate curet, velut evenit in Ecclesia, cujus finis proximus et directus in salute animarum situs est, tum merae poenae tamquam objectum proprium et scopum directum sibi praestituent societatis defensionem seu tutelam ordinis socialis, praeservando per punitionem delinquentis caeteros adsociatos

a perpetratione criminis, ipsosque ab ejus imitatione avertendo: quamobrem ex legislatione canonica prorsus expungendam esse censemus, uti paulo post ostendemus, denominationem *vindictae*, et contendimus semperque propugnabimus ex Operibus Juridicis et Theologicis delendam funditus esse classificationem poenarum, quae adhuc a nonnullis auctoribus *vindicativae* appellari solent.

126. Merae poenae esse possunt *spirituales, temporales vel mixtae* pro natura bonorum quibus privant.

Spirituales sex recensentur: depositio, degradatio, irregularitas et inhabilitas (quae etsi per se non sint poenae, aliquando autem inferuntur in poenam), suspensio perpetua atque detrusio ad communionem laicam.

Temporales in *externas* et *personales* distinguuntur: *externae* quae bonis externis privant, sive *moralibus* uti bona fama, et tunc *infamia* habetur, *juris* vel *facti*, prout a lege infligitur et sententia judicis vel a justa populi opinione, sive *materialibus*, et tunc exsurgunt aliae duo poenae, *mulcta* seu exactio pecuniaria et *publicatio* bonorum *(confiscación)*, si ad aliqua vel ad omnia bona materialia extendatur; *personales* dicuntur quae bona *animae* vel *corporis* auferunt; quando bonis *corporis* privant, vocari solent *directe aflictivae* aut corporis aflictivae, uti *poena capitalis, mutilatio, verberationes, compedes* et alia hujusmodi; cum vero bona *animae* ac omnium potissimum atque nobilissimum, nempe, libertatem demunt aut imminuunt, *indirecte aflictivae* denominantur, exinde carcer vel potius incarceratio sub multiplici forma et gradatione servata, nimirum, *reclusio* seu carcer simplex, *exilium* (ejectio a territorio), *relegatio* (domicilium coactum in loco determinato, hispanice *confinamiento), exsulatio* (expulsio a patria, in Hispania *extrañamiento)*, et *deportatio* (amandatio ad colonias vel praesidia ultramarina, apud nos *relegación);*

ejusmodi poenae libertatem tollentes vel minuentes *perpetuae* aut *temporales* deveniri queunt.

Denique *mixtae* nuncupantur illae poenae spirituales, quae per consequens amissionem alicujus boni temporalis important, sic degradatio, quamvis sit mera poena spiritualis, etiam praebenda expoliat.

127. Quoad naturam ecclesiasticae poenae, inquirendum superest utrum canonicis poenis aptari et convenire queant tres fines generales, qui in civili punitione reperiuntur, scilicet, correctionalis, exemplaris atque expiatorius seu vindicativus. Ad hanc praeviam quaestionem recte solvendam animadvertere opus est nomen *vindictae* duplici sensu usurpari posse, *proprie* et *improprie; proprie* quatenus plectitur delictum lege talionis, ita ut habeatur aequalitas inter crimen et punitionem; *improprie* quatenus poenae praeter correctionem delinquentis publicum exemplum praebere intendant: jam vero, facile concedimus poenalitatem ecclesiasticam sic sumptam vindicativam esse; sed prorsus negamus canonicas poenas, juxta strictam vindictae notionem, et expiatorias esse et vindicativas nominari posse, siquidem hoc Ecclesiae naturae, sententiae Patrum, Conciliorum doctrinae et Pontificum testimonio adversatur.

Inflictio poenarum scopo directo et proprio vindicandi crimen opponitur: 1.° Ecclesiae indoli; etenim societas a Christo instituta salutem hominum intendit, ideoque delicta punit quantum requirit salus delinquentis et societatis, scilicet, quantum necesse est ad reum emendandum, et ad caeteros deterrendos ab ejus imitatione; hinc ecclesiasticae poenae finis duplex dumtaxat assignari debet, *correctionalis* atque *exemplaris*: 2.° sententiae SS. Patrum; brevitatis gratia, unum laudamus S. Gregorium Magnum, qui a S. Augustino Angliae apostolo interrogatus de poena reis furti sacrilegi irroganda in rescribendo summam jurisprudentiae criminalis ecclesiasticae tradidit: *ex adjunctis dijudicandam esse,*

respondit, *delicti gravitatem, ut quidam damnis, quidam verberibus, et quidam districtius, quidam vero levius corrigantur... et cum paullo districtius agitur, ex charitate agendum est, et non ex furore... Haec ergo charitas in mente tenenda est, et ipsa modum correctionis dictat* (1): 3.° Conciliorum doctrinae; Tridentina enim Synodus officia Episcoporum describens, postquam benevolentiam, exhortationem et charitatem in corrigendo commendasset, ita inquit: *Sin autem ob delicti gravitatem, virga opus fuerit; tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est: ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur: et qui correcti fuerint,* "emendentur" *aut, si resipiscere noluerint, caeteri, salubri in eos animadversionis* "exemplo" *a vitiis deterreantur* (2): 4.° Summorum Pontificum testimonio; nam Pius VI in Bulla *Auctorem fidei* Ecclesiae vindicans potestatem coercendi atque cogendi, docet ipsam adhibere posse poenas *salubres.*

128. Recensitis canonicis poenis, earumque natura distincte definita, quaeritur 1.° an Ecclesia vi potestatis punitivae poenas etiam temporales infligere possit.

Hac de re duplex adest opinio apud theologos et juristas; alii sententiam negativam tuentur, alii verò probabilius et rectius affirmativam. Qui negant pro sua sententia tres probationes adducunt: a) argumentum rationis; potestas enim Ecclesiae, tota quanta est, spiritualis omnino est, ideoque jure proprio gaudet christianos hortandi, objurgandi, movendi gradu ecclesiastico, Sacramentorum usu arcendi, atque etiam ab ecclesiastica communione penitus segregandi; quod si haec non sufficerent, gravioraque remedia essent adhibenda ad improbos in officio continendos, Ecclesiae quidem lice-

(1) Epist. 64. resp. 4. lib. XI.
(2) Sess. XIII, cap. I *de Ref.*

re contendunt auctoritatem Principum vel Magistratuum civilium implorare, ut delinquentium contumacia frangatur, minime vero ipsi competere jus poenas temporales irrogandi; [b]) testimonia SS. Patrum; quos inter memorari meretur S. Joannes Chrysostomus ita inquiens: *Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti, animae; Rex maculas corporis remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum; ille cogit, hic exhortatur; ille necessitate agit, hic libera voluntate; ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia* (1);) Decretales Pontificias; etenim Caelestinus III aperte fassus est summum coercitionis genus, quo uti Ecclesia potest, excommunicationem esse, ac nihil praeterea habere, quod ultra faciat: *Si Clericus*, ait, *in quocumque ordine constitutus in furto, vel homicidio, vel perjurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime, atque convictus, ab ecclesiastico judice deponendus est. Quod si depositus incorregibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri; postmodum vero, si in profundum malorum veniens, contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendus potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima poena inferatur* (2).

129. Hodie vero plerique canonistae optimae notae contendunt potestatem Ecclesiae coercitivam sese extendere ad poenas temporales, etiam *corporis aflictivas*, atque triplici innituntur argumento, videlicet, *doctrina* Ecclesiae, ejusdem *praxi* et ipsa *ratione*.

1.° *Doctrina* Ecclesiae sat explicite colligitur: [a]) ex Tridentina Synodo, quae duobus in locis sententiam nunc communiter receptam plane confirmat; nam in Sessione VII definivit: *Si quis dixerit... nec alia poena ad christianam vitam cogendos* (fideles) *nisi ut ab Eucha-*

---

(1) Hom. 4. *de verbis Isaiae.*
(2) Cap. 10 *de Judiciis.*

ristiae, aliorumque sacramentorum perceptione arceantur donec resipiscant, anathema sit (1); jam vero Patres Tridentini damnando in hoc canone eos qui asserunt Ecclesiam tantum posse *a sacramentis arcere,* quae est potissima poena spiritualis, haud obscure declararunt potestatem quoque habere poenas temporales injungendi, et quidem non modo correctionales *donec resipiscant,* verum etiam exemplares seu duraturas: deinde idem Concilium in Sessione XXV Episcopis praecipiens ne censuras ferant nisi rarissime et pro gravioribus causis, judicibus ecclesiasticis facultatem impertitur poenas temporales decernendi: *Liceat eis, si expedire videbitur in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodocumque pertinentibus, contra quoscumque, etiam laicos,* "per mulctas pecuniarias"... *seu* "per captionem pignorum personarumque districtionem"... *sive etiam* "per privationem beneficiorum aliaque juris remedia" *procedere* (2), ex quibus verbis sufficienter patet mens Tridentinae Synodi.

b) Conjicitur insuper Ecclesiae doctrina ex Pontificiis Constitutionibus: etenim Benedictus XIV Brevi *Ad assiduas* damnavit P. La Berde, qui inficiari ausus est Ecclesiae competere potestatem poenis temporalibus coercendi; pariter Pius VI in Const. *Auctorem fidei* propositionem IV Synodi Pistoriensis asserentem "abusum fore auctoritatis Ecclesiae... exigere per vim subjectionem suis decretis" hac censura notavit: *quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi potestatem a Deo, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges ac devios contumacesque* EXTERIORI JUDICIO AC SALUBRIBUS POENIS COERCENDI ATQUE COGENDI... *inducens in systema alias* (a Joanne XXII) *damnatum ut haereticum;* tandem Pius IX propositionem XXIV in Syl-

(1) Can. XIV *de Baptismo.*
(2) Cap. III *de Reformatione.*

labo reprobavit: *Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.*

2.° *Praxis* Ecclesiae nostrae assertioni plane consonat: ex monumentis sinceris atque authenticis, quae proferre omnino vacat, in uso ecclesiastico fuerunt sex sequentes poenae: 1.ª *infamia,* etiam in novissima disciplina a Tridentina Synodo sancita, et quidem in perpetuum, contra raptores consentientes atque duellistas eorumque fautores; 2.ª *mulcta* seu exactio pecuniaria, quamvis moderata et juxta Concilium Tridentinum ab Episcopis in alias pias operas impendenda; 3.ª *flagellatio*; 4.ª *carcer* etiam perpetuus, ut plurimum reclusio in monasterium, ad tutandam societatem christianam a delinquentibus incorregibilibus aut recidivis; 5.ª *exilium* ab una in aliam provinciam; 6.ª *relegatio* in aliquam regionem, quae nihil aliud est quam carcer amplior.

Ejusmodi poenas irrogavit Ecclesia utpote utiles ad correctionem sontis et salutares pro caeteris; sed prorsus abhorruit a morte, mutilatione, aliisque atrocioribus poenis, quae characterem potius vindicativum quam correctivum habent, et generaliter loquendo a publicatione bonorum abstinuit, tum ad vitandam avaritiae accusationem, tum ad removendum damnum familiae criminalis, ideoque innocentibus sequuturum. Diximus *generaler loquendo,* quia in duplici casu hanc poenam adhibuit: 1.° cum ageretur de delicto ecclesiastico ratione personae tantum, hoc est, ob privilegium fori, aliquando usa est Ecclesia confiscatione; tunc enim crimen plectebat etiam sub respectu civili, loco potestatis saecularis; sed hujusmodi poenam decernere non consuevit pro puniendo delicto ecclesiastico ratione materiae; 2.° in re feudali interdum jussit feudatarios, praesertim si ipsi Ecclesiae obstringerentur, feudis esse expoliandos, uti patet ex Constitutione Julii II in Concilio Lateranensi V.

Age jam, cum ex dictis facultatem coercitivam etiam in ordine temporali saeculis anteactis Ecclesia exercuisset, vel dicendum est Ecclesiam universalem seu supremam auctoritatem errasse sibi vindicando jus quo carebat, vel Ecclesiam sua agendi ratione ita potestatem punitivam interpretatam esse, ut saltem ad recensitas poenas sese porrigere posset.

3.° Ipsa *ratio* naturalis cuique suadet Ecclesiae esse deferendum jus poenas temporales indicendi; etenim ecclesiastica poena tamquam scopum proprium sibi proponit et delinquentes per punitionem corrigere, etinsontes per timorem a crimine deterrere; nunc vero, emendationem obtinent atque exemplum caeteris praebent non solum poenitentiae, censurae et poenae mere spirituales, sed ejusmodi effectum praecipue sortiuntur poenae temporales, quia saepius efficaciores sunt, eo ipso quòd criminales spiritualia contemnere audeant, externa vero, sensibilia et temporalia, maxime si corpus affligant, pertimescere et sentire soleant.

130. Queritur 2.° utrnm Ecclesia poenas temporales jure proprio constituerit. Febroniani, Jansenistae et Caesaristae, cum infitiari nequeant Ecclesiam a remotissima aetate poenas temporales intulisse, effutire ausi sunt ex concessione aut Principum benevolentia hoc praestitisse, minime autem facultate insita et propria.

Falsitas hujus assertionis, potestati ecclesiasticae plane injuriosae et a testimonio historico prorsus alienae, satis elucet spectata essentiali natura atque explicita ipsius Ecclesiae doctrina: a) quaelibet humana societas, si perfecta atque inaequalis sit, juxta omnium consensum jure nativo pollet socios ad finis consecutionem cogendi, contumacesque etiam poenis temporalibus adhibitis coercendi; sed Ecclesia ex demonstratis est societas juridice perfecta, inaequalis atque suprema; igitur ipsi competit vera et propria potestas poenas temporales decernendi, ut, cum media spiritualia

non sufficiant ad fideles in suis officiis debitaque submissione continendos, improbi ac devii salubriter coerceantur: [b]) Ecclesia hoc jus perpetuo sibi vindicavit tamquam proprium, uti ex Const. *Licet* Joannis XXII, ex Bulla *Auctorem Fidei* Pii VI, aliisque quamplurimis documentis supra allatis constat; ergo vel supponendum et concedendum erit Ecclesiam Summosque Pontifices leges aut constitutiones dogmaticas edidisse ad tuenda et constabilienda jura, quae non sunt jura, utpote contingentia, dependentia atque revocabilia pro nutu et voluntate Principum; vel fateri et admittere necesse est Ecclesiam jure proprio potiri sontes pervicacesque poenis temporalibus puniendi.

131. Quaeritur 3.° num Ecclesiae competat *Jus gladii*, seu quod idem est, utrum Ecclesia, praeter poenas temporales et corporis aflictivas, usque ad effusionem sanguinis punire possit.

Jus gladii vocatur: *vis poenas cruentas, etiam capitales, inferendi*; hodie abolita apud cultas gentes ex legislatione poenali mutilatione, sanguis tantum in poena capitali effunditur; videndum superest nunc, an Ecclesia vi potestatis coercitivae poenas cruentas, seu melius, poenam capitalem infligere valeat, vel an potius hoc genus punitionis indoli atque naturae Ecclesiae ita repugnet, ut exercitium tum directum tum indirectum hujusmodi potestatis ab ipsa abjudicandum sit, quin tamen carentia juris gladii defectum perfectionis in societate a Christo Domino instituta arguat, sed dumtaxat importet privationem rei inutilis bono Ecclesiae regimini, medii innecessarii ad finis supernaturalis adeptionem, et punitionis pro salute animarum nihil proficientis.

132. Nunc vero, plerique ac probatissimi canonistae censent ac sustinent Ecclesiae non competere jus gladii seu potestatem poenam capitis inferendi, pro sua sententia quatuor praecipua argumenta adducentes:

naturam poenae, defectum *exercitii*, Ecclesiae *prohibitiones*, salutaremque ejus *missionem*.

1.° *Natura* poenae. Enimvero poena capitalis certe vindicativa est, et nullo modo aestimari potest velut emendatrix, neque ante exsecutionem, neque post ejus illationem: *post exsecutionem*, delinquentem corrigere nequit, quia vitam auferendo tollit omnem possibilitatem voluntatem mutandi; *ante exsecutionem*, correctionalis dici nequit, quia, quamvis plures rei qui non resipuerant donec spem vivendi habuerant, cum jam mors imminet, poenitere salutariter solent, ejusmodi poenitentia non sufficit ut suprema poena emendativa nuncupari queat, quandoquidem non injungitur ad correctionem criminalis, sed pro puniendo delicto et restaurando ordine sociali laeso; hinc applicatur reis, sive poenitentes, sive contumaces sint. Age jam, ratio mere vindicativa pro Ecclesia invocari nequit, cui ex dictis ratione finis supernaturalis et coelestis mansuetudinis non incumbit delictum persequi ad meram vindictam, sed tantum ad correctionem sontis et defensionem societatis christianae. Igitur spectato charactere vindicativo extremae poenae, jus eam decernendi Ecclesiae tribuere minime oportet.

2.° *Prohibitiones* Ecclesiae. Ex monumentis authenticis apertissime liquet Ecclesiam Episcopis prohibere usum gladii pro defensione religionis et punitione criminum, ita ut sacri Canones eisdem expresse vetant ne poenis sanguinis utantur, etsi Principes vel civiles Magistratus ipsos ad hujusmodi punitionem infligendam hortarentur; sin vero Reges aut saeculares Moderatores aliquando proprium sui muneris putaverint Ecclesiam gladio defendere, suadent et volunt ipsos Principes vel judices laicos procedere nomine suo, verificato prius ab Ecclesia crimine religioso.

In confirmationem hujus argumenti consulantur can. *Saepe* 29 et 30, caus. 23, q. 8; cap. 9 *Ne clerici vel*

monachi saec.; cap. 6 *de Bapt.*: legatur responsio Pontificis Nicolai I cognomento *Magni*, qui interrogatus ab Archiepiscopo Albino utrum maritus mulierem adulteram necare posset, prouti ferebant nonnulli Codices inter quòs *Forum-Judicum*, ita rescripsit: ***Ecclesia gladium non habet nisi spiritualem, non occidit, sed vivificat*** (1); unde ortum habuit tritum axioma: ***Ecclesia abhorret a sanguine:*** adeatur denique Concilium III Toletanum cap. 6 statuens: ***perpetuo damnationis ergastulo retineri Presbyterum, qui causam sanguinis agitaverit.***

3.° Defectus *excercitii*. Historia retro actis saeculis nobis testatur factum constans et valde eloquens, significatione utique plenum et observatione quidem dignum, nempe, Ecclesiam nunquam gladium adhibuisse, neque cum poterat eo utiliter uti; ita videmus ipsam [a]) poenas cruentas neque irrogasse nec irrogare: [b]) nec consensisse neque consentire clericos participare judicio criminali; quod si ab officiis charitatis abhorreat clericum participationem habere in judicio sanguinis, alioquin justo, multo magis lenitati Ecclesiae repugnat eam sententiam sanguinis nomine proprio ferre: [c]) magistratum civilem, cum delinquentem, ex. gr. clericum degradatum, brachio saeculari tradit, rogare, uti in Pontificali legitur, ne sanguinem effundat, ex quo eruitur Ecclesiae non inesse jus sanguinem effundendi neque *directe* aut per se, neque *indirecte* seu per Principes nomine suo, secus petitio de qua loquitur Pontificale, falsa, irrisoria atque contradictoria evaderet: [d]) medio aevo Ecclesiam, cum libere exercere potuisset jus gladii, quoniam Principes et Populi, prout ferebat Jus Publicum illius aetatis et societatis christianae constitutio, plures attributiones et plenissimam facultatem etiam in ordine temporali et rebus politicis ipsi contulerunt, quas equidem facultates in bonum Principum et populorum

---

(1) Can. *Inter haec*, caus. 33, q. 2.

illa et suscepit et adhibuit, Ecclesiam, imquam, potestate poenis atrocioribus coercendi et sanguinis effusione puniendi nunquam usam fuisse.

4.° *Missio* Ecclesiae. Omnes sciunt Ecclesiam divinitus accepisse munus gravissimum, sublimemque atque altissimam missionem evangelium praedicandi, gentes docendi, sacramenta conferendi, populosque in fide ac sanctitate instituendi; jam vero, natura et scopus hujus praestantissimi muneris exercitium juris gladii tum immediatum tum mediatum, tamquam vere impossibile, prorsus inutile atque etiam fini spirituali certe noxium, àb Ecclesia excludit; et sane, si de exercitio *immediato* agatur, exsecutio poenae capitalis ab ipsa Ecclesia impositae, quando rei impoenitentes et contumaces fuerint, impossibilis fieret, juxta catholicam doctrinam, et penitus inutilis redderetur, quippe impoenitentem occidere plane adversatur Ecclesiae missioni, quae directe curare debet salutem animarum; si vero de exercitio *mediato* quaestio sit, eo quòd Ecclesia pro poena capitis infligenda Principum adjutorium vel ministerium invocaret, applicatio hujusmoci gravissimae punitionis etiam per Principes rogatu Ecclesiae facta fini ejus supernaturali noceret, divinamque suam missionem impediret aut saltem quammaxime imminueret, siquidem animos ab amplectenda religione averteret, odium animadversionemque contra se excitaret, atque convitia aut insectationes saepissime cieret, quia poena capitalis nomine Ecclesiae semper applicaretur, et Princeps praesidium seu ministerium pro ejus applicatione tantum praestaret; etenim factum tribuitur tamquam principali auctori ei qui illud imperat, non autem ei qui ad illud peragendum suum auxilium praebet.

Hinc maximopere expedit Principes saeculares in iis Statibus ubi catholica religio recognita est ut vera religio, cum delicta contra fidem ac religionem simul sint religiosa et civilia, *religiosa* quia Ecclesiam lae-

dunt, et *civilia* quia ordinem socialem perturbant, eo ipso quòd religio habeatur tamquam fundamentum moralitatis et moralitas veluti fundamentum reipublicae, crimina religiosa quae simul sunt socialia nomine proprio punire, non autem nomine Ecclesiae; ita enim obtinebitur criminalium coercitio et sarta tectaque servabitur Ecclesiae missio, quia Status poenas graviores, etiam capitalem applicando, juste utitur jure gladii, et hostes Ecclesiae suo nomine punire potest, ut caeteros ordinis socialis perturbatores.

Hanc doctrinam apprime tradidit S. Leo Magnus ad D. Thuribium Asturicensem ita scribens: *Quae* (Ecclesia) *si sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones, tamen christianorum principum constitutionibus adjuvatur dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale judicium* (1).

133. Nonnulli canonistae quibus adjici merentur Joannes de Dicastillo (2) et Pirhing (3) arbitrantur Ecclesiam potestate gaudere puniendi haereticos etiam poena capitali, licet non per se sed per principes inflicta; in suae sententiae corroborationem tres probationes allegare solent: 1.° sacra eloquia, maxime vero factum Ananiae et Saphirae, qui, juxta ipsos, a S. Petro morte mulctati sunt propter crimen sacrilegae defraudationis; 2.° argumentum juridicum ex perfectione Ecclesiae depromptum; si enim Statui, ajunt, uti societati perfectae competat jus gladii, Ecclesia etiam hoc juridico charactere insignita, saltem mediate, habere debet jus a Regibus vel Summis Imperantibus exigendi, ut poenam capitalem contra reos atrociorum criminum irrogent, secus securitati, defensioni et ejusdem Ecclesiae auctoritati non esset satis consultum; 3.° argumentum ratio-

---

(1) Epist. anno 447 edita *in causa Priscilianistarum.*
(2) Tract. de *Cens.*, disp. 1.
(3) Jur. Eccl. lib. V, tit. 7, sect. 3, num. 93.

nis ita per Pirhing enuntiatum: "Quia aliàs non potest rebelles inobedientes coercere et eorum delicta vindicare, neque membra putrida atque noxia toti corpori resecare, ut probat Bellarminus (lib. 3 *de Laicis*, cap. 21 et 22); non tamen Ecclesia solet exercere et exsequi hanc potestatem per judices et ministros ecclesiasticos, sed laicos, et mediante eorum temporali potestate, quia id decentius est, et pietati Ecclesiae conformius".

Sed ejusmodi argumenta vere futilia et fere nullius momenti nobis videntur; etenim ad mortem Ananiae et Saphirae quod attinet, hoc factum nihil probat, quoniam Princeps Apostolorum poenam capitalen ne quidem verbis intulit, sed tantum praedixit quae Deus facturus erat pro directe puniendo crimine patrato: quoad Ecclesiae perfectionem, quamvis Congregatio a Christo condita sit perfecta sicut societas civilis, habet tamen finem ordinis prorsus diversi, ideoque positio et usus mediorum fini proprio unicuique societati praestituto adaequata esse debent; exinde infertur societati civili competere jus gladii, quia est necessarium et proportionatum suo fini, videlicet, felicitati temporali in praesenti vita per media externa assequendae; Ecclesiae autem non decet similis potestas, quia necessaria non videtur, immo vero aliena omnino apparet a suo fine, nempe, salute aeterna per internam sanctificationem obtinenda: demum si agitur de necessitate societatem tuendi atque membra putrida et noxia resecandi, etsi poena capitis tutissimum medium sit ponendi delinquentes in impossibilitate ulterius nocendi, non est adeo necessaria, ut absque hoc extremo remedio et suprema punitione nequeat attingi et tutari defensio societatis ecclesiasticae; adest enim carcer perpetuus, ubi prudenter timeatur sontem, ex. gr. haereticum dogmatizantem recidivum denuò societatem esse perturbaturum.

134. Quaeritur 4.° an Ecclesia *vi armata* uti possit.

Nomine *vis armatae* intelligitur: *vis publica idonea ad violentiam corporalem et homini maxime invito inferendam;* praemonendum ducimus sub hac denominatione minime comprehendi neque modicam coercitionem quam patresfamilias in filios, praelati Ecclesiae in clericos, et abbates in monachos exercere consuescunt, neque etiam parvum exsecutorum numerum, quos tribunal ecclesiasticum pro poenis temporalibus infligendis suisque sententiis exsequendis adhibere potest etiam cum potestatis civilis consensu, uti aliquando contigit in concordatis, in quibus concessum est, ut Episcopi 12 lictores haberent, Archiepiscopi vero 24: loquimur heic de vi vere publica et omnino militari.

Pro hac solvenda quaestione distinguere necesse est jus immediatum atque mediatum; *illud* est facultas propria habendi et organizandi per se et independenter vim publicam pro urgenda exsecutione legum vel sententiarum; *hoc* autem vocatur facultas a statu civili exigendi vis armatae auxilium ad leges Ecclesiae exsequendas ejusque sententias adimplendas. Jus mediatum certe Ecclesiae competit, nam sine vi armata poenas temporales, etiam mitiores executioni mandare non posset; jus vero immediatum auctoritate *propria* ad Ecclesiam non pertinet, poterit autem auctoritate *devolutiva* illud exercere.

Ecclesiae non competere vim armatam immediatam *jure proprio* evincitur quatuor rationibus: 1.° testimonio SS. Patrum; nota sunt verba S. Ambrosii: *Dolere potero, potero flere... talia enim munimenta sunt sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere* (1); adhuc explicite loquitur D. Joannes Chrysostomus: *Sacerdotis est tantum arguere et audacter et libere admonere; non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare*

(1) Serm. *contra Auxent.*

lanceam, neque arcum tendere, neve jacula mittere, sed arguere tantum, et constantiam ostendere (1): 2.° quia induceretur duplex vis armata in singulis urbibus, episcopalis et regalis; jam vero vel hae vires armatae essent subordinatae vel non; si primum, non essent duo, sed una, ecclesiastica vel civilis, prout imperaret dux Ecclesiae vel Status: si secundum, haberentur duae vires armatae independentes, quod in eodem territorio repugnat, siquidem existerent duae potestates aequales in eadem materia et ex eodem fine proximo; 3.° ex conditione catholica et subjectione exercitus civilis; etenim cum in Statu catholico exercitus Ecclesiae subjaceat, si ipsi inesset jus proprium habendi vim armatam ita sufficientem, ut omnes suos subditos in officio continere posset, sequeretur duplex adsurdum consectarium, nimirum, vel Ecclesiam indigere majori exercitu et majoribus praesidiis, ac ipsos Principes saeculares, vel duces militiae civilis ab Ecclesia directe pendere; utrumque autem a recta ratione absonum est, quia idem esset ac Supremos Magistratus suo imperio totaliter aut partialiter expoliare: 4.° ex inutilitate vel inefficacia; quippe in statu concordiae Principes brachium saeculare Ecclesiae libenter praestabunt ad exsequendas ejus sententias, ideoque inutilis evaderet vis armata; si vero non adfuerit optata inter Sacerdotium et Imperium concordia, ut plurimum evenire solet, tunc potestas civilis non sineret Ecclesiam cohortes vel legiones militares instruere et organizare, atque idcirco vis armata vel nulla erit, vel ita exigua, ut efficacia careret ad malis christianis resistendum et delinquentes in religionem directe puniendos.

Jure autem *devolutivo* Ecclesia gaudere valet po-

(1) Hom. IV in illud Isaiae: *Vidi Dominum.*

testate immediata vim armatam habendi et exercendi: ejusmodi assertio tum ex ratione, tum ex historia seu facto facile ostenditur: ex *ratione*; equidem jus tuendi populos, libertatemque civium propugnandi certissime spectat per se ad auctoritatem civilem; sed hac deficiente, ut in statu anarchiae, vel negligente aut impotente, ut in dissolutione Imperii Romani, cum Imperatores Constantinopolitani partim ex negligentia, partim ex impotentia non defendebant populos Occidentis a Barbarorum invasionibus, Ecclesia, quae est societas spiritualis et supernaturalis capax jurium temporalium, supplet huic deficientiae, negligentiae vel impotentiae auctoritatis civilis, et tunc ad cam transit vel devolvitur potestas publica, atque in hoc statu anormali societatis jus armatae defensionis per se ipsam exercere potest tum adversus externos hostes, tum adversus internos; etenim plebs christiana constituit societatem humanam, in qua est jus defensionis ac conservationis: ex *historia* quae nobis invictissime patefacit hoc jus devolutivum pluries exercuisse non modo Episcopos medio aevo, accedente populorum consensu, summa veneratione atque lubenti gratoque animo semper prosequentium omnes, qui in magnis periculis suis legitimis juribus vindicandis et verae libertati tutandae totam curam impendunt; verum etiam Summos Pontifices qui ob defectionem vel incuriam Imperatorum Orientalium Urbis defensionem aliarumque civitatum tutelam susceperunt, acclamantibus, petentibus et obtemperantibus populis, unde ortum habuit principatus civilis Episcopo Romae, Petri Successori, Divina Providentia vinculatus.

ARTICULUS IX.

SUMMARIUM.

135. Quartus character: Potestas Ecclesiae est *mere* CLERICALIS.—136. Notio potestatis ecclesiasticae ratione *subjecti*.—137. An aequalis potestas collata sit Beato Petro caeterisque Apostolis.—138. Auctoritas Sancti Petri.—139. Quanta ad Successores pertranseat. —140. Quis succedat Beato Petro.—141. Natura atque jura potestatis Pontificiae.—142. Auctoritas Apostolorum.—143. Successores Apostolorum.—144. Quaenam et quanta sit potestas Apostolica Episcopis tradita.—145. Natura potestatis Episcopalis.

135. Potestas Ecclesiae est CLERICALIS (QUIS) eo quòd, tum ex Dei institutione, tum ex ipsa societatis christianae natura *Hierarchica* sit in duplici hujusce vocis aceptione, tam potestatis *sacrae*, quam potestatis *ordinatae*.

Quatenus *sacra*, potestas Ecclesiae tantum ordinatione adquiritur, et illi qui hoc sacro ritu initiantur, licét vocari potuissent initiati, ordinati, segregati, assumpti vel alio quocumque nomine, tamen a Sancto Petro, qui, Episcopos (*Seniores*) instruens de ratione suos subditos regendi, hos nuncupat clericos —*neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (1), ad nos usque appellati sunt *clerici* ex vocabulo graeco κλῆρος, *sors* vel *haereditas*, vel *quia de sorte Domini sunt*, vel *quia Dominus sors illorum est*, prout ait D. Hieronymus (2), ad veteris Synagogae levitas alludens, quos Deus sibi elegit, quin in distributione terrae Chanaam partem aliquam illis assignaret, quoniam ipse Deus voluit esse eorum haereditas, et ipsos esse quoque suam peculiarem haereditatem. Hinc Clericus passim definitur: *ille fidelis, qui certo solemnique ritu initiatur, ut aliquod munus in Ecclesia suscipiat sive praesit, sive ministret*: haec

(1) Epist, Can. 1, cap. V, v. 3.
(2) Epist. *ad Nepotianum*.

postrema verba utramque potestatem ordinis et jurisdictionis significant, atque ex iisdem colligitur sub nomine *clerici* venire omnes Christi ministros a tonsurato usque ad Romanum Pontificem.

Quatenus *ordinata*, potestas Ecclesiae indiget tamquam subjecto, in quo resideat, speciali corpore pastorum, coetu determinato rectorum vel magistratuum, qui fideles vel subditos pascant atque dirigant, ipsisque praeeant. Nunc vero, haec nobillissima Ecclesiae pars, quae regendi atque docendi munere praedita est, ejusmodi coetus praesidum aut superiorum, qui optime rectoratus, magistratura, imperium, gubernium nominari potuisset, potius nuncupata est *Clericatus;* etenim rectius visum est Apostolis, Patribus et universae Traditioni parti docenti et regenti Ecclesiae seu subjecto hierarchiae jurisdictionis eamdem denominationem applicare, quae jam membris hierarchiae ordinis tributa fuerat, quam novam distinctamque appellationem inducere.

Sed Ecclesiastica Potestas non solum est *clericalis*, verum etiam *mere clericalis*, uti constat ex Evangelio: *sicut missit me Pater, et ego mitto* VOS-EUNTES *ergo* DOCETE *omnes gentes*—VOS *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei—pascite qui in* VOBIS *est gregem Dei*; ex Ecclesiae definitionibus: *Si quis dixerit, eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite* ORDINATI *nec* MISSI *sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse Verbi et Sacramentorum Ministros, anathema sit* (1); ex ipsa ratione: nam si potestas Ecclesiae non esset *mere clericalis*, ista jam desineret esse societas juridice perfecta, necessaria et inaequalis.

136. Potestas Ecclesiae ratione *subjecti* est *Pontificia* atque *Episcopalis* jure divino et juxta fundamentalem ejusdem Ecclesiae constitutionem; diversorum *gra-*

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII, can. VII.

duum ecclesiastica institutione, hoc est, ex delegatione Pontificis ac Episcoporum: hujusmodi ecclesiastici gradus accidentalem Ecclesiae constitutionem efficiunt. Ad nos tantum pertinet de potestate *Pontificia* et *Episcopali* disserere; sed cum Romani Pontifices Successores sint Sancti Petri, et Episcopi vicissim Successores dicantur Apostolorum, ut recte definiatur quanta sit potestas a Beato Petro in Pontifices Maximos derivata et ab Apostolis in Episcopos transmissa, prius agendum erit de auctoritate a Christo Domino collata tum Beatissimo Petro, tum sanctissimis illis viris, qui in Collegium Apostolicum cooptati sunt.

137. In antecessum praemonendum esse ducimus potestatem B. Petro a Jesu Christo largitam aequalem non fuisse potestati caeteris Apostolis concessae: potestas S. Petri fuit *plena*, *suprema*, *immediata*, *ordinaria atque perpetua*; potestas autem Apostolorum fuit etiam *immediata*, sed non *plena*, *suprema*, *ordinaria*, *neque perpetua*; siquidem erat *limitibus* obnoxia ex parte Vice-gerentis Christi; dependens a Primate vel Principe Collegii Apostolici; *extraordinaria* pro Ecclesiae fundatione; et *temporalis* seu eorumdem vitae vinculata, uti ex dicendis clarius patebit.

138. S. Petrus dupliciter spectari potest velut *Petrus*, id est, *petra* seu fundamentum Ecclesiae, et tamquam Apostolus seu legatus divinus; ut Apostolus habuit B. Petrus eamdem auctoritatem ac caeteri Apostoli, quam postea definiemus; ut *Petrus* vel *petra*, ejusdem potestas est: 1.° *plena in extensione* atque *objecto* ratione *vicariatus* vel altissimae *personificationis*, quia, cum Vicarius Christi et Caput Ecclesiae Visibile esset, suam auctoritatem in *universalem* Ecclesiam exercere, *omnesque* res cognoscere, judicare et definire debebat; 2.° *suprema in jurisdictione* ratione *primatus*, quia a Christo Domino constitutus est Princeps Apostolorum, Claviger Regni coelorum seu Ecclesiae Catholicae, Supremus

Pastor ovium et agnorum, fundamentum *ecclesiasticae aedificationis*, centrum communionis et auctoritatis in societate a Divino Salvatore instituta; 3.° *ordinaria in exercitio* tum ratione *apostolatus*, tum ratione *muneris*; ratione *apostolatus*, etenim Petrus missionem immediatam atque primariam a Christo accepit organizandi, propagandi et conservandi Ecclesiam usque ad consummationem saeculorum; ratione *muneris*, quandoquidem B. Petro injunctum fuit officium confirmandi fratres in fide, et in persona fratrum homines omnium aetatum, conditionum et gentium, ideoque praerogativa *infallibilitatis* insigniri debuit tamquam charismate muneri ordinario adnexo, ut ita non modo esset *Caput Visibile* Ecclesiae, *Primas* honoris et jurisdictionis, verum etiam *Magister* fidei et *Doctor* irrefragabilis veritatis; 4.° *perpetua in duratione* ratione *institutionis*, eo ipso quòd sit potestas ordinaria; statuta enim potestate suprema Petri ad unitatem, regimen et Ecclesiae conservationem, Petrus vivere, et ejus auctoritas perdurare debet in suis Successoribus, donec Ecclesia *militans* in fine saeculorum cum Ecclesia *triumphanti* aeterno vinculo copuletur.

139. Auctoritate S. Petri semel constituta ac determinata, quaeritur nunc quanta ad Successores pertranseat: tria hic inquirenda proponuntur, nempe, quantitas auctoritatis B. Petri Romànis Pontificibus transmissae, necessitas transmissionis hujusce potestatis, atque determinatio successionis seu designatio personae cui transmissio fieri debet.

Quoad primum, scilicet, quantitatem auctoritatis, Summi Pontifices B. Petro in tribus succedunt, in *Primatu*, *Apostolatu* et *Infallibilitate:* hinc exsurgit triplex potestas vel tria jura fundamentalia, quae equidem considerare possumus tamquam fontem et originem omnium jurium particularium Pontificibus Maximis competentium, nimirum: Potestas *Primatialis* vel *Jus Supre-*

mum in regendo; Potestas *Apostolica* vel *Jus Constituens* in organizando; Potestas *Infallibilis* vel *Jus Dogmaticum* in docendo.

Quoad alterum, videlicet, transmissionem ac perpetuitatem hujuscemodi triplicis potestatis, perfacile est evincere auctoritatem Petri sub triplici aspectu expositam necessario et perpetuo ejus Successoribus esse communicandam, quia id omnino exposcebat ipsa Ecclesiae constitutio, missio atque indefectibilitas.

Potestas *Primatialis* Petri in perpetuum ad ejus Successores transire debebat, quia, juxta testimonia evangelica centies laudata, Princeps Apostolorum a Christo Domino constitutus est *Fundamentum* aedificationis a se erigendae et revera per Ecclesiae institutionem factae, *Claviger* Regni coelorum, *Confirmator* fratrum et Supremus *Pastor* sui Ovilis; donec igitur perseveret *Ecclesia* seu aedificatio, *Claves* seu potestas ligandi atque solvendi, *Tentatio* seu fluctuatio in fide et unum *Ovile*, perdurare debet *Fundamentum*, *Claviger*, *Confirmator* et *Pastor*: sed Ecclesia usque ad consummationem saeculi manebit; Claves semper erunt in Regno a Christo condito; Satanas indesinenter fideles expetibit, ut cribret sicut triticum; et Ovile Christi unum omni tempore exstabit; igitur potestas Suprema B. Petri in ejus Successores transmittenda est, ut ipsi Ecclesiam sustentent, Clavibus utantur, errantes et vacillantes in fide confirment, et Divini Pastoris Ovile pascant, regant atque custodiant.

Potestas *Apostolica* a Petro in ejus Successores semper derivanda erit; quia non omnes gentes fuerunt ab Apostolis in fidem conversae, sed paulatim Ecclesiam ingredientur et tandem in fine mundi veram religionem amplectentur Hebraei; unde praedicatio fidei *sedentibus in tenebris et umbra mortis* et fundatio novarum Ecclesiarum continuanda est, donec fiat unum ovile et unus pastor: igitur apostolatus Petri quoad auctoritatem

praedicandi et Ecclesias fundandi seu adscribendi gentes infideles unico ovili, in suis Successoribus semper perdurabit. Propter hoc Successor S. Petri dicitur *Apostolicus* et ejus Sedes *Apostolica* non tantum origine, sed maxime perseverante *potestate*.

Potestas *Dogmatica* permanere debet in Successoribus B. Petri, secus enim promissiones divinae deficerent, et tunc praevalentibus portis inferi adversus Ecclesiam, nec fratres in fide confirmari possent, nec pascua sana omnibus fidelibus praeberentur, nec haberetur unum ovile sub uno pastore congregatum.

140. Quoad determinationem successionis, juxta omnium saeculorum traditionem, unanimem consensum Patrum et perpetuam Ecclesiae doctrinam, solummodo Romanus Pontifex habendus, colendus atque obtemperandus est tamquam verus ac legitimus Petri Successor in triplici potestate *primatiali*, *apostolica* et *dogmatica*; quod quidem colligitur ex tribus factis apertissimis, ab omnibus indubitanter admissis, necnon juridice et critice perpensis: ex historia certissime constat B. Petrum, postquam Ecclesiam Antiochenam gubernasset, Romam venisse, ibique Sedem suam fixisse atque demum in hac civitate mortuum esse.

Ex hoc triplici facto universa antiquitas christiana statim, absque ullo ecclesiastico decreto, deduxit Romanum Pontificem veluti Petri Successorem agnoscendum esse, quia haec fuit S. Petri mens in eligenda sibi Sede Romana. Sed undenam universae antiquitati innotescere adeo evidenter potuit hunc B. Petro exstitisse scopum et finem in constituenda sibi Sede fixa Romae?

Ejusmodi evidentia procedere debuit vel ex declaratione expressa a B. Petro discipulis suis et Ecclesiis facta, de qua dubitare non possumus, cum res fuerit gravissima; vel ex ipsa rei natura, nempe, ex *identitate* auctoritatis episcopalis et primatialis, qua Petrus Romanam Ecclesiam rexerat; vel potius ex utroque fonte,

tum ex voluntate S. Petri explicite revelata vel implicite deducta ex sua agendi ratione, tum ex eo quòd auctoritas S. Petri Populum Romanum pascentis non fuit duplex potestas, distincta et separata, episcopalis scilicet et primatialis, sed unica eademque, nimirum, auctoritas suprema atque pontificia applicata Populo Romano, unde qui post ejus mortem in episcopatu successerit, in primatu etiam succedere deberet.

141. Jura, quae Romanis Pontificibus competunt, ex triplici memorata potestate repetuntur.

Virtute Potestatis *Supremae* seu *Primatialis* ad Romanum Pontificem *generatim* pertinent omnes causae *majores* appellatae, sub qua denominatione veniunt causae Pontificibus ratione primatus vel suprematiae reservatae, quae triplicis generis esse possunt: *essentialiter* majores, majores *per se* et majores *per accidens*. Majores *essentialiter* dicuntur, quae delegari nequeunt, quia infallibilitatem postulant, quae quidem personalis omnino est; causae majores *per se,* quae, quamvis Supremo Principi vel Pontifici reservatae, sunt delegabiles, et semel facta delegatione, fiunt minores; majores *per accidens,* quae, licet ex sui natura minores sint, et magistratibus inferioribus aut Episcopis competant, tamen ex voluntate Pontificis suo judicio reservatae manent, et ita fiunt *majores per accidens*.

Speciatim vero Romano Pontifici vi Potestatis *Supremae* quae in *legislativam, judicialem* et *exsecutivam* tribuitur, sequentia competunt jura:

Ex potestate *legifera*: 1.° jus ferendi leges, sive pro universa Ecclesia, sive pro particularibus ecclesiis, tum solus, tum in concilio; 2.° jus tuendi sacros canones; 3.° jus indicendi, transferendi, suspendendi, praesidendi, claudendi et confirmandi concilia *generalia* et *particularia pastorum*, quae ab eo instituta sunt; 4.° jus abrogandi, derogandi et dispensandi in omnibus legibus ecclesiasticis, ideoque etiam in irregularitatibus.

Ex potestate *judiciali:* 1.° jus reservandi Casus in utroque foro; 2.° jus judicandi in quocumque gradu, etiam primae instantiae; 3.° jus recipiendi Apellationes; 4.° jus exigendi Relationes Dioeceseon.

Ex potestate *exsecutiva*, secundum triplicem facultatem, in quam dividi solet, *gubernativam, coactivam* et *administrativam:*

Ratione facultatis *gubernativae:* 1.° jus singulis edendi *praecepta*; 2.° jus concedendi *privilegia*.

Ratione facultatis *coactivae:* 1.° jus ferendi Censuras; 2.° jus infligendi omnes poenas ecclesiasticas.

Ratione facultatis *administrativae*: 1.° jus elargiendi omnia bona *spiritualia* Ecclesiae, uti sacramenta, sacramentalia, indulgentias, dispensationes in votis et juramentis, etc.; 2.° jus *reservationis* et *afectionis* in beneficiis, quae sunt bona *mixta*; 3.° jus percipiendi *annatas*, pensiones imponendi, aliaque similia peragendi quoad bona *temporalia*.

Virtute Potestatis *Constituentis* seu *Apostolicae:* 1.° jus erigendi novas ecclesias aut dioeceses; 2.° jus conjungendi, dividendi vel desmembrandi ecclesias seu dioeceses jam existentes; 3.° jus creandi Episcopos, hoc est, nominandi, aut confirmandi et instituendi; 4.° jus removendi, transferendi, aut renuntiationes acceptandi; 5.° jus destituendi vel deponendi Episcopos, etiam invitos; 6.° jus dandi Coadjutores vel Vicarios Apostolicos; 7.° jus instituendi gradus supra-episcopales, sive *reales*, sicut metropoliticum, primatialem aut patriarchalem, sive *personales*, mittendo seu designando legatos, delegatos aut visitatores; 8.° jus concedendi exemptiones; 9.° jus instituendi, approbandi aut moderandi Ordines Regulares vel Congregationes Religiosas.

Virtute Potestatis *Infallibilis* seu *Dogmaticae:* 1.° jus definiendi controversias de fide ac moribus; 2.° jus cognoscendi atque decidendi de factis dogmaticis; 3.° jus interdicendi pravorum librorum lectionem; 4.° jus canonizandi.

Ex hac recensione patet jura praecipua, quae Romano Pontifici competunt, ad 28 revocari posse; ex quibus 15 desumuntur ex Potestate *Suprema* in hac proportione: 4 ex potestate *legislativa,* 4 ex *judiciali*, 7 ex *exsecutiva*; 9 eruuntur ex Potestate *Constituente*, et reliqua 4 ex potestate *Dogmatica* derivantur.

Pro recta intelligentia et strenua vindicatione horum jurium relegantur Opera quae Jus Canonicum exponunt; praesertim vero consulantur Commentaria optimorum Interpretum in Jus Pontificium, ubi ingenti eruditione et magna argumentorum copia haec praestantissima doctrina explanatur atque evolvitur.

142. Auctoritas Apostolorum inspici potest sub duplici respectu, *singulariter* et *collegialiter;* quaenam et quanta in utroque conceptu illis competat, modò determinare oportet.

Singulariter: Apostoli habuerunt omnem illam auctoritatem, qua gaudere debebant utpote *legati divini* immediate a Christo *missi;* ad *legationem* constituendam tria requiruntur, scilicet, facultates *(poderes)*, missio *(fin* y *objeto)* atque testimonium *(credenciales);* hinc Apostoli ob *legationem* triplici potestate polluerunt, potestate *sacerdotali* ad conficiendum Sacrificium et remittenda peccata; potestate *episcopali*, *ordinaria* seu *pastorali*, quae totam Ordinis potestatem simulque potestatem peculiares Ecclesias regendi ac gubernandi complectebatur sub dependentia S. Petri; denique potestate *apostolica*, *extraordinaria, constituente* seu *personali* ad praedicandum Evangelium ubique terrarum, ad fundandas, visitandas, ordinandasque Ecclesias, ad leges eis ferendas, necnon ad creandos Episcopos.

Sed non habuerunt uti *singuli* spectati auctoritatem in universalem Ecclesiam; hinc [a]) leges pro universa Ecclesia condere non potuerunt, nisi ex divina revelatione eas promulgando; [b]) non fuerunt personaliter capita et centrum suarum Ecclesiarum tamquam societa-

tum independentium, sed Petro subordinati, quem agnoscere tenebantur ut Caput suum et Ecclesiarum a se fundatarum; c) obstringebantur servare leges latas vel praecepta a B. Petro ut Primate injuncta; d) parere cogebantur abrogationi, derogationi vel immutationi suarum ordinationum a Principe Apostolorum factae, quia Petrus leges ipsorum revocare vel infirmare valebat.

Propter *missionem*, quam a Divino Salvatore acceperunt, docendi omnes gentes et constituendi Ecclesiam, ut doctrina Christi in toto orbe profiteretur, et fieret unum Ovile et unus Pastor, Apostoli, praeter triplicem potestatem supradictam, etiam praediti fuerunt duplici charismate personali, nempe, *infallibilitate* in docendo atque *charitate* in regendo; secus enim loco docendi, constituendi et uniendi potuissent pervertere, destruere ac dissolvere.

Demum ratione *testimonii*, ad suam divinam atque immediatam missionem comprobandam, unaque munus fundandi Ecclesiam rite obeundum, Dominus Apostolis contulit dona extraordinaria *miraculorum, revelationis* et *inspirationis*.

Collegialiter: Quoad autoritatem *collegiatam* Apostolorum, isti collective seu collegialiter spectati leges ferre poterant pro universa Ecclesia, sed sub Principe Petro, qui totius Collegii Apostolici Praeses et Pastor constitutus fuerat.

143. De successione Apostolorum sequentia certo tenenda sunt; in potestate *sacerdotali* Apostolis Presbyteri succedunt; in potestate autem *episcopali* seu *ordinaria* Episcopi sunt veri Apostolorum successores, sed cum differentia in modo eam adquirendi: Apostoli enim ex sese, id est, auctoritate immediate accepta a Christo, se praeficiebant Ecclesiis, quas fundaverant, aut visitabant; dum e contra Episcopi primi praefecti sunt ab Apostolis, et sequentes a Summo Pontifice.

Utraque successio apertissimis verbis tradita est a Tridentina Synodo; quoad Presbyteros ita ajunt Tridentini Patres: *A Domino Salvatore nostro Apostolis eorumque successoribus in Sacerdotio potestas tradita consecrandi, offerendi et ministrandi Corpus et Sanguinem ejus, necnon peccata dimittendi et retinendi* (1); quoad Episcopos haec sunt verba Oecumenici Concilii: *Proinde sacrosancta Synodus declarat, praeter caeteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere; et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse* (2).

144. Pro definiendo quali sensu et quanam extensione Episcopi Apostolis succedant, illi velut isti duplici modo considerari queunt, *singulariter* ac *collegialiter*.

Singulariter: Episcopi Successores Apostolorum dicuntur et sunt tantum ratione potestatis presbyteralis et maxime potestatis *episcopalis* seu *pastoralis*, sed minime quoad potestatem *extraordinariam* aut *constituentem;* exinde nullus Apostolorum proprie habuit successorem, neque S. Jacobus, qui Sedem Hierosolymitanam obtinuit; etenim successor in episcopatu dumtaxat successit vel succedit in ordinariam potestatem; ipse vero episcopatus absque speciali missione ejus, cui jus est, ut erant omnes Apostoli, et nunc Summus Pontifex, per se non confert apostolatum vel potestatem fundandi Ecclesias aut Evangelium praedicandi in universo mundo.

Episcopos autem Apostolis tantum in Episcopatu, nullatenus autem in Apostolatu succedere probatur ex agendi ratione seu praxi Apostolorum, Sacra Scriptura et Traditione.

---

(1) Sess. XXIII, cap. I.
(2) Sess. XXIII, cap. IV.

Praxis Apostolorum. Tria facta afferemus, quae plane evincunt Episcopos in Ecclesiae primordiis, eo ipso quòd non sint immediate missi a Domino, missionem ab Apostolis accepisse, ac proinde apostolatum nullo modo connaturalem aut essentialem fuisse ipsi episcopatui: 1.° constat Apostolos quosdam sumpsisse Episcopos in sui Coadjutores, quos secum ducebant in suis peregrinationibus; ita enim D. Paulus Timotheum, Titum, Apollo aliosque adhibuit: 2.° certum etiam est quosdam Episcopos ab Apostolis missos fuisse ad praedicandum gentibus, uti S. Apollinar, S. Maternus, Sanctissimi Viri Apostolici, quos Ecclesia Hispanica in maximo honore et aestimatione habet, velut S. Jacobi discipulos, aliique multi in diversas orbis regiones a B. Petro missi: 3.° exploratum tandem est, ut testantur Acta Apostorum (1), "Paulum et Barnabam peragrasse Ciliciam et alias regiones constituentes per singulas civitates presbyteros„, id est, Episcopos; notum enim est in Litteris Novi Testamenti haec duo nomina promiscue sumi.

Sacra Scriptura. Quamplurima testimonia adduci possunt ad ostendendum Episcopos ab Ecclesiae incunabilis institutos vel missos fuisse, ut regerent Ecclesias jam constitutas et determinatas, non ut eas fundarent; brevitatis gratia sequentia innuimus: ***Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas et constituas per*** SINGULAS ***civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi*** (2);—***Attendite vobis et universo gregi*** IN QUO VOS ***Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*** (3);—***Pascite qui in*** VOBIS EST ***gregem Dei*** (4).

Traditio. Sensus totius antiquitatis christianae pra-

---

(1) Cap. XIV, v. 22.
(2) Paul. *ad Titum*, cap I, v 5.
(3) Act. Apost. cap. XX, v. 28.
(4) Pet. Epist. I, cap. V, v. 2.

xi Apostolorum et Sacris testimoniis mirifice consonat, etenim traditio omnium saeculorum, uti ex Historia Ecclesiastica liquet, semper nobis exhibet Episcopos addictos regimini particularis Ecclesiae; et si quando Episcopi fidem annuntiarunt populis finitimis proprio Pastore carentibus, vel interdum Patriarchae Orientis Episcopos, quos *gentium* vocabant, ad gentes adfines suo patriarchatui miserunt, ut celeberrimus philosophus Panaetius ad Indos a Patriarcha Alexandrino missus fuit, Episcopi illi sic egerunt necessitati et saluti populorum in peculiaribus adjunctis consulentes, et Patriarchae sese gesserunt jure ecclesiastico suffulti, utpote majori participatione sollicitudinis apostolicae a Romanis Pontificibus supra gentes adfines vel regiones propinquas ornati.

Deinde Episcopi carent charismatibus *infallibilitatis* et *charitatis,* velut aperte docet S. Paulus; postquam enim Episcopis Asiae congregatis dixisset eos esse positos a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam, ita subdit: *Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate* (1): ex quibus verbis eruitur singulos Episcopos in haeresim cadere posse loquendo perversa, etiamque in schisma abducendo discipulos post se, ideoque *singulariter* duplici charismate infallibilitatis et charitatis non gaudere.

Postremo, in Successores Apostolorum non transeunt dona extraordinaria ipsis a Domino Jesu collata tamquam legatis divinis immediate missis.

Collegialiter: Episcopi succedunt potestati collegiali Apostolorum, quia haec erat in iis ordinaria; hinc collective aut collegialiter Apostoli successores habent.

145. Potestas Episcopalis jure divino *propria et ordinaria* est, minime vero vicaria aut a Romano Pontifice delegata, siquidem a Christo Domino instituta fuit,

---

(1) Act. cap. XX, v. 30.

ut Episcopi nomine proprio et perpetuò in Ecclesia eam exercerent supra gregem sibi a Supremo Pastore commissum; atamen in singulis Episcopis, utpote Pastoribus secundi ordinis, spectata, est *limitata* et *dependens*: *limitata* utique est tum *intrinsece*; quia exerere nequit ea quae requirunt jus *supremum*, jus *apostolicum* vel jus *dogmaticum* Summis Pontificibus ex Dei voluntate tantum competentia; tum *extrinsece*, quia tantum exerceri potest intra fines Dioeceseos ipsis adsignatae: est etiam *dependens*; quoniam Episcopi in regimine suarum Ecclesiarum legibus generalibus vel reservationibus eis praescriptis subjacent, et nihil contra has vel illas agere, jubere aut ordinare valent.

Sed cum potestate ordinaria et propria potiantur Antistites Ecclesiae, eisdem vere competit intra limites suarum Dioecesium triplex facultas *legislativa*, *judicialis* et *exsecutiva*.

Vi facultatis *legislativae*, leges particulares ferre possunt intra vel extra Synodum Dioecesanam ad magis promovendam urgendamque observantiam et adimpletionem legum generalium, juxta specialem indolem plebis christianae, cui praeficiuntur; unde leges generales suis statutis vel constitutionibus sancire et firmare queunt, sed tantum *addendo*, nunquam vero *detrahendo*; et si agatur de iis rebus in quibus, juxta mentem et Ecclesiae canones, uniformitas servanda est, uti fit in liturgia et impedimentis Matrimonii, mere *exsequendo*.

Vi facultatis *judicialis*, judicare valent in prima instantia in foro externo, et quoad forum internum Poenitentiarii sunt pro tota Dioecesi, ita ut caeteri habeantur tamquam ipsorum delegati vel a jure vel ab homine, salva semper potestate Pontificia; similiter casus sibi reservare et de reservatis Papalibus dispensare possunt, secundum normam et mensuram concessionis vel attributionis illis impertitae.

Vi facultatis *exsecutivae*, possunt denique *gubernare*,

omnes leges Ecclesiae *exsequendo* ac *praecepta* imponendo; *coercere, censuras* ferendo et *poenis* ecclesiasticis puniendo; *administrare*, curando, custodiendo atque tuendo *bona* spiritualia, mixta et temporalia, ad suas Ecclesias attinentia, regulis ac praescriptionibus Sacrorum Canonum servatis.

ARTICULUS X.

SUMMARIUM.

146. Principia certa circa originem potestatis sacrae et ecclesiasticae. —147. Opiniones de origine Jurisdictionis Episcoporum.—148. Status quaestionis praefiniatur.—149. Recensio *historica* hujus controversiae.—150. Judicium *criticum* super sententia asserente derivationem immediatam a Deo.—151. Rationum momenta quae militant pro sententia propugnante collationem jurisdictionis mediante R. Pontifice.—152. Quid *dogmatice* de hac controversia sentiendum sit.—153. An saltem in consecratione adquirant Episcopi jurisdictionem *collegialem*.—154. Utrum Episcopi *Titulares* sint necessario vocandi ad Concilium.

146. Priusquam controversiam olim adeo agitatam de origine Jurisdictionis Episcoporum aggrediamur, ut ea quae communiter apud catholicos recepta sunt ab iis quae disputationi subjacent rite secernantur, consentaneum nobis videtur quatuor principia adstruere, quae utpote generalia, certa atque catholica ab omnibus absolute ac indiscriminatim admitti profiterique debent.

Primum: Omnis sacra et ecclesiastica potestas remote ac primò est a Deo tamquam gratiae collatore.

Secundum: Potestas Ordinis tam in Episcopis, quam Presbyteris certe a Deo est proxime et immediate, a quo positis signis sacramentalibus consecrationis vel ordinationis, et character imprimitur, et potestas confertur, quae dein nullius hominis arbitrio auferri, imminui vel amplificari potest.

Tertium: Potestas Pontificiae ac summae jurisdi-

ctionis certe a Deo est immediate et proxime; cum enim Electores Papae illam jurisdictionem non contineant, eam a se in Subjectum quod eligunt, derivare non possunt. Nihil igitur agunt, nisi ut personam designent, cui Christus potestatem a se institutam secundum promissionem suam deinde conferat.

Quartum: Potestas Jurisdictionis in Episcopis, absolute et simpliciter loquendo, hoc est, *objective* et *in abstracto* spectata, praescindendo a persona vel subjecto cui inhaeret, immediate et proxime etiam a Deo est, quia a Christo Domino instituta fuit, quando episcopatum creavit veluti gradum divinum, necessarium, semperque in Ecclesia duraturum pro participatione pastoralis sollicitudinis, juxta verba S. Pauli toties laudata: ***Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*** (1).

147. Hisce fundamentis praejactis, quaeritur modò utrum potestas Jurisdictionis *in concreto* considerata, id es, *subjective* sumpta, jam determinata, et ut ita dicam, in Episcopis personificata, sit immediate a Deo vel a Romano Pontifice. Duplex apud theologos et canonistas exstat vel potius exstitit, quia opinio originem immediatam a Deo sustinens hodie paucissimos patrocinatores habet; unde fere obsoleta censetur, tenuique probabilitate gaudet. Alii autumant potestatem jurisdictionis a Cristo immediate transmitti in Episcopos, quamvis servata semper subordinatione hierarchica et necessaria dependentia a Supremo Pastore, cui divinitus collata est potestas clavium atque plenitudo jurisdictionis, ideoque competit per designationem dioecesis subditos assignare, ut jurisdictio exerceatur: alii rentur et totis viribus contendunt potestatem jurisdictionis immediate procedere a Romano Pontifice subditos per adscriptionem Ecclesiae peculiari tribuente, licet me-

(1) Act. cap. XX, v. 28.

diate etiam a Christo dimanare, utpote divinam in sua institutione, ordinariam suapte natura, propriam in suo exercitio, et necessariam saltem collective in sua duratione (1).

148. Pro hac quaestione dilucidanda, duo distinguere oportet in potestate jurisdictionis, ut eadem verba innuunt, nempe *potestatem* ipsam, seu habitum, capacitatem vel facultatem subditos in Ecclesia regendi a Christo Domino institutam et gradui episcopali vinculatam; deinde vero *jurisdictionem in actu,* seu usum vel exercitium ejusdem potestatis erga portionem gregis et in territorio determinato.

Age jam catholici omnes ultro citroque fatentur, necnon patroni utriusque sententiae in eo saltem consentiunt, quòd potestas seu facultas a Deo immediate proveniat, quoniam ex Christi institutione in consecratione episcopali confertur jurisdictio *radicalis* seu *in actu primo*, nimirum, aptitudo, idoneitas, potentia vel generica exigentia ad obtinendam per *missionem* aut designationem dioeceseos jurisdictionem *actualem*, quae *in actu secundo* sive quoad *exercitium* nuncupari potest.

Tota igitur controversia versatur circa jurisdictionem proprie dictam, regimen Ecclesiarum, et participationem sollicitudinis, ac proinde circa usum potestatis, uno verbo, inquiritur an potestas, qua pro suis dioe-

---

(1) Sententiam de origine *mediata* tenuerunt S. Thomas, S. Bonaventura, Durandus, Herveus, S. Antoninus, Aegidius Columna, Thomas Argentin., Joannes a Celaja, Mancierus, Coëffeteau, Joan. Puteadeus, Charlas, aliique multi, praeter Bellarminum, Suarezium, Vargas, Fagnanum, et Benedictum XIV, qui ita scribit: *Licet autem eorum opinio qui etiam hanc potestatem* (jurisdictionis) *immediate a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis, nihilominus tamen et rationi et auctoritati conformior videtur sententia opposita* (De Syn. Dioec., lib. I, cap. 4, n. 2.)

Sententiam autem de *immediata* Episcoporum jurisdictione a Christo omnium primus invexit Franciscus Victoria (Ordinis Praedicatorum), et adstipulatores habuit plures theologos Hispanos atque inter caeteros Alphonsum de Castro et Vasquezium.

cesibus regendis *hic et nunc* pollent Episcopi, immediate oriatur a Christo, vel nunc e contra eam Antistites mediante Summo Pontifice accipiant.

De utraque sententia aliquid attingemus, etsi sub aspectu mere juridico de hac re pertractabimus, mentem nostram absque haesitatione aperientes, theologisque munus relinquentes congerendi et explanandi argumenta ex catholica Traditione, Patrum testimoniis, Conciliorum monumentis, Scriptorumve consensu desumpta.

Claritati autem et ordini consulentes triplici sub respectu hanc salebrosam controversiam enucleabimus, videlicet, *historice, critice* ac *dogmatice:* 1.° *historice,* ortum, vicissitudines et praesentem quaestionis statum levissime adumbrabimus; 2.° *critice,* rationum momenta, quae pro valore intrinseco vel solida utriusque opinionis probabilitate militant, quocumque praejudicio seposito, perpendemus; 3.° *dogmatice* demum, ostendemus neutram hypothesim recte intellectam et rite explicatam, abstractione facta majoris vel minoris probabilitatis, dogmati ecclesiastico aut catholicae doctrinae refragari, ideoque omni censura immunem esse, quousque Ecclesia per conciliare decretum vel pontificiam et solemnem declarationem rem explicite finierit.

149. Antequam diversas opiniones in trutinam revocemus, operis nostri pretium putamus nonnullas animadversiones historicas praemittere.

1.° Controversia olim celeberrima de origine potestatis Jurisdictionis, quae Episcopis in Ecclesia ex Christi voluntate competit, magno animorum aestu in Tridentina Synodo sessione XXIII agitata est; et quidem acriter inter Patres disputatum est hac super re, asserentibus quamplurimis Episcopis Hispanis et Gallicis originem immediatam a Deo, propugnantibus e contra Patribus Italis derivationem immediatam a Summo Pontifice; et nonnisi post luculentissimam Didaci Lay-

nez orationem opposita Patrum placita conciliantem, adhibita notissima distinctione inter jurisdictionem *radicalem* a Christo Domino immediate acceptam et jurisdictionem *actualem*, quae haberi nequit absque designatione dioecesis a Romano Pontifice facta, discussio aliquatenus sedata est (1).

2.° Hac de causa Patres Tridentini explicitam definitionem ad dirimendam controversiam non edidere, sed, sicut in aliis dificillimis quaestionibus, libertatem discutiendi scholis catholicis reliquerunt, definientes equidem in laudatissimo canone—*Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina Ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit* (2)—potestatem Ordinis esse juris divini; at quoad potestatem Jurisdictionis dumtaxat declarantes et exigentes interventionem pontificiam sequenti canone—*Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit* (3).

3.° Traditio apud scholas Hispanicas vigens, quam saeculo XVI nostri celebratissimi Episcopi Petrus Guerrero Granatensis, Martinus de Ayala Segobiensis, aliique Patres Tridentini; saeculo XVIII ineunte (1709) Illmus. D. Franciscus Solis in luminoso Dictamine ad Philippum V misso; ac saeculo XIX (1800) D. Joannes Baptista Batlfora in erudita Dissertatione omni argumentorum genere tueri nisi sunt, nostris diebus non modo interrupta, verum etiam fere abolita est, ita ut hodiedum doctrina contraria, ut plurimum, in lyceis tum theologicis, tum juridicis obtinet et quasi unanimi consensu propugnatur.

4.° Post solemnem Constitutionis dogmaticae "De

---

(1) Conf. Card. Pallavicini, *Hist. Conc. Trid.* lib. XVIII, c. 14; et lib. XXI, cc. 11 et 13.
(2) Sess. XXIII, can VI.
(3) Ead. Sess. can. VIII.

Ecclesia Christi" *Pastor aeternus* promulgationem, sententia quae tenet jurisdictionem episcopalem *in concreto* et *subjective* inspectam immediate a Deo proficisci, vulnus adeo gravissimum subiit, ut aegre consistere et componi posse videatur cum doctrina in cap. III tradita parag.—*Tantum autem abest*, etc., maxime vero cum canone dogmatico praelaudati capitis, in quo tamquam veritas fidei sub anathematis poena tenenda statuitur atque proponitur plenitudo *supremae, ordinariae et immediatae* potestatis Pontificiae *sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles.*

150. Sententia originem immediatam a Deo sustentans, si ingenue loqui fas est, nunquam mihi arrisit; etenim luce sanae critices et juxta principia juridica spectata gravissimis propeque innumeris difficultatibus undequaque scatet: ad illam prorsus explodendam satis est praecipua incommoda enumerare, quae heic ad quatuor capita redacta brevissime subjungimus:

1.° In hac hypothesi daretur jurisdictio sine subditis, seu quod idem est, jurisdictio quae non esset jurisdictio veri nominis et proprie talis, quod quidem supervacaneum, irrisorium et a dignitate personarum et rerum ecclesiasticarum penitus absonum videtur.

Hoc certe in quatuor potissimum casibus contingeret: a) quando consecratio confirmationem vel designationem dioecesis praecederet, quia, cum jurisdictio secundum jus canonicum et catholicam doctrinam per confirmationem electi aut ejus praeconizationem in publico Pontificis Consistorio adquiratur, in consecratione tantum conferretur jurisdictio in dioecesim designandam, si quando designabitur; hinc esset interim in suspenso seu nequiret exerceri ex defectu termini, sicut potestas sacramentalis poenitentialis in Presbytero confertur quidem in ipsa ordinatione, sed ex defectu jurisdictionis non habet subditos in quos exerceatur: b) quando Romanus Pontifex Episcopum suspenderet, removeret

aut deponeret sive ex delicto, uti in casu schismatis vel haeresis, sive absque delicto, ita exposcente publico Ecclesiae bono, prout initio hujus saeculi factum est a Pio VI in Gallia et nostris diebus a Pio IX in Germania; tunc enim rursus jurisdictio in suspenso maneret exspectando designationem novae Ecclesiae, quae non concederetur ultra, si remotio aut depositio in poenam delicti inflicta fuerit: c) quando quis renuntiaret dioecesim, denuo jurisdictio indeterminata evaderet: d) quando quis consecratur in Episcopum titularem, quin Romanus Pontifex dioecesim designet, et fortasse nunquam designabit, quia interdum tantum vult Clericum ab ipso electum esse Episcopum pro exercitio potestatis ordinis, ut Auxiliares, vel jurisdictionis delegatae, uti Nuntii et Vicarii Apostolici.

2.° Quod si confirmatio et designatio dioecesis consecrationem antecederet, ut in actuali disciplina fit, cum in hac sententia jurisdictio per consecrationem adquiratur, ista peracta, illa pro dioecesi jam in confirmatione determinata obtineretur, quae quidem assertio falsa atque plané chimerica est; *falsa*, quippe praescriptionibus canonicis et Ecclesiae doctrinae repugnat, juxta quas ex supra dictis jurisdictio in praeconizatione dumtaxat confertur; *commentitia*, eo quòd supponat quamdam mutationem vel transformationem jurisdictionis vicariae et provisionalis, Episcopis confirmatis sed non consecratis tributae, in jurisdictionem proprie episcopalem, quae in actu consecrationis transmittitur; hujus vero singularis et arbitrariae transformationis juridicae ne quidem levissimum vestigium in ecclesiastica antiquitate reperitur.

3.° Dari potest consecratio episcopalis sine collatione jurisdictionis, uti fit in schismaticis, qui ordinationem validam recipiunt, sed tamen ob illegitimam consecrationem nullam jurisdictionem, neque indeterminatam suscipiunt.

4.° Admissa ejusmodi hypothesi, locus esset ambigendi de validitate aut nullitate actuum jurisdictionalium Episcoporum, si quando, restricta vel ablata a Romano Pontifice jurisdictione, dubium oriretur circa veritatem, justitiam vel sufficientiam causae, quae providentiae pontificiae fundamentum praebuit: etenim semel proclamata doctrina de immediata origine a Deo, cum Summus Pontifex jurisdictionem non conferat, sed ab ipso Christo proxime suscipiatur, non nisi intercedente causa legitima et justa ex parte Episcoporum et Ecclesiae praefata potestas restringi et tolli valeret; sed cum facile esset dubitare an exstiterit necne causa gravis et proportionata pro revocatione vel speciali restrictione jurisdictionis, Episcopi contra R. Pontificis voluntatem et cum populi christiani offensione a regendis Ecclesiis non desisterent, validos ratosque existimantes suos actus jurisdictionales, et vicissim fideles, animi anxietate aflicti, nescirent quomodo in tanto conflictu se gerere deberent, utrum obedientiam suis Pastoribus detrectare hisce in casibus fas esset, vel num ab Apostolicae Sedis decreto et sententia dissentire licitum haberetur: hinc cuique pronum est colligere quot perturbationes, schismata et schandala inducerentur in animarum perniciem et cum ingenti orthodoxae fidei et catholicae communionis jactura.

151. Opinio vero quae collationem jurisdictionis episcopalis mediante Romano Pontifice explicat ac tuetur, hodie probabilissima et fere communis, etiamsi quibusdam levioris momenti inconvenientibus haud careat, et propter hoc forsitan Concilia Tridentinum et Vaticanum solemni et irreformabili sanctione eam in veritatem dogmaticam evehere nondum opportunum duxerunt, nobis tamen semper visa est *veritati* magis consona, *institutioni divinae* gradus episcopalis valde congruens, et *claritati* maxime consulens.

1.° *Veritati* plane concordat; quoniam vere ponit

et ante omnia statuit, postulat ac determinat actum pontificium, a quo neutiquam praescindi potest; etenim Romani Pontificis interventus omnino necessarius est, tum ad electionem et consecrationem Episcoporum, quandoquidem ex Tridentina Synodo illi tantum legitimi ac veri sunt Episcopi, qui a Summo Pontifice assumuntur, et juxta disciplinam novissimam ab ipso vel ejus commissione consecrantur; tum ad adquisitionem jurisdictionis, quippe solus Pontifex dioecesim a singulis Episcopis regendam determinat, eique singulos adscribit; sive ad exercitium episcopalis jurisdictionis, quae a Pontifice dependet; sive tandem ad conservationem jurisdictionis, quae, si determinata fuerit, amitti poterit ordinarie seu ratione criminis vel extraordinarie propter publicam necessitatem; sin vero indeterminata, ex delicto haeresis vel schismatis aut ob excommunicationem.

2.° *Institutioni divinae* gradus episcopalis prorsus convenit; nam Romanus Pontifex plenitudine jurisdictionis supremae, ordinariae atque immediatae in universam Ecclesiam munitus, secundum doctrinam dogmaticam Concilii Vaticani, partem aliquam hujus plenissimae et omnimodae potestatis in alios transmittere et derivare duplici via potest, vel per modum *delegationis*, ut vicario nomine exerceatur, puta Vicariis Apostolicis in locis missionum confertur, vel per modum *communicationis* aut *participationis* gratiâ implendi et exsequendi mentem, voluntatem et institutionem Jesu Christi, ut in subjecto recipiatur et permaneat, cujusmodi fit in Episcopis, quibus Pontifices Maximi portionem gregis christiani regendam committunt, ut eos constituant in gradu et officio episcopali divinitus instituto, non veluti suos delegatos, sed tamquam veros Pastores et Principes, potestate propria atque ordinaria praeditos plebem christianam pascendi, docendi et gubernandi.

3.° *Claritati* maximopere aptatur; dum enim in

contraria sententia duo supponuntur actus ad explicandam collationem jurisdictionis episcopalis, videlicet, actus *pontificius* consecrans assignansque dioecesim, et actus *divinus* conferens jurisdictionem, vel determinatam in designatione dioecesis, vel saltem indeterminatam in consecratione, quae postea determinanda erit facto pontificio designationis subditorum; in nostra sententia unicus actus ponitur et admittitur, et quidem simplicissimus et sufficiens, nempe, interventio Pontificis, qui, posita divina institutione episcopatus, de plenitudine potestatis a Christo acceptae Episcopis partem aliquam impertitur, ut nomine proprio, facultate ordinaria et jure divino populum christianum in dioecesi determinata regant, ac verbo doctrinaque pascant, quin necesse sit ad factum divinum confugere pro explicanda *in concreto* et *subjective* jurisdictione insita et propria, qua ex Dei dispositione gaudent Episcopi in Ecclesia Catholica.

152. Controversia de jurisdictione Episcoporum sub aspectu *historico* et *critico* spectata, nobis reliquum est postremum caput hujus complexae quaestionis vestigare; inquirendum venit ad ejusmodi rem absolvendam quid *dogmatice* sentiendum sit de placitis theologorum et canonistarum inter se adeo dissitis; utrum rectae fidei et catholicis principiis officiant, vel an cum dogmate christiano et Ecclesiae doctrina componi queant.

Nunc vero, nobis videtur utraque sententia absque laesione dogmatis et orthodoxiae sustentari posse, quia quaecumque hypothesis anteponatur et amplectatur, sarta tectaque servabitur catholica doctrina necessario profitenda circa supremam Romani Pontificis jurisdictionem atque veram potestatis Episcopalis naturam.

Scimus equidem magnam et altissimam significationem habere declarationem dogmaticam Tridentinae Synodi, adstruendo ac proclamando necessitatem interventus pontificii pro assumptione Episcoporum; sed

ejusmodi interventio a patronis sententiae divinam originem statuentis minime excluditur, et aliunde categorica definitio supra rem controversam lata non fuit a Patribus Tridentinis. Nos non latet Concilium Vaticanum praerogativas Primatus Pontificii ita explicite, distincte ac solemniter tradidisse atque determinasse, ut valorem intrinsecum veteris opinionis maxime imminuerit, et probabilitatem sententiae nunc vigentis non solum auxerit sed etiam fere in certitudinem verterit; attamen quaestio adhuc indefinita manet, ideoque dum agnoscatur suprematia et plenitudo Primatus Petro ejusque Successoribus Romanis Pontificibus divinitus collati, unaque habeatur genuinus conceptus institutionis et potestatis gradus episcopalis, ambae opiniones cum doctrina catholica concordari queunt, et in scholis absque temeritatis, injuriae vel schandali nota propugnari possunt, uti leviter ostendere pergimus.

1.° Et sane, in hypothesi immediatae derivationis a Deo, semper servatur ac colitur suprematia et plenitudo Primatus, atque idcirco necessario constat dependentia Episcoporum a Pontifice, siquidem jurisdictio illorum hujus potestati esset obnoxia quoad *exercitium, determinationem, subjectum, terminum* et *durationem.*

a) Quoad *exercitium;* quia tribueretur immediate a Deo jurisdictio, ut exerceretur dependenter a Summo Pontifice, sicut potestas Apostolorum, quamvis a Christo immediate accepta, erat in se dependens in suo exercitio a Beato Petro, Collegii Apostolici Principe.

b) Quoad *determinationem;* conferretur enim jurisdictio *indeterminata* seu *limitabilis,* quoniam ad Supremum Pastorem attineret dioecesim designare vel certos limites praefinire, intra quos suam potestatem exercere deberent pastores subordinati.

c) Quoad *subjectum;* etenim Episcopi, ejusdem jurisdictionis subjectum, non sunt immediate electi a Domino, sicut fuerunt Apostoli, sed juxta Tridentinam

definitionem legitime assumuntur a solo Pontifice.

d) Quoad *terminum*, hoc est, quoad populum regendum; nam tum divisio territorialis in dioeceses facta est jure ecclesiastico, vigetque voluntate Pontificis, tum canonica Episcopi electio pro Ecclesia determinata a Pontifice fit.

e) Quoad *durationem*; quandoquidem Romanus Pontifex posset semper Episcopum suspendere vel removere, uti alias diximus, in casibus ordinariis propter *delictum*, et in casibus extraordinariis sine delicto propter *bonum publicum*, prout Historia Ecclesiastica hac recentiori aetate testatur.

2.° Si vero cuique magis placuerit sententiam collationis immediatae a Romano Pontifice amplecti, salva etiam consistit doctrina catholica supra potestatem propriam et ordinariam Episcoporum, quin ex defensione hujusmodi opinionis recte sequatur jurisdictionem episcopalem esse mere delegatam, velut evenit in Nuntiis, Vicariis Apostolicis, etc., quod duplici ratione perfacile est evincere: 1.° quia gradus episcopalis a Christo Domino ea mente et scopo institutus fuit, ut Episcopi essent veri *Judices*, legitimi Ecclesiae *Principes* et ordinarii animarum *Pastores;* 2.° quia Romanus Pontifex, cum illis jurisdictionem per designationem dioecesis vel assignationem subditorum conferat, participationem sollicitudinis in Ecclesiae regimine ipsis tribuit, ut institutioni divinae respondeat, et Episcopos constituat in eo gradu ac dignitate, quae ex Christi voluntate semper in Ecclesia manebit.

153. Pro coronide hujusmodi disquisitionis perpauca delibabimus de aliis duabus quaestionibus non tam magni momenti, quae circa originem jurisdictionis *collegialis* Episcoporum et adsistentiam Episcoporum *titularium* Oecumenicis Conciliis versantur.

Quaeritur 1.° an Episcopi vi consecrationis saltem adquirant jurisdictionem collegialem.

Jurisdictio *collegialis* dicitur qua gaudent Episcopi, non prout singuli in Dioeceses particulares ipsis adsignatas, sed collective et ut successores Collegii Apostolici in universalem Ecclesiam. Hac de re duo certa et indubitata apud omnes habentur: 1.° Episcopos extra Concilium nulla jurisdictione collegiali in actu potiri; ac proinde nequeunt ex officio sese immiscere regimini Ecclesiae universalis: 2.° Episcopos in Concilio esse veros judices ac legislatores, ideoque omnes charactere episcopali insignitos, etiam Episcopos mere titulares, semel ac convocati fuerint, exercere in Concilio Oecumenico jurisdictionem actualem in universam Ecclesiam, sed *conjunctim* et *dependenter* a Romano Pontifice.

Hoc praemonito, ad propositam quaestionem respondemus canonistas inter se dissentire et, sicut in praecedenti disputatione, duas recenseri opiniones. Qui contendunt divinam esse originem jurisdictionis episcopalis, affirmant jurisdictionem *actualem* seu exercitium jurisdictionis *collegialis* in Concilio per consecrationem obtineri, subaudita tamen conditione indictionis ac celebrationis Concilii ut exerceatur; qui vero tuentur pontificiam originem jurisdictionis Episcoporum, asserunt potestatem collegialem eisdem communicari a Summo Pontifice ipso facto illos advocandi et in generalem coetum cogendi, ut respondeat divinae institutioni collegii episcopalis.

Secunda sententia videtur probabilior; tum quia actus pontificius est necessarius atque sufficiens; tum quia supervacaneum esset, si primae hypothesi standum fuerit, a Deo in consecratione conferri jurisdictionem actualem in Ecclesiam universalem, quae nequit exerceri; tum denique quia ad eam adquirendam vi ordinationis obicem haberi posse ex haeresi, schismate aut excommunicatione provenientem.

Quaeritur 2.° utrum Episcopi *titulares* necessario sint vocandi ad Generale Concilium.

Duplex quoque sententia viget super hoc peculiari capite: qui jurisdictionem episcopalem immediate a Pontifice repetunt, inficiantur necessitatem Episcopos non residentiales ad Concilium convocandi, quia, juxta ipsos, hoc coalescit ex Ecclesiae Pastoribus, sub quo nomine tantum veniunt Episcopi residentiales, qui jam per designationem dioecesis jurisdictionem actualem acceperunt, et veri Pastores putantur; qui autem derivationem divinam jurisdictionis defendunt, pro necessitate convocationis militant, quia, ajunt, Concilium Generale constare debere omnibus Episcopis legitime consecratis, qui, etiamsi per assignationem subditorum nondum ad participationem sollicitudinis in regendo vocati sint, nihilominus per legitimam consecrationem in partem ejusdem sollicitudinis adsciti sunt, aliis officiis et muneribus fungentes, saltem coadjuvando per exercitium potestatis ordinis.

Quidquid sit de hac quaestione theorice spectata, in praxi Episcopi Titulares ad Concilia advocari solent.

ARTICULUS XI.

SUMMARIUM.

155. Quintus character: Potestas Ecclesiae est ELECTIVA.—156. Notio Electionis.—157. Animadversiones praeviae.—158. Demonstretur *a priori* Potestatem Jurisdictionis esse in Ecclesia electivam.—159. Probatio ex facto positivo desumpta.—160. Levis adumbratio historica electionis Pontificiae —161. Brevis synopsis electionis Episcopalis.—162. An Beatus Petrus S. Clementem ut ejus Successorem designaverit.—163. An Summi Pontifices suum Successorem eligere possint.—164. Quinam jura eligendi potiantur.—165. Utrum jus Patriarchale, Primatiale vel Metropoliticum Episcopos confirmandi potestatem RR. Pontificum hac super re laeserit.

155. Inter praecipuos characteres, qui in Ecclesiastica Potestate eminent, proculdubio recenseri meretur ejusdem titulus seu adquisitio sub hac explicita

formula expressa: Potestas Ecclesiae est ELECTIVA (UNDENAM).

Cum asserimus potestatem Ecclesiae (loquimur, uti ab initio nostrae disceptationis praemonuimus, de potestate Jurisdictionis) *Electivam* esse, fortasse extraneum nonnullis videbitur enunciatio ejusmodi peculiaris ac praestantissimae notae, quae in ecclesiastica potestate effulget; eapropter consentaneum ducimus aliquid praemittere circa naturam propriam et juridicam notionem canonicae electionis, ut mens nostra recte intelligatur, et veritas nostrae assertionis in tuto ponatur; praehabitis enim opportunis animadversionibus supra genuinum hujus characteris conceptum, quaelibet dubitatio vel confusio hac de re omnino cessabit, et argumenta, quae tum *a priori* tum *a posteriori* pro thesi vindicanda afferemus, plenissimam probationem suppeditabunt.

156. Electio canonica passim definitur: *Vocatio personae idoneae ad ecclesiam vel praelaturam vacantem a legitimis electoribus rite facta, et a superiore confirmata.*

Ex hac definitione pronum est colligere: 1.° quinque requiri conditiones, ut recta et legitima in Jure Canonico habeatur electio, videlicet: [a]) qualitates in electo *(personae idoneae)*; [b]) vacatio Ecclesiae vel dignitatis *(ad ecclesiam vel praelaturam vacantem)*; [c]) qualitates in electoribus *(a legitimis electoribus)*; [d]) forma vel solemnitates juris *(rite facta)*; [e]) confirmatio canonica *(a superiore confirmata)*:—2.° in omni electione accurate discriminandos esse tres actus, qui ut plurimum confundi solent, et nunquam permisceri debent, nempe, *designationem* sub appellatione *nominationis*, *praesentationis* vel *propositionis* etiam usurpatam *(vocatio)*; *electionem* proprie dictam *(a legitimis electoribus rite facta)*; et *confirmationem (a superiore confirmata)*.

Ejusmodi actus seu partes electionis recte nuncupari possent *principium*, *medium* et *complementum*, vel si melius placet, elementum *praeliminare*, *materiale* ac

formale; et quamvis, prout ex Historia et Ecclesiastica Disciplina liquido patet, singuli memorati actus, pro diversis temporum, locorum et rerum adjunctis, diversimode tum in Oriente, tum in Occidente usitati atque exerciti fuerint; attamen apud omnes tamquam veritas firmissima et inconcussum principium constare debet in postremo actu, hoc est, in *confirmatione* inveniri rationem formalem, partem essentialem, constitutivum necessarium, ut ita dicam, omnis electionis, quia in ea confertur jurisdictio per *missionem* seu assignationem subditorum.

157. Praefinita germana electionis canonicae notione veluti dicendorum praeambulo, ad sensum extensionemque thesis propositae rite enucleandam, tria animadvertere oportet: 1.° nos, cum *electivam* vocamus potestatem Jurisdictionis, loqui de complemento electionis in acceptione *formali* sumptae; 2.° in Jure Publico Ecclesiastico nobis tantum incumbere munus et officium demonstrandi potestatem *Pontificiam* et *Episcopalem* adquiri per *missionem* obtentam vel collatam a *personis* vel *persona* jure praeditis exercendi tres actus cunctae electionis proprios, aut saltem postremum et potiorem, qui in suo *esse* constituit vimque canonicam, cuilibet electioni tribuit; 3.° nobis dumtaxat competere pro scopo Juris Publici attingendo postrema allatae definitionis verba *a superiore confirmata* evincere, caetera doctrina capita, quae circa conditiones et solemnitates in canonica electione servandas versantur, Professoribus Juris Privati uti provinciam eorumdem propriam derelinquendo.

158. In primis enim, Potestatem Jurisdictionis in Ecclesia solummodo electivam esse plenissime ostenditur demonstratione *a priori,* id est, validissimis argumentis ex ratione desumptis. Et re quidem vera, si adquisitio vel transmissio potestatis non fieret aut haberetur per electionem in sensu *formali* supra exposito,

fingenda atque admittenda esset triplex hypothesis, nimirum: vel successio necessaria, unde emergeret potestas *haereditaria*; vel successio voluntaria, ex qua exsurgeret potestas *testamentaria*; vel successio designativa, et tunc potestas evaderet *nominativa*; jam vero facillimum est edisserere quamcumque ex praefatis hypotesibus plane absurdam et ab Ecclesiae indole ac constitutione omnino absonam esse censendam.

1.ª Hypothesis de successione necessaria penitus adversatur: ª) *naturae* Ecclesiae, quae ex Christi institutione supremaque ejus voluntate formam atque organizationem habet ab Ecclesia Mosaica et Synagoga Judaica prorsus distinctam et toto coelo divergentem; ᵇ) *catholicitati* Ecclesiae hoc genus sacerdotale excludenti et specialem stirpem rebus sacris dicatam prorsus rejicienti; ᶜ) *sanctitati* ecclesiastici status, quia, cum potestas in Ecclesia solum a clericis exerceri valeat, in clericatum adscriberentur plures *indigni;* ᵈ) *idoneitati* sacrorum magistratuum, etenim eo ipso quòd varii sint gradus jurisdictionis et singularem aptitudinem, peculiaresve qualitates postulent, quamplurimi *inepti* muneribus fungerentur.

2.ª Hypothesis de successione voluntaria directe opponitur: ª) *interventioni divinae* seu vocationi necessariae ad ecclesiastica munia obeunda, juxta Divinas Litteras: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron,* ait Apostolus (1); ᵇ) *doctrinae* Jesu Christi, qui omnem impositionem vel intrusionem in Ecclesiae regimen aperte damnat: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est et latro*; *qui autem intrat per ostium, pastor est ovium* (2); ᶜ) *recto exercitio* potestatis ecclesiasticae, quae equidem ad regimen et sanctificationem animarum confertur, hac semper subaudita

---

(1) Ad Heb. cap. V, v. 4.
(2) Joann. cap. X, v. 1 et 2.

conditione, donec retineatur et uti possit; minime vero tribuitur ad ponendos actus limites concessionis transgredientes et effectus gignendos vere irritos; utpote derivatos ex jurisdictione mere fictitia, siquidem, morte personae intercedente, quaelibet ejusdem potestas omnino cessat et desinit; [d]) *sententiae* constanti et traditionali Ecclesiae, quae haereditatem in dignitatibus et officiis ecclesiasticis semper improbavit, uti conjicitur, inter alia monumenta memoratu digna, ex Epistola Sancti Hilarii ad Ascanium Tarraconensem, in qua declaratur nulla electio a Nundinario Barcinonensi testamento facta in favorem Irenaei Episcopi Egarae (hodie Tarassae in Catalaunia).

3.ª Hypotesis repugnat bono Ecclesiae *regimini*, quoniam designatio seu nominatio a praedecessore, dum in vivis agit, facta portam gravissimis malis aperiret, et reapse triplici abusui ansam praeberet: [a]) dissidiis, rebellionibus et crebris contentionibus; [b]) arbitrarietati, praejudiciis atque nepotismo ex parte Magistratuum vel Praesulum; [c]) simoniae, ambitioni et avaritiae ex parte clericorum.

Deinde designatio successoris ab antecessore in vita facta perinde esset, aut saltem idem haberetur ac successio haereditaria; nunc vero, Ecclesia non modo haereditatem proprie dictam in muneribus ecclesiasticis reprobavit, verum etiam ab eo omni abhorruit, quod speciem successionis haereditariae praeseferret; hinc aegris oculis perpetuo prosequuta est, imo etiam fere prohibuit Coadjutores cum futura successione, uti ostendunt inter plurima exempla rem nostram conficientia tria facta ex Historia petita: [a]) S. Augustinus Eraclium suum Coadjutorem nominavit, sed noluit eum Episcopum consecrare, ne canonem VIII Nicaenae Synodi duos in eadem Ecclesia Episcopos esse vetantem infringeret, ita sapienter inquiens: *Quod reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit Presbyter, uti est, quando*

Deus voluerit, futurus Episcopus (1); b) Summus Pontifex S. Hilarus in Concilio duodequinquaginta Episcoporum Romae habito quinque canones ad constituendam Ecclesiae disciplinam edidit, atque horum postremo cavit: *Ne quis Episcopus sibi eligeret successorem;* c) Tridentina Synodus abolitionem Coadjutorum cum futura successione sancivit, declarans soli Romano Pontifici inesse facultatem eos designandi, quando id exposceret evidens utilitas vel urgens necessitas, et dummodo electi qualitatibus essent ornati, quae a Jure pro Episcopis promovendis requiruntur.

159. Praeter argumentum rationis leviter explanatum, necessitas electionis pro potestate ecclesiastica Jurisdictionis obtinenda plenissime comprobatur demonstratione *a posteriori*, nempe, ex facto perenni et in Ecclesia, tum Graeca, tum Latina uniformiter observato: et sane praxis perpetua et a pristinis religionis christianae temporibus ad nostram usque aetatem nunquam interrupta invictissime testatur electionem unice exstitisse longo saeculorum decursu viam ordinariam, medium universale atque titulum legitimum ad Summi Pontificatus apicem et Dignitatis Episcopalis culmen perveniendi, prout luculenter ostendit brevis recensio historica Electionis Pontificiae et Episcopalis in Oriente et Occidente habitae; quamvis varia fuerit Pontifices et Episcopos eligendi ratio pro diversa temporum vicissitudine.

160. Historia Pontificiae electionis in quatuor epochas distingui potest: 1.ª a S. Lino (saec. I) ad S. Simplicium (467); 2.ª a S. Simplicio (467) ad S. Zachariam (741); 3.ª a S. Zacharia (741) ad Nicolaum II (1058); 4.ª a Nicolao II (1058) ad nostra usque tempora.

1.ª Epocha (saec. I-467). A Sancto Lino qui, juxta

(1) Possidius *in ejus Vit.*

Eusebii Caesareensis testimonium (1), "post Petri martyrium primus Ecclesiae Romanae Episcopatum suscepit", ad S. Simplicium usque anno 467 Pontificem proclamatum, Romani Pontifices electi fuerunt tum *judicio* Episcoporum, tum *suffragio* Cleri, cum praesentia ac testimonio *populi.*

2.ª Epocha (467-741). Hac secunda epocha jam incipiunt intrusiones Regum ac Principum saecularium; tria potissima facta ex Historia allegari queunt circa potestatis civilis interventum in Pontificia electione versantia: 1.° mortuo Simplicio, Odoacer, Rex Herulorum qui, devicto Romulo Augustulo, Italia potitus erat, praetendens sibi a praefato Pontifice demandatum fuisse munus interveniendi pro ordine asservando atque tumultibus vitandis, primus omnium sancivit, ne novus Pontifex eligeretur absque *praevia consultatione* vel consensu Italiae Regis. Verum Pontifices Simplicii Successores legem Odoacri contempsere; etenim S. Symmacus duobus Conciliis Romanis annis 500 et 502 celebratis ejusmodi legem abrogavit statuens, ut ille Pontifex haberetur, qui consentientibus totius ecclesiastici Ordinis suffragiis creatus esset, aut si animi in partem diversam abirent, *vinceret sententia plurimorum,* juxta verba decreti in collectione Gratianea inserti (2). 2.° Theodoricus Rex Gothorum, postquam Odoacrum regno ac vita privasset, non solum sibi vindicavit jus confirmandi, sed etiam usurpare voluit jus Romanum Pontificem eligendi; at cum huic conatui Clerus Senatusque Romanus obstitisset, per viam compositionis utrinque conventum est, ut in posterum electio Pontificis more pristino fieret a Clero, sed dein munienda *regia confirmatione.* 3.° Justinianus, ut narrat Anasthasius in vita S. Agathonis, praeter confirmationem tributum quod-

(1) *Hist. Eccl.* Lib. III, cap. 2.
(2) Can. *Si transitus Papae,* dist. 79.

dam imposuit pro illa impetranda reddendum; postea autem ad Thronum Constantinopolitanum evectus Constantinus IV Pogonatus, filius Constantis, rogante S. Pontifice Agathone (678), vectigal renuntiavit; et facta (684) electione Benedicti II, etiam legem confirmationem imperialem praecipientem abrogavit, quam iterum innovavit ejus filius Justinianus II, etsi tributum condonando.

3.ª Epocha (741-1058). Zacharias anno 741 Pontifex inauguratus, juxta sententiam apud criticos communiter receptam, fuit primus, qui sine ulla Imperatorum confirmatione totius Ecclesiae administrationem suscepit; et a S. Zacharia exploratum est caeteros Romanos Pontifices, qui Cathedram Petri obtinuerunt, injustam impetrandae confirmationis servitutem penitus abjecere.

4.ª Epocha (1058-1899). Hac postrema aetate forma in facienda electione Pontificia servata immutatur; nam Nicolaus II in Concilio Lateranensi seu Romano, cui adfuere 113 Episcopi, Cardinalibus Episcopis *principaliter*, prout asserit S. Petrus Damianus (1), potestatem dedit Romanum Pontificem eligendi, sic tamen ut reliquus Clerus et populus ad consensum novae electionis accederet. Innocentius verò II (1130), ut omnem tumultus occasionem removeret, ab electione Pontificis Populum Romanum exclusit; et quidem Historia nobis testatur Caelestinum II electum ac consecratum fuisse sine interventione et acclamatione plebis. Paulo post Alexander III in Concilio Lateranensi III (1179) ad vitanda in posterum schismata etiam Clerum inferiorem seclusit, solis Cardinalibus electionem Pontificiam adjudicans, simulque decernens, ut ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habere-

---

(1) Lib. I, epist. 20 *ad Cadolaum Parmensem Episcopum.*

tur, qui a duabus partibus Cardinalium concordantibus electus et receptus fuisset. Tandem Gregorius X Synodum Lugdunensem II convocavit, ubi creatum est *Conclave* et sapientissimae conditae fuere ordinationes, quae a Clemente V in Concilio Viennensi postea sancitae, variisque Romanorum Pontificum Constitutionibus denuo temperatae, hodie super hoc praestantissimo capite vigent.

161. De forma pro Episcopis eligendis diversis temporibus usitata perpauca dicemus, quia cum hanc quaestionem incidenter pertractemus, ad scopum nostrum assequendum satis erit praxim Ecclesiae generalem leviter adumbrare, pro pleniore rei notitia lectores ad tractatores Juris Privati, qui fuse de ejusmodi disputatione agunt, remittentes.

Historia, electionis Episcopalis, perspicuitatis gratia, in triplicem epocham tribui potest: 1.^am^ *Conciliarem* (a morte Apostolorum ad Saeculum XII); 2.^am^ *Capitularem* (a saeculo XII ad initium saeculi XIV); 3.^am^ *Pontificiam seu Reservationum* (a saeculo XIV ad nostram usque aetatem).

1.^a^ Epocha. Post obitum Apostolorum, qui vi facultatis extraordinariae pro Ecclesia constituenda a Christo acceptae Episcopos eligere atque instituere in universis orbis regionibus poterant, electio Episcoporum fiebat ab Episcopis *Provinciae* cum Clero ac populo congregato; confirmatio autem a Metropolita vel Exarcha aut Patriarcha. Interventionis Cleri ac populi meminimus, quia hinc requirebatur assensus et adsistentia Cleri, hoc est, eorum qui sacris Ordinibus insigniti erant, ut suam sententiam dicerent, et suffragium mere *consultativum* ferrent pro designando proprio Pastore; et illinc exquirebatur populi testimonium ac praesentia, ceu votum mere *informativum*, tum ad implendum praeceptum D. Pauli *oportet Episcopum testimonium bonum habere ab iis qui foris sunt;* tum ut optimi et vulgo probati Antisti-

tes eligerentur, juxta monitum S. Cypriani: *Episcopus deligatur, plebe praesente, quae singulorum vitia plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit* (1); tum denique ne invito populo daretur Episcopus, ut ajebat S. Leo Magnus: *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti* (2).

De praesentia et plebis christianae consensu in peragendis Episcoporum electionibus tria animadvertenda ducimus: 1.° munus ferendi suffragii vel testimonii, quod aliquando totius populi proprium fuit, divino jure ad eumdem populum non pertinere, etenim ex Historia Ecclesiastica liquet interdum christianam plebem ad sacras electiones receptam, interdum quoque fuisse rejectam: 2.° propter dissentiones, tumultus et scandala loco plebis jus interveniendi per praesentiam, assensum aut designationem tam in Oriente, quam in Occidente *Optimatibus* et *Principibus* frecuenter esse concessum; 3.° ob gravissima incommoda, quae ex laicorum interventu in ecclesiasticis electionibus consequebantur, postremo factum esse, ut populus ab Episcoporum electionibus prorsus amoveretur, citius quidem in Graeca, quam in latina Ecclesia: etenim apud Graecos jus omne eligendi sine ullo populi testimonio aut suffragio in Episcopis permansit, postquam editi sunt canon III Concilii Oecumenici VII (Nicaeni II—787) et canon XXII Synodi Generalis VIII (Constantinopolitanae IV —869), in quibus laici homines ab electionibus excludebantur; apud Latinos vero elementum populare seclusum est ex quo sive ex consuetudine, sive ex Decreto Gratiani can. 35, dist. 63, sive ob concordata Wormatiensia jus eligendi ad Canonicos Ecclesiae Cathedralis vacantis delatum est.

---

(1) Epist. 68.
(2) Epist. 167 *ad Rusticum*, cap I.

2.ª Epocha. A pactis Wormatiae initis (1123) et a Concilio Oecumenico Lateranensi I confirmatis exclusus est Clerus inferior, reservata electione Episcopali *Capitulo* Cathedrali, et confirmatione Metropolitano; quod jus obtinebat, cum Decretales Gregorii IX prodierunt.

3.ª Epocha. A saeculo XIV incipiunt *Pontificiae* reservationes: Benedictus XI (1304) sibi reservat quatuor Sedes Patriarchales, eo quòd urbes earum principes vel ab infidelibus vel ab haereticis et schismaticis occupatae erant; Clemens V sibi etiam reservavit toto sui Pontificatus tempore Ecclesias et Beneficia apud Sedem Apostolicam vacatura; demum Joannes XXII et Benedictus XII per Regulas Cancellariae jus novum constabilierunt. Ex tunc temporis, ad avertenda complurima mala, quae ex ambitione hominum, studiis partium, populique factionibus oriebantur, salvis nonnullis exceptionibus quoad electionem tantum quibusdam Capitulis ex privilegio concessam, electio proprie dicta et confirmatio Episcoporum in Consistorio a Romano Pontifice fit; diximus *electio proprie dicta,* quia, quamvis a saeculo XV Principibus et Summis Magistratibus plures concessiones et praerogativae collatae fuere pro Episcopis nominandis, praesertim verò per Concordata; sed hujusmodi facultates Apostolica benignitate tributae nunquam vocari queunt, nec multo minus constituere possunt jus proprium Episcopos eligendi, sed dumtaxat spectari debent tamquam gratia vel privilegium ad Ecclesias vacantes *designandi, proponendi* vel *praesentandi,* quin Romanus Pontifex teneatur electos seu praesentatos a Guberniis necessario acceptare atque confirmare.

162. Necessitati, quam propugnamus, canonicae electionis pro obtinendo Pontificatu et Episcopatu opponi videtur factum B. Petri S. Clementem Successorem sibi destinantis, aliorumque Pontificum, qui Succesorem in Sede Apostolica designarunt; exinde nonnihil dicendum erit de hac duplici quaestione, utrum revera S. Pe-

trus Successorem designaverit, vel an Summi Pontifices suum Successorem eligere possint.

Et ad primum quod attinet, exemplum Principis Apostolorum S. Clementem suum Successorem nominantis nihil Pontificiae electioni obstat ex defectu tum *authenticitatis*, tum rectae *applicationis:* ex defectu *authenticitatis*, quia factum in B. Petri agendi ratione fulcitum ex Collectione Gratianea can. I, caus. VIII, q. I desumptum est; nunc vero, hodie apud criticos constat hunc canonem inter genuinos minime esse accensendum, sed inter apocryphos ex mercibus Isidorianis excerptos: ex defectu rectae *applicationis*, siquidem, etsi sincerus esset locus citatus, semper prae oculis habendum est in Beato Petro exstitisse extraordinariam potestatem; et sicut ipse potuisset alibi statuere Sedem suam ac statutam mutare, ut fecit deserendo Antiochiam, ita etiam Successorem designare, saltem ex divina revelatione, quemadmodum ex eadem supponimus Romam petivisse; age jam, compertum est Successores S. Petri potestatem ordinariam, non vero extraordinariam, haereditare.

163. Ad secundam quaestionem quod spectat, plane asserendum est Romanos Pontifices nullatenus gaudere potestate Successores designandi; et veritas hujus assertionis probari potest *historice*, *canonice* et *juridice*: a) *historice*; enim Bonifacius II, ut licentiae et intrusioni Regum Gothorum ocurreret, qui in electionibus Pontificiis sese inmiscebant, declaravit in Concilio Romae habito suum Successorem Vigilium Diaconum, Clero non modo consentiente, verum etiam consensum jurejurando confirmante; postea autem agnoscens hanc designationem sacris legibus et libertati electionum contradicere, suam agendi rationem, alio congregato Concilio, retractavit, decretum abrogando et in signum poenitentiae et reprobationis illud igni tradendo: b) *canonice*; nam praetermissa explicita Pontificis S. Hilari

prohibitione, cujus supra meminimus, in Concilio Romano 48 Episcoporum anno 461 edita, ***ne quis Episcopus sibi eligeret successorem***; silentio etiam praeteritis plurimis canonibus ab eruditissimo Pirhing (1) opportune allatis atque scite illustratis, adest in hodierna disciplina decretum Pii IV, quo sancitum est Pontificem, Cardinalibus quoque consentientibus, non posse Successorem sibi eligere (2): c) ***juridice***; tum quia suprema potestas in Ecclesia non est haereditaria, et hujusmodi evadere posset, si Pontifici fas esset sibi Successorem designare; tum etiam quia Summus Pontifex, suprema auctoritate pollet pro regenda Ecclesia, donec ipse est Pontifex; jam vero, electio Successoris ad regimen Ecclesiae non spectat, sed versatur circa provisionem vel nominationem ***Rectoris*** pro eo tempore, quo Pontifex designans non erit amplius Caput Ecclesiae et Christi Vicarius; enimvero, mortuo Romano Pontifice, sollicitudo Ecclesiae pertinere nequit ad eum, qui jam e vita migravit, sed necessarie ad inferiorem gradum devolvitur, ut apud vivos et a vivis exerceri valeat.

164. Constituta et vindicata necessitate electionis pro adquirenda Jurisdictione Pontificia et Episcopali, videndum superest, quinam jure ad utrumque institutionis divinae gradum eligendi in Ecclesia potiantur.

Quoad *electionem Pontificiam*, usque ad saeculum XII jus eligendi habuit *Clerus Romanus* cum praesentia, testimonio et ***populi*** acclamatione; a saeculo XII ex decreto Nicolai II hoc jus ***praesertim*** delatum est ***Cardina-***

---

(1) Tit. *de Electione*, sect. 9.

(2) En verba ex actis consistorialibus Pii IV desumpta et a Reynaldo relata anno 1561: «Sanctitas sua declaravit atque decrevit quod Romanus Pontifex non possit sibi eligere Successorem, nec adsumere Coadjutorem cum futura successione, etiam de consensu omnium et singulorum Cardinalium, sed electio spectet ad Cardinales libere, cum decreto irritante». De hac controversia vide doctissimas observationes Prosperi Fagnani in 2 part. primi Decretal. cap. *Accepimus* de pactis, num. 10.

libus Episcopis, consentiente tamen *Clero* ac *populo*; Innocentius II *populum* penitus amovit ab electione Pontificia, sed adhuc interveniente *Clero*; denique Alexander III in Concilio Lateranensi III *Clerum inferiorem* etiam exclusit, facultatem Romanum Pontificem eligendi *Cardinalibus* dumtaxat impertiendo.

Quoad *electionem Episcopalem*, Apostolis vita functis, qui, utpote potestate constituente seu extraordinaria a Christo Domino immediate recepta insigniti, Episcopos pro religione propaganda et rebus sacris ordinandis diversis Ecclesiis praefecerunt, solummodo Romanus Pontifex *ex jure divino* Episcopos eligere potest, uti validissima argumenta ex Sacra Scriptura, Decretis Conciliaribus et ipsa ratione sumpta ostendunt.

Sacra Scriptura. Satis sit in corroborationem hujus veritatis afferre verba S. Joannis millies laudata *pasce agnos meos, pasce oves meas*, ex quibus ita argumentamur: Christus Dominus hoc Evangelii loco Petro ejusque Successoribus contulit non modo jus supremum seu plenam potestatem Ecclesiam universalem regendi atque pascendi, verum etiam munus seu officium gravissimum *fidelibus* et *Pastoribus* invigilandi, de cujus recta executione et accurata observantia Deo respondere debent; atqui Romanus Pontifex ex alia parte nequit *per seipsum* cunctum populum christianum pascere et gubernare, quia omni praesentia non gaudet; ex alia verò Deo reddere tenetur strictam rationem tum gregis (*agnos*) paternali ejus curae commissi, tum pastorum (*oves*) a Supremi Pastoris sollicitudine dependentium; igitur Summo Pontifici exclusive competit jus eligendi illos, quorum vigilantiae atque regimini demandanda est pars gregis christiani; secus injungeretur officium cum maxima responsabilitate conjunctum absque mediis et facultatibus necessariis pro recte obeundo munere imposito ac suscepto. Quapropter Tridentina Synodus ait: *Romanum Pontificem* EX MUNERIS SUI OFFICIO *debere... bonos maxi-*

me atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis praeficere (1).

Decreta Conciliaria. Pro vindicando jure Romano Pontifici exclusive competente creandi Episcopos memorare sufficit canones Tridentinos. In primis enim ob oculos habenda est sequens definitio hujus Oecumenicae Synodi: *Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis* ASSUMUNTUR, *non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit* (2); ex qua dogmatica definitione aperte colligitur Romano Pontifici inesse praestantissimum jus nullis aut loci aut temporis limitibus circumscriptum instituendi ubique Episcopos, qui legitimi ac veri Episcopi sint, et haberi omnino debeant.

Summa Romani Pontificis potestas ad Episcopos per totum christianum orbem constituendos confirmatur etiam atque illustratur insequenti canone: *Si quis dixerit, eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite* ORDINATI, *nec* MISSI *sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse Verbi et Sacramentorum Ministros, anathema sit* (3); juxta hanc definitionem quoque dogmaticam, mera *Ordinatio* nullo modo sufficiens est ad auctoritatem Episcopalem valide exercendam, secus enim Episcopi schismatici, haeretici vel excommunicati ea potestate legitime uterentur; sed insuper necessario requiritur legitima *Missio*, per quam jurisdictio obtineatur, riteque exerceatur. Nunc vero, praestabilita et dogmatice definita *Missionis* necessitate, in Ecclesia esse debet aliqua potestas jure missionem tribuendi praedita; alioquin Christus Ecclesiae suae haud satis consuluisset, si non designasset potestatem, a qua petenda et obtinenda esset missio. Atqui in Romano Pontifice ex Dei dispositione residet plenitudo potestatis ad Ecclesiae regimen

---

(1) Sess. XXIV, cap. I.
(2) Sess. XXIII, cap. VIII.
(3) Ead. Sess. can. VII.

et administrationem; igitur Petri Successoribus ex Christi voluntate competit jus missionem conferendi, ideoque Ipsi jure divino exclusiva pollent facultate Episcopos eligendi et plebi christianae in universo mundo praeficiendi.

Argumentum *rationis*. Romanus Pontifex est Christi in terris Vicarius, Beati Petri Successor, totius Apostolicae potestatis Haeres, et Societatis Christianae Supremus Hierarcha; age jam sub quopiam respectu res inspiciatur, et quicumque titulus invocetur, meridiana luce patebit ad eum unice esse deferendam Episcoporum electionem; etenim Pontifex et quidem solus Pontifex peragere potest id quod fecit Christus, Petrus et Apostoli, quodve faciunt Summi Imperantes in qualibet societate perfecta: sed Jesus Christus Ecclesiae Fundator Episcopatum instituit, Petrus suprema auctoritate ei divinitus collata Episcopos creavit, Apostoli potestate constituente ab ipso Christo immediate accepta Episcopos ordinarunt, et Supremi societatis humanae Moderatores Magistratus inferiores constituunt pro recto auctoritatis socialis exercitio; ergo Romanus Pontifex, qui personam Christi gerit, Primatum honoris et jurisdictionis Petro collatum in Ecclesia obtinet, plenitudinem potestatis Apostolicae ordinarie ac perpetuo habet, et Ecclesiae Catholicae toto orbe diffusae ex Christi institutione praeest, jure divino et propria competentia valet Episcopos designare, canonice instituere, illosque ad cunctas mundi plagas atque dissitas regiones mittere.

165. Sed, cum non desint qui, ad auctoritatem Pontificiam Episcopos eligendi frangendam restringendamve, asserunt olim Patriarchas, Primates et Metropolitas ea potestate usos esse, probandum nobis remanet jus confirmandi, quod ex veteri disciplina Patriarchae, Primates atque Metropolitae exercuere, nihil adversus Romanorum Pontificum potestatem arguere, uti ex triplice observatione facile conjicitur.

1.° Praefatum jus sive patriarchale, sive primatiale, sive metropoliticum, fuit mere delegatum et a Sede Apostolica directe profluens; exploratum namque est omnes Episcopos ex divina institutione pares inter se haberi ordine et potestate, ac proinde quaecumque dignitatis vel potestatis praerogativa, qua labentibus annis nonnullae Sedes Episcopales auctae et insignitae fuerunt, ex Cathedra Petri profecta est; enimvero Patriarchae, Primates et Metropolitae jus creandi Episcopos Apostolicae Sedi divinitus datum, neque possessione, neque praescriptione, neque consuetudine, neque ulla institutione humana sibi adquirere, neque Romani Pontifices eodem se abdicare potuerunt, quia jus divinum nullo hominum facto et institutione abrogari, immutari vel inverti potest.

2.° Patriarchae, Primates et Metropolitani in constituendis Episcopis non erant omnino liberi, sed in hujus potestatis usu sequi, accurateque servare tenebantur formam ab eadem Apostolica Sede praescriptam vel mandatam; hinc Romani Pontifices potestate sua usi sunt: a) quoties jure suo Metropolitanus abutebatur, confirmando contra canones; b) cum dispensatione opus erat, quae a solo Romano Pontifice concedi posset, utpote facultate generali supra canones dispensandi praedito; c) quando Metropolita officio suo non fungebatur.

3.° Demum ipsi Romani Pontifices interdum sibi penitus *reservarunt* institutionem Episcoporum, ubi et quando id optimum factu rati sunt, sive pro bono animarum facilius et tutius promovendo, sive pro meliori et ordinatiori Ecclesiarum regimine, quin nemini injuriam facerent, quippe jure suo utebantur: hujusmodi reservationum exempla videre est apud historiam electionum episcopalium monumentis authenticis innixam.

ARTICULUS XII.

SUMMARIUM.

166. **Sextus** character: Potestas Ecclesiae est MONARCHICA.—167. Diversae regiminis formae.—168. An in ecclesiastico regimine sit elementum democraticum.—169. Sententia Card. Bellarmini hac de re.—170. Num saltem adsit elementum aristocraticum.—171. Probetur ecclesiastici regiminis formam esse *mere monarchicam*.—172. Potestas *suprema* ratione Primatus *soli* Romano Pontifici competit.—173. Auctoritas infallibilis Successoribus B. Petri *unice* incumbit.—174. Consectaria ex conceptu monarchico Potestatis Ecclesiae legitime derivata.—175. Objectiones.

166. Sexta et postrema nota peculiaris et characteristica Potestatis Ecclesiasticae in ejus forma MONARCHICA (QUOMODO) sita est; at, dum asserimus potestatem Ecclesiae *Monarchicam* esse, duo facta fundamentalia praestituere intendimus, nempe: *institutionem unius* potestatis supremae in Ecclesia, simulque *existentiam* realem atque perpetuum *exercitium* hujusce auctoritatis *unicae*, in sua origine supremae ac independentis, juxta formam regiminis et essentialem constitutionem, quam Christus Dominus ex sua divina voluntate Ecclesiae a se conditae donavit.

167. Forma regiminis in qualibet societate nihil aliud est quam ejus constitutio ex natura subjecti supremae potestatis deducta; sed, cum tres sint, juxta Angelicum Doctorem, modi quibus auctoritas socialis seu *politia* exerceri potest, eo ipso tres habentur formae gubernationis, *purae* aut *simplices* nuncupatae, videlicet: *Monarchia*, in qua suprema potestas uni personae phisicae inest; huic opponitur *tyrannis* seu potentia vel dominium unius, proprium commodum et lubitum contra bonum generale curantis et promoventis: *Aristocratia*, sub qua auctoritas socialis exercetur a paucis sed optimatibus; ipsi adversatur *oligarchia* seu potestas vel dominium paucorum bonum divitum intendentium con-

tra communem populi utilitatem: *Democratia* ita hodie post Bellarminum communiter appellata (1), in qua auctoritas socialis residet apud omnes cives collectim sumptos ut in *subjecto*, apud plures autem quoad *exercitium;* huic fomae opponitur *demagogia*, quae apte dici valet inordinata, turbulenta et seditiosa potestas seu dominium populi, bonum proprium intendentis contra nobiles divites et reipublicae utilitatem.

Ex permixtione duarum vel omnium simplicium, aut etiam ex diversa praeponderantia unius seu alterius elementi exsurgere queunt plurimae varietates, quae formae *mixtae* denominari solent, uti *Monarchia—Aristocratica* vel *Democratica, Aristocratia-Democratica, Democratia—Aristocratica,* aliaeque id genus compositae formae.

168. His praenotatis, quaeritur primum an in regimine ecclesiastico sit elementum democraticum: pro hae quaestione praevia plane et categorice solvenda validissimas rationes et invictissima argumenta, cum de errorum impugnatione agatur, suo loco afferemus; speciminis gracia, satis sit heic generali argumentatione demonstrare ab Ecclesiae regimine esse omnino exclusum elementum democraticum, ideoque perperam ac nequissima mente Marsilium Patavinum et Protestantes, necnon Richerium atque Febronium supremam Ecclesiae potestatem plebi detulisse, et per eam Principibus saecularibus, aut etiam Romano Pontifici ac Episcopis.

Et re quidem vera, sub respectu regiminis et potestatis ea proportio posita est a Christo inter Romanum Pontificem atque plebem, quae est inter *Pastorem* et *gregem;* nunc vero, sicut absurdum esset asserere summam regiminis potestatem in ipso grege residere, et ab eodem pastor conferri aut comunicari, ita etiam vere

---

(1) D. Tomas cum Aristotele eam *Politiam* vel *Rempublicam* vocare maluit.

absurda et prorsus contradictoria habenda sunt quaecumque deliramenta, cunctaque erronea sectatorum systemata populo christiano, sub una vel alia forma, in majori vel minori gradu, tribuentium sive totam potestatem, sive aliquam participationem Ecclesiae gubernationi.

169. Cum de elemento democratico loquimur, nobis opportunum videtur de singulari Card. Bellarmini sententia aliquid innuere, leviter mentem nostram aperiendo.

Hic celeberrimus et sapientissimus theologus ait: "In forma regiminis ecclesiastici suum quemdam locum habere democratiam, cum nemo sit ex omni christiana multitudine, qui ad Episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere judicetur" (1). Haec sententia sensu improprio et latissimo sumpta, *quoad rem*, ut inquit Zallinger, posset admitti, quia assertionem continet cuilibet regno seu monarchiae electivae communem aut applicabilem; sed proprie usurpata, *quoad loquendi modum*, expressio seu phrasis Bellarmini rejicienda est utpote minus accurata et vera, et quidem duplici ratione: 1.ª ex eo quòd omnes cives in aliquo regno officia et dignitates assequi queant, minime infertur ipsum regnum formam democraticam induere; 2.ª quia cives nulla potestate fruuntur, quoadusque non sint promoti ad dignitates vel officia publica, ideoque nullam specificationem, naturam vel denominationem regimini societatis communicare possunt.

170. Quaeritur deinde utrum in Ecclesiae regimine saltem adsit elementum aristocraticum: res equidem comperta est in Ecclesia inveniri elementum aristocraticum, quia Episcopi positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, juxta sacra eloquia; sed tamen forma

---

(1) Controvers. lib. I *de Rom. Pont.* cap. 3.

regiminis ecclesiastici vocari nequit *aristocratica*, etenim hoc Primatui honoris et jurisdictionis divinitus instituto repugnat, quo unus Romanus Pontifex S. Petri Successor universae Ecclesiae praeest. Qui igitur meram aristocratiam in Ecclesiam inducunt, catholicum dogma Primatus omnino destruunt; unde Facultas Theologica Lovaniensis propositionem Marci Antonii de Dominis, in qua asserebat: "Ecclesiam Spiritu Christi instructam, et in singulis Ecclesiis voluisse monarchiam, et in se totam aristocratiam, ut altera alterius vitia corigeret„ (1), hac gravissima censura notavit: *Propositio haeretica et schismatica, quatenus asserit regimen universalis Ecclesiae esse aristocraticum.*

Neque etiam appellari potest *mixta* ex monarchia Pontificis et aristocratia Pastorum; tum quia Episcopi potestatem Summi Pontificis limitare nequeunt, sed tantum eo volente in concilio *concurrunt*, et extra concilium *adjuvant*; tum etiam quia forma ejusque denominatio desumenda est a *subjecto*, in quo residet potestas suprema atque independens; age jam, haec tota et plena in solo Romano Pontifice continetur.

Neque demum formam regiminis ecclesiastici nuncupari oportet *monarchicam mixtam* seu *temperatam* aliqua aristocratiae specie, quandoquidem hujusmodi denominatio errorem gignere aut confusionem facile inducere posset; nam, uti animadvertit praelaudatus Zallinger (2), in Statibus politicis aut profanis temperamentum istud aristocraticum duo importare solet, nempe, *divisionem* et *independentiam* jurium summi imperii, quod in Ecclesia locum habere nequit, tum quia potestas Episcoporum, quae mixtionem vel temperamentum aristocraticum efficit, ex natura sua alligata est ad centrum unitatis et supremam potestatem Vicarii Christi,

---

(1) Lib. I *de Rep. Ecca.*, num. 12.
(2) Jus Eccl. Publ. §. 362.

eidemque subordinata; tum quia quidquid juris competit Episcopis, id eminenti quadam ratione inest in Primate Ecclesiae atque Summo Christi Vicario.

Igitur regimen supremum Ecclesiae dicendum est *mere monarchicum* licèt *coadjuvatum* vel *adsociatum aristocratia*, quoniam Episcopi sunt veri Pastores suarum ovium, legitimi Principes Ecclesiae, et in Conciliis generalibus Judices proprie dicti; uno verbo, prouti antea innuimus, cum Episcopi in Concilio *cum* Pontifice concurrant propter jurisdictionem *collegialem*, et extra Concilium *sub* Pontifice adjuvent propter jurisdictionem *singularem* et participationem sollicitudinis pastoralis ideo addidimus verba *coadjuvatum* vel *adsociatum aristocratia*: quod quidem ipsa agendi et loquendi ratione Romanorum Pontificum plene confirmatur, qui in Litteris Encyclicis ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos universos gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes missis illos vocant *Venerabiles Fratres*.

171. Jam vero, ut veritas nostrae assertionis liquido pateat, simulque natura propria et singularis character Ecclesiasticae Monarchiae omnibus evidenter appareat, sequentem instituimus argumentationem: ut forma ecclesiasticae gubernationis nominetur et sit *mere monarchica* requiritur atque sufficit ut *unus tantum* auctoritate suprema in *regendo* et auctoritate etiam *infallibili* in *docendo* fruatur: atqui in Ecclesia non est nisi *unus* Supremus Hierarcha et *unus* Infallibilis Magister, Romanus nempe Pontifex; igitur forma regiminis ecclesiastici est *mere monarchica*. Major argumenti per se patet et demonstratione non indiget; minor autem duas partes complectitur, quas sejunctim probare aggredimur.

172. In primis enim, Romanus Pontifex est Supremus Ecclesiae Hierarcha seu *suprema* auctoritate in *regendo* pollet, quia ipsi vi Primatus divinitus collati

competit potestas tum *independens* ratione *institutionis*, tum *plena* ratione *extensionis* supra universam Ecclesiam sive distributive, sive collective sumptam: utraque praerogativa potestatis primatialis, tam independentia quam plenitudo, perspicue profluit ex fonte primordiali et unico Juris Publici Ecclesiastici, hoc est, ex Divina Revelatione nobis ab Ecclesia tamquam fidei magistra et veritatis columna proposita; atque etiam ipso rationis naturalis dictamine superabunde corroboratur.

1.° Ex Divina Revelatione liquido patet independentiam et plenitudinem habendas esse veluti notas praestantissimas et potissimas proprietates potestati primatiali inhaerentes: etenim Beatissimus Petrus a Christo Domino constitutus fuit *Fundamentum* Ecclesiae—*super hanc petram aedificabo; Clavicularius* sui Regni—*Tibi dabo claves regni coelorum* seu subjectum personale potestatis clavium—*quodcumque ligaveris, quodcumque solveris; Confirmator* fratrum suorum in fide—*et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* ac *Pastor* totius gregis —*pasce agnos meos, pasce oves meas:* nunc vero, *Fundamentum* non pendet a domo, sed domus a fundamento, quod totum aedificium, quatenus unum est, sustinet, et non modo singulos lapides distributive; *Clavicularius* a Christo sub metaphora *clavium* accepit potestatem omnino illimitatam, tum quoad objectum, tum quoad personas, unaque Ecclesiam sive distributive sive collective respicientem; *Confirmator* firmare et constabilire in fide debebat omnes *simul* atque *tutissime*, quia ejus fides Christi oratione suffulta nunquam deficeret; ac demum *Pastor* auctoritate suprema, plena et independenti integrum ovile collective sumptum pascit, regitque: ergo Romani Pontifices, Petri in Primatu Successores potestate plena et independenti gaudent universalem Ecclesiam *sustentandi* ac gubernandi, sive in Concilio congregatam, sive extra Concilium dispersam; *clavibus* utendi pro omnibus christianis et de omni re ligandis

atque solvendis; cunctos Christi fideles seorsum vel conjunctim in fide *confirmandi*; et postremo universum gregem, tam *agnos* seu simplices fideles, quam *oves* aut Episcopos distributive vel collective *pascendi* et imperandi.

2.° Quaelibet societas, tempore definito orta et a fundatore agnito instituta, formam regiminis determinatam habet seu subjectum potestatis, quod ipse conditor constituerit; sed societas christiana ex facto positivo originem ducit, videlicet, ex Jesu Christi adventu divinaque ejus institutione; igitur subjectum auctoritatis socialis tantum illud erit, quod ipse Christus Ecclesiae conditor suprema sua voluntate designaverit.

Age jam, Christus Dominus uni dumtaxat Petro potestatem supremam et omnimodam tradidit—TIBI *dabo claves regni coelorum*, eidemque insuper contulit auctoritatem plenam et universalem in societate, a se condita—PASCE *agnos meos*, PASCE *oves meas*: exinde, natura atque institutione ipsius Ecclesiae spectatis, solis Romanis Pontificibus, qui Petro in Primatu succedunt, competit auctoritas *suprema* in regendo; ideoque jure merito affirmare licet genuinam ecclesiastici regiminis formam, si subjectum supremae potestatis attendatur, esse mere monarchicam.

173. Ad pleniorem probationem characteris vere monarchici in ecclesiastico regimine effulgentis, nobis ostendendum superest potestatem primatialem B. Petro ejusque Successoribus Summis Pontificibus collatam non modo esse *supremam* in *regendo*, verum etiam *infallibilem* in *docendo*, seu quod idem est, *dogmatice supremam*, ut ita habeatur plenus et adaequatus conceptus *suprematiae*, quae prorsus rueret et evanesceret, si Romanus Pontifex in errorem labi et a superiori auctoritate corrigi posset. *Suprematia dogmativa* seu *Infallibilitas* Romanorum Pontificum pariter nobis constat in Jure Publico ex duplici memorato fundamento, revela-

tione scilicet et ratione; quapropter, praetermissis probationibus a theologis ex traditione aliisque fontibus depromptis, veritatem catholico-juridicam, quam propugnamus, duobus tantum argumentis evincemus, ex Codice Evangelico et ipsa rei natura sumptis.

1.° Potestas Primatus Petro ejusque Successoribus tributi praerogativam *Infallibilitatis* necessario secum importat, juxta Divinas Litteras, alioquin promissiones divinae penitus deficerent, et decretoria luculentaque Christi testimonia non solum incohaerentia omnique sensu vacua, sed etiam prorsus falsa atque ementita evaderent.

Et sane, si Petrus, Romanique Pontifices potestate primatiali ex Dei institutione muniti, in rebus fidei ac morum errori obnoxii essent, tunc, nutante *fundamento*, aedificatio a Christo intenta et facta careret soliditate et firmitate, et portae inferi adversus Ecclesiam praevalerent; tunc exercitium potestatis *clavium* inutile, immo vero irrisorium redderetur, quia quando Petrus vel Summi Pontifices ligarent dogmatice in terris, non semper ligaret Deus in coelis, ideoque non essent amplius vera verba generalissima *quodcumque ligaveris*; tunc, cum Santanas Domini discipulos tentaret, eosque sicut triticum cribraret, jam non adesset qui errantes aut in fide dubitantes *confirmaret*; tunc denique *Pastor* supremus pascua spiritualia, quae in recta fide et moribus sita sunt, gregi christiano neutiquam praeberet, sed Christi ovile ad pascua venenata duceret.

2.° Ipsa ratio rem totam confirmat; etenim si Pontifices Romani Primatu insigniti *infallibili* magisterio non gauderent, eo ipso potestate *suprema* minime fruerentur, siquidem duplici limitationi subjacerent, nempe quoad *objectum* et quoad *modum*.

Quoad *objectum*, quia cum potestas magisterii pars sit potestatis jurisdictionis, quae in gubernatione personarum consistit, si Romanus Pontifex, qui, juxta pro-

bationes allatas, suprema jurisdictione in Ecclesia pollet, non haberet magisterium auctoritativum simulacque infallibile, tantum gubernare valeret partem hominis, nimirum voluntatem, mores informando salutaribus praeceptis, actionesque externas fidelium legibus disciplinaribus moderando; sed mentem humanam minime gubernare posset rectae fidei institutione, tuta veritatis affirmatione et opportuna errorum damnatione: unde in ordine intellectuali limitibus circumscriberetur potestas primatialis, et jam non esset suprema in regendo.

Quoad *modum*, quandoquidem etiam in ordine morali ac practico, si, cum Romanus Pontifex leges disciplinares ederet atque praescriberet, errare posset in fide, in societate christiana existere deberet aliud subjectum, sive physicum sive morale, auctoritate praeditum Supremum Pastorem aliquando corrigendi, ideoque actum esset de suprematia atque independentia Potestatis Pontificiae.

174. Ex conceptu monarchico Potestatis Ecclesiae duo consectaria maximi momenti dimanant, aliud *generale*, aliud *particulare*.

Generaliter: si forma ecclesiastici regiminis monarchica est, ideoque potestas Pontificia unica et suprema in *regendo* atque *docendo*, ex hac ipsa veritate absque speciali demonstratione sequitur *exclusa*, *refutata* et *damnata* esse omnia systemata erronea circa naturam et constitutionem Ecclesiae, quae, perspicuitatis gratia, ad sex genera revocari possunt, videlicet: *democraticum*, *aristocraticum*-presbiterale, *aristocraticum*-episcopale, *regalisticum*, *monarchicum-exclusivum* et *statolatricum*.

Et quidem Potestatem *Supremam* limitare nequeunt: 1.° neque *populus christianus*; hinc exclusi, refutati ac damnati apparent Marsilianismus, Protestantismus et Richerianismus: 2.° neque *presbyteri* seu aristocratia inferior; inde exclusus, refutatus atque damnatus Presbyterianismus: 3.° neque *Episcopi*; inde exclusi, refutati,

damnatique manent Schismatici Orientales, Marcus Antonius de Dominis, Richerianismus, Gallicanismus, Febronianismus, Jansenismus atque Eybellianismus: 4.° neque *Reges* aut *Principes* saeculares; exinde exclusus, refutatus et damnatus evadit Regalismus sub multiplici forma: 5.° neque possunt e contra *Pontifices* suam supremam auctoritatem ita exercere aut amplificare contra Christi voluntatem, ut potestatem episcopalem divinitus institutam, vel delegatam, vel inutilem, vel fere abolitam faciant; ideoque exclusus, refutatus atque damnatus haberi debet error *monarchiae exclusivae*, qui recte apellari posset Exclusivismus Pontificius seu Ultrapapismus: 6.° neque *Status* seu auctoritas civilis; ac proinde exclusus, refutatus et damnatus censendus est Liberalismus cujuscumque speciei et sub quolibet gradu.

Particulariter: Ex conceptu monarchico Potestatis Ecclesiasticae colligitur secundò rejiciendos atque damnandos esse cunctos errores ad Primatum Pontificium respicientes: 1.° errores Febronianismi circa *institutionem* potestatis primatialis, quae non tantum consistit in quadam auctoritate consociationis, ordinis vel inspectionis, ut semper existat centrum communionis et unitatis, sed est vera, omnimoda et proprie dicta jurisdictio in universa Ecclesia regendi ac imperandi: 2.° errores Febronianismi et Gallicanismi circa *plenitudinem* potestatis primatialis, quae Summis Pontificibus non solum in Ecclesiam *distributive* sumptam, verum etiam in Ecclesiam *collective* inspectam collata est: 3.° errores Jansenismi circa *naturam* potestatis primatialis, quae neutiquam mediata et extraordinaria censeri queit, juxta neotericorum placitum, sed vere et proprie ordinaria atque immediata asserenda et fatenda est: 4.° errores Febronianismi et Jansenismi circa *jura* potestatis primatialis, quae in sua notione et ex ipsa Christi voluntate penitus excludit celeberrimam distinctionem nefario scopo a vaferrimis Sedis Apostolicae hostibus in-

ductam in jura Primatus *essentialia* et *accidentalia*; etenim ille qui possidet plenitudinem ordinariae potestatis, nullum in suo ordine accidentale incrementum recipere valet.

Objectiones.

175. Object. 1.ª contra *suprematiam* potestatis primatialis. Auctoritas Romani Pontificis sacris antiquitatis canonibus et consuetudinibus Ecclesiarum particurium restringitur et coarctatur; igitur potestas Pontificia *suprema* atque *independens* nec est nec vocari potest.

Resp. Ante omnia in hac re distinguere oportet canones *divinos*, canones *ecclesiasticos* et varias Ecclesiarum *consuetudines*.

Quoad canones *divinos, dist. ant.*: canones juris divini a Deo ipso *directe* constituti vel saltem *essentialiter* conjuncti cum iis quae a Deo sunt constituta Romanos Pontifices ligant atque obstringunt, ita ut eos derogatione proprie dicta immutare non possint, *conc*; canones juris divini-positivi Summos Pontifices ita ligant et cogunt, ut illos declarare aut interpretari nequeant, *nego*.

Exploratum namque est quosdam recenseri canones auctoritate *divina* immediate et explicite innixos, ad quorum observantiam ipsi Romani Pontifices vi altissimi sui muneris prorsus et stricte tenentur, quia utpote Christi Vicarii nihil contra ejus institutionem agere possunt, ideoque ejusmodi divinas dispositiones vel leges divinitus conditas et ab Ecclesia auctoritative propositas Successores S. Petri abrogare, derogare, mutare vel ab iisdem dispensare nequeunt; sed sunt etiam complures canones, in quibus *substantia* ab auctoritate *divina* dimanat, *forma* ab humana, veluti canones qui decimas solvi imperant, in quibus *substantia*, id est, ut altaris ministri ali a fidelibus debeant, divini juris est, *forma* autem, ut nimirum ejusmodi alimenta praestentur per decimarum solutionem, humani est juris, ac proinde ad

Pontificem pertinet hos canones interpretari et modificare seu quoad formam mutare; sunt demum nonnulli canones in praeceptis divinis positivis sistentes, quos nemo ambigit Romanum Pontificem potestatem, imo et officium habere declarandi, utrum scilicet certis supervenientibus circumstantiis obligare debeant necne.

Quoad canones *ecclesiasticos*, iterum *dist. ant.*: canones auctoritate *humana* seu mere ecclesiastica conditos Romanos Pontifices obligant *moraliter*, hoc est, propter honestatem et congruentiam bonum exemplum praebendi subditis, ita ut sine rationabili causa eos *licite* abolere nequeant, *conc.*; Summos Pontifices obligant etiam *juridice* aut legaliter, ita ut nihil *valide* adversus hujusce canones agere queant, *nego*.

Hac super re duo apprime secernenda sunt, nempe *vis* ac *facultas* aliquid faciendi, et rei agendae *honestas*; aliud enim est quod aliquid ex defectu virium ac facultatis *invalidum* habeatur, aliud vero quod ex *honestatis* defectu *illicitum* putetur; hoc postremo sensu locuti sunt Summi Pontifices, cum negarunt adversus canones se quidquam posse, nulla scilicet accidente causa, ex qua ab illis discedi oporteret. Causa rationabilis hujusmodi canones immutandi vel abrogandi adest, si fiant noxii aut inutiles, quia plebs christiana non est inutiliter gravanda; tamen judex competens ad finiendam rationabilitatem abrogationis vel immutationis est ipse Romanus Pontifex; si autem dubium emergeret aut parum utilitatis ex abrogatione seu variatione sequeretur, non expedit res disciplinares mutare, donec usitatae apud fidelium mores veniunt, juxta auream S. Augustini sententiam: *Mutatio disciplinae quae utilitate juvat, novitate nocet.*

Sed communi omnium calculo Summi Pontifices *juridice* etiam subjiciuntur canonibus in quatuor prioribus Oecumenicis Conciliis sancitis, etenim, juxta S. Gregorium Magnum, haec generalia Concilia tamquam

quatuor Evangelia habenda sunt, quippe in eis potissima sacrosanctae religionis dogmata declarata ac definita fuerunt, atque simul perfecta est Ecclesiae organizatio.

Quoad *consuetudines* Ecclesiarum particularium, *nego ant.*: si enim consuetudines seu melius abusus alicujus Ecclesiae, puta *Consuetudines* Anglicanae sub Henrico II adversus ecclesiasticam libertatem, vel Gallicanae sub Ludovico XIV Primatus jura laedentes, vel quaecumque aliae apud caeteras nationes vigentes, auctoritatem Summi Pontificis limitare valerent, jam non esset una Ecclesia *catholica* seu universalis, sed multae nationales, quae totidem schismata gignerent et in multiplices sectas segregatas coalescerent. Hinc privilegia specialia, si quae sint in Ecclesiis peculiaribus, perdurant donec Pontifex consentit; sin vero dissentiat, statim cessare debent eo magis, quo maximopere expediat inter omnes Ecclesias particulares ad centrum communionis alligatas uniformitatem disciplinae servari.

Object. 2.ª contra *plenitudinem* potestatis primatialis. Romanus Pontifex *potentia extranea* est Statibus politicis: igitur ejus auctoritas cum jure careat imperandi et leges pro cunctis gentibus ferendi, plena et universalis ex defectu extensionis censeri nequit.

Resp. *Dist. ant.*: Pontificatus est Potestas *extranea* gentibus infidelibus et statibus acatholicis, *conc.* vel potius *trans.*; Pontificatus existimandus est velut Potentia *extranea* in catholicis nationibus *nego*.

Falsa omnino est sententia eorum qui auctoritatem Summi Pontificis dicunt *extraneam*, ut ita invidiam et Principum diffidentiam excitent; etenim 1.° Romanus Pontifex Primatum honoris et jurisdictionis in universam Ecclesiam Dei institutione obtinet, ideoque suam potestatem spiritualem exercere et potest et debet in omnia regna, regiones et loca, ubi sint subditi; unde

merito S. Bernardus, ad Eugenium III ejus discipulum scribens, ait: *Orbe exeundum est ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam* (1); 2.° Pontifex Caput Visibile est totius Corporis Mistici Jesu Christi, ideoque plane absurdum audit *extraneum* vocare salutarem et necessarium influxum Capitis in membra; 3.° Sacra Congregatio Sancti Officii ex Decreto, approbante Innocentio, X anno 1644 edito, *schismaticam* et *haereticam* declaravit propositionem, qua affirmatum fuerat Summos Pontifices, cum suas Constitutiones in ea loca mittunt, quae temporali aliorum Principum ditioni subjecta sunt, *in territorio alieno* legem ferre: quam propositionem iterum reprobavit et damnavit Clemens XI in Constitutione *Accepimus* die 11 Januarii anni 1715 expedita.

Object. 3.ª contra suprematiam *dogmaticam* potestatis primatialis. Potestas suprema Romanorum Pontificum dogmatice exercita in censendis doctrinis, definiendis veritatibus et confirmandis Oecumenicis Conciliis impetit atque laedit libertatem suffragandi, quae Episcopis competit, adeoque eorum judicium in Concilio prorsus evertit aut excludit; hinc ad libertatem suffragiorum vindicandam et Episcopis verum judicium tribuendum quaedam aequalitas agnosci debet inter Pontificem caeterosque Episcopos: sed ejusmodi aequalitas cum suprematia componi et coexistere nequit: ergo auctoritas dogmatica Summorum Pontificum saltem in Conciliis nullo modo suprema esse potest.

Resp. Negamus omnes hujus argumenti propositiones cum probationibus et consectariis, quia tota argumentatio falso supposito nititur. Enimvero, potestas suprema R. Pontificis et plena libertas suffragii, qua Episcopi gaudent, conciliari facile queunt hac simplici

---

(1) *De Consider.* Lib. III, cap. 1.

assertione: Episcopi in Concilio, quamvis judices supremi nuncupari nequeant, sunt tamem *conjudices* cum Romano Pontifice, quippe qui eadem divinitus potestate judicandi fruantur in rebus fidei. Et quidem vere judicant, tum antequam Pontifex suum judicium emiserit, tum postquam sententiam tulerit.

Ante Pontificis *judicium*, liberum unicuique Episcopo est inquirere in quaestionem, de qua agitur, monumenta excutere ac demum una cum Pontifice sententiam dicere: *post* Pontificis *judicium*, licèt fas non sit Episcopis a sententia ab ipso lata dissentire, nihilominus adhuc certo judicant; nam essentia judicandi in facultate dissentiendi minime posita est, sed in sententia ferenda auctoritative et cum cognitione causae: nunc vero, episcopi suffragium *auctoritative* emittunt, quia non tantum doctrinaliter de re cognoscunt, sed divina dispositione atque officio sui muneris veritates definiunt; simulque sufficientem causae cognitionem habent, quia sequuntur suffragium Romani Pontificis, qui nimirum testis est traditionis Ecclesiae Romanae, *cum qua necesse est omnem convenire Ecclesiam*, juxta notissima S. Irenaei verba. Ita videmus in Concilio Chalcedonensi et recentiori aetate in Tridentina Synodo, etiamque nostris diebus in Concilio Vaticano Sessione III examini ac discussioni denuo subjectas esse quaestiones dogmaticas jam definitas in anterioribus Conciliis, quin hoc examen dubitativum dici possit vel antecedentibus oppositum.

In utroque casu definitio Concilii Oecumenici editur *per modum unius* tum Capitis tum membrorum, quia Caput simul et membra Ecclesiae unitatem constituunt: hac simplici explicatione adhibita, et Romano Pontifici suprema auctoritas in Conciliis vindicatur et Episcopis sua judicandi potestas *sub* et *cum* Pontifice sarta tectaque servatur.

Supervacaneum nobis videtur diutius immorari in sol-

vendis quamplurimis aliis difficultatibus, quae adversus Pontificium Primatum objici solent, quia propositae et solutae passim habentur apud Auctores Theologiae Generalis, quibus haec provincia specialiter commissa est; pro scopo Juris Publici attingendo satis superque est ad tria memorata argumenta respondisse.

CAPUT III.

RELATIONES JURIDICAE ECCLESIAE CUM CAETERIS SOCIETATIBUS.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

176. Relationes juridicae Ecclesiae cum societate civili.—177. Societatis *catholicae* notio.—178. Triplex relationum genus.—179. Societas civilis est *absolute* independens in rebus suae exclusivae competentiae.—180. Genuinus conceptus hujusce independentiae.—181. Errores per *defectum*.—182. Demonstretur systemata Indifferentismi atque Naturalismi falsa esse *objective* spectata.—183. Ostendatur eorumdem falsitas sub aspectu *logico*.—184. Probetur ejusmodi systemata etiam *juridice* inspecta veritati repugnare.

176. Pro relationibus Ecclesiae cum civili societate rite definiendis in memoriam revocare necesse est Statum vel societatem politicam, de qua heic loquimur, ipsam cum societate religiosa conferendo, quadruplicis generis esse posse, videlicet: primo loco recenseri meretur societas *catholica*, quae *jure* et *facto* Ecclesiae subjicitur; deinde memoranda venit societas *acatholica*, nimirum haeretica vel schismatica, quae auctoritati Ecclesiae tantum *jure* subest, non vero *facto*; tertio habetur societas *incredula* seu *indifferens*, quae proclamat legislationem praescindere *per se* et *simpliciter*, non per accidens et intra quosdam limites, a religione catholica; haec de *jure* Ecclesiae subjacere tenetur utpo-

te christiana, etenim ejus cives atque etiam legislatores, ut plurimum, sunt baptizati; tamen de *facto*, quamvis in sectam formaliter separatam ab Ecclesia nondum coeant, rebelles sunt Ecclesiae, eo ipso quod contra ejusdem doctrinam absolutam separationem Status ab Ecclesia profitentur ac defendunt; postremo dinumeranda est societas *infidelis*, quae neque *jure* neque *facto* Ecclesiae subdita dici potest, quia illius cives ac legislatores baptismum haud receperunt.

Praemonere quoque oportet praefatas quatuor societates nuncupari specialiter et taxative *catholicas*, *acatholicas*, *incredulas* vel *infideles*, non quatenus earum cives vel legislatores, *personaliter* spectati, catholici, acatholici, increduli vel infideles fuerint, sed prout legislatio principia catholica agnoscit ut normam propriam in regimine publico, vel principia haeretica aut schismatica promulgat, vel praescindit a religione, saltem christiana, vel demum consignat atque statuit infidelium principia, veluti Mahometis religionem, Buddae systema, dogmata Confutii, aliasve id genus doctrinas.

177. Cum ex praejactis Ecclesia considerari potest in ordine sociali sub diverso respectu, prout Status in distincta catholicitatis, acatholicitatis, indifferentiae aut infidelitatis conditione situs fuerit, ordo logicus postulat ut hanc disquisitionem a societate catholica incipiamus, genuinum ejus conceptum praefiniendo.

Societas civilis *catholica* dicitur: *quae et membris catholicis constat, et principia catholica ut normam legislationis agnoscit.* Ex hac definitione conjicitur duas requiri conditiones ad societatem vere catholicam constituendam: 1.° ut omnia societatis membra aut saltem major pars civium catholica sit; quod si aliqui exstiterint acatholici, ipsorum ratio in legislatione generali habenda non est, quamvis aliquando propter peculiaria adjuncta et proportionatam causam heterodoxis *exceptiones* possint ac debeant fieri: 2.° ut legislatio catholica

omnino sit; sin vero cives essent catholici, et legislatio principia catholica non admitteret et profiteretur, sive hoc vitium legislationis culpae populi tribui deberet, sive voluntati Principis crimini vertendum esset pro diversa regiminis forma, tunc societas desineret esset catholica; etenim deficerent rationabiles causae, quae intra quosdam limites permittere possunt legi, ut a religione catholica praescindat, cujusmodi essent magnae perturbationes tranquillitati publicae imminentes aut gravissima mala, quae certo orirentur ex resistentia dissidentium.

178. Omnes relationes, quas Ecclesia et Status catholicus inter se sustinere queunt, recte in triplicem classem distingui possunt: relationes independentiae *absolutae*, relationes independentiae *relativae*, atque relationes independentiae *accidentalis*.

Vocatur relatio independentiae *absolutae* illa conditio juridica tum Ecclesiae, tum Status, vi cujus utraque societas, ecclesiastica et civilis, de re vel negotio respectivae jurisdictioni competente *per se* et *totaliter* cognoscere, disponere, jubere et leges ferre potest, absque necessitate delegationem, consensum aut veniam societatis diversi ordinis impetrandi.

Dicitur relatio independentiae *relativae* illa conditio juridica, in qua Ecclesia et Status de una eademque re duplicem aspectum habente vel duobus elementis, spirituali et temporali coalescente, tantum *partialiter* et sub *respectu* propriae competentiae, judicare, praecipere aut leges condere valent, quin concessione, assensu vel permissione alterius societatis indigeat pro ordinanda, praescribenda vel modificanda parte rei mixtae suae jurisdictioni subjectae. Attamen haec relatio, eo ipso quod sit independentiae *relativae* et non *absolutae*, exposcit ex parte Status, ut debitam subordinationem ecclesiasticae legislationi servet, cum aliquid jubere vel statuere teneatur circa res temporales cum spiritua-

libus connexas; atque ex parte Ecclesiae etiam exquirit, ut leges aliunde justas, utiles vel necessarias ab auctoritate civili in ordine temporali latas prae oculis habeat et revereatur, quando pro suo fine obtinendo supra res spirituales cum temporalibus simul copulatas praecepta edere opportunum ducat.

Demum relationem independentiae *accidentalis* appellamus eam conditionem juridicam, in qua forsitan inveniri possunt tam Ecclesia quam Status ad cognoscenda, judicanda et dirimenda quaedam negotia vel causas, non jure proprio et nativo, sed *per accidens*, hoc est, virtute delegationis, concessionis vel mandati, res moderando ac praescribendo jurisdictione *attributa*, sine continua impetratione consensus aut veniae alterius potestatis, donec perduret tempus delegationis et juxta mensuram privilegii, mandatique extensionem.

179. Primum itaque, ne videamur more scholae aut praejudicio partium abripi, probare intendimus societatem civilem esse *absolute* independentem in rebus suae exclusivae competentiae. Exclusivae competentiae societatis civilis denominantur res *mere* temporales, quae directe et unice statui competunt, quatenus fini temporali deserviunt.

Age jam, triplici argumento, nimirum, ex ratione naturali, ecclesiastica traditione et pontificiis constitutionibus perfacile ostenditur societati civili inesse jus proprium et exclusivum de rebus temporalibus disponendi, praecipiendi atque decernendi, sub respectu finis temporalis perpensis, hoc est, quatenus neque fini spirituali obstant, neque pro eo necessariae ab ipsa Ecclesia judicantur.

Ratione. Inter regulas juridico-naturales, quas alibi (1) recensuimus pro determinanda quantitate potestatis socialis, sequens statuimus principium: *societas*

---

(1) Vid. Cap. 11, art. III.

perfecta exigere à suis non potest quae nullo sub respectu necessaria sunt ad finem consequendum. Fundamentum enim potestatis, quam pro sua natura quaelibet societas habet exigendi aliquid a suis consociatis, situm est in necessario ejusdem nexu cum ipsius societatis fine, ita ut qui alterum vult, alterum quoque velle omnino debeat; atqui res mere temporales eo ipso quod sub respectu finis tantum temporalis spectantur et pro adipiscendo fine spirituali judicio ipsius Ecclesiae necessariae non existimantur, necessariam cum fine spirituali connexionem non habent, igitur minime cadunt sub potestate societatis religiosae, quae spiritualia curat, sed proprie et exclusive competunt potestati civili, quae negotiis temporalibus promovendis curam impendere tenetur.

Deinde Ecclesia leges circa res mere temporales ferre, et suos subditos, qui simul cives sunt Status, ad earum observantiam cogere nequit, quia deficit rationabilitas et utilitas legis; enim ratio, ob quam socii tenentur societati actus suos praestare, est consecutio finis; sed quod innecessarium vel omnino inutile est, ad finem non ducit; ergo illud exsequi socii per se non obstringuntur. Hoc mirifice exponit Angelicus Doctor paucis verbis pro suo more: *Omnis lex ordinatur ad communem hominum salutem, et in tantum obtinet vim et rationem legis; secundum vero quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet* (1). Unde potestas de rebus temporalibus judicium emittendi legesque statuendi soli auctoritati civili tribuenda est.

Traditione. Nonnulla testimonia proferemus, quae nobis sensum christianae antiquitatis et catholicae traditionis disserte patefaciunt. S. Gelasius Pontifex ita loquitur: *Quantum ad ordinem pertinet publicae* (civilis) *disciplinae, cognoscentes imperium tibi suprema disposi-*

(1) 1.a 2.ae q. 90, a. XI.

tione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites (1); S. Gregorius II asseveranter docet: *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias conferendi, sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi et electiones in clero peragendi, neque consecrandi, etc.* (2); Concilium Lateranense IV enucleate tradidit: *Sicut volumus ut jura clericorum non usurpent laici, ita velle debemus, ne clerici jura sibi vindicent laicorum. Quocirca universis clericis interdicimus, ne quis pretextu ecclesiasticae libertatis suam de caetero jurisdictionem extendat in praejudicium justitiae saecularis, sed contentus existat constitutionibus scriptis, et consuetudinibus hactenus approbatis, ut quae sunt Caesaris reddantur Caesari, et quae sunt Dei Deo recta distributione reddantur* (3).

Constitutionibus Pontificiis. Pro thesi nostra plane constabilienda satis erit explicita Leonis XIII verba memorare ita ajentis: *caetera verò, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Jesus Christus jusserit quae Caesaris sint reddi Caesari, quae Dei Deo* (4).

180. Cum Statum in rebus suae exclusivae competentiae absolute independentem nuncupamus, vocem *independentia* in sensu proprio, naturali et etymologico usurpamus, quatenus hoc vocabulum, ex praepositione *in* et nomine substantivo *dependentia* compositum, ideam *dependentiae excludit,* ut ita significetur Statum, veluti quamlibet aliam societatem perfectam gaudere vita et existentia *propria,* regimine et organizatione *propria,* potestate etiam *propria supremaque* in suo ordine, tribus attributis *legislativo, judiciali* et *exsecutivo* ornata,

---

(1) *Ad Anastasium Imperatorem.*
(2) Epist. II *ad Leonem Isaurum* (an. 717 ad 731) in Bullario Rom. tom. I.
(3) Cap. XLII.
(4) Encycl. *Immortale Dei*, § Itaque inter.

quin nominari aut censeri queat directe *subordinatus*, neque multo minus *subalternatus* alteri societati aut Statui.

Haec respectiva Ecclesiae et Status autonomia, ex acceptione grammaticali et usuali verbi *independentia* deducta, sita est in eo quòd ambae societates, religiosa ac civilis, jus exclusivum habent ad finem sibi proprium mediis quoque sibi propriis tendendi, ita ut nec Status in negotiis ecclesiasticis, nec Ecclesia in negotiis mere civilibus sese ingerere sine injuria possit, prout scite et lucidissime docet Summus Pontifex Leo XIII in documento centies laudato: *Utraque* (potestas) *est in suo genere maxima: habet utraque certos quibus contineatur terminos, eosque sua cujusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo cujusque actio jure proprio versetur* (1).

Attamen recentiori aetate vaferrimi Ecclesiae hostes, systematici ordinis supernaturalis oppugnatores, vocabulo *independentia* praepostere usi sunt, germanum hujus vocis conceptum depravantes, eique significationem falsam et prorsus arbitrariam tribuentes. Interdum enim ad detrectanda sacratissima officia Status erga Ecclesiam, independentiae adscribere solent ideam *emancipationis* a legitima auctoritate: hinc in Statu *independenti*—emancipatio *a Deo* (atheismus officialis seu in ordine gubernationis) proclamata ab Indifferentismo et Naturalismo puro—emancipatio *ab omni revelatione* (suprematia Status in Ecclesiam, veluti unici fontis juris atque auctoritatis) per Naturalismum mitigatum, passim Rationalismum nuncupatum, et per Liberalismum absolutum acclamata—emancipatio *ab Ecclesia Catholica* (separatio Ecclesiae et Status seu *Ecclesia libera in Statu libero*) promulgata a Liberalismo moderato.

---

(1) Encycl. *Immortale Dei*, § Itaque Deus.

Interdum vero ea mente ac consilio, ut tyrannidi Principum saecularium vel potestatis civilis placito Ecclesia subjiciatur, vocabulo *independentia* ideam *superioritatis* exprimunt: hinc in Statu *independenti*—jure *suprematiae*, Ecclesia tamquam quodlibet collegium aut societas imperfecta Regibus vel Summis Magistratibus *subalternata* esse debet, uti effutiunt Protestantismus et Caesarismus seu Ultra-Regalismus—jure *majestatico*, imperio aut principatui (*soberania*) Regum vel Supremorum Moderatorum *subordinata* esse debet, ita blaterare audent asseclae Regalismi rigidioris—jure *protectionis*, quoad plurima politiae ac disciplinae capita *obnoxia* esse debet Principum vel Rectorum interventioni, puta asserunt propugnatores Regalismi mitioris.

181. Ex hac levi expositione plane consequitur Ecclesiae adversarios duplici modo aberrasse circa notionem independentiae, quae in ordine temporali societati civili competit; alii enim per *defectum*, Statum a *Deo*, Divina *Revelatione* vel *Ecclesia* separando; alii autem per *excessum*, Ecclesiam Statui *absolute*, *majestatice* vel *tuitive* subjiciendo. Exinde exsurgunt tres errores vel potius systemata erronea per defectum ex primo conceptu falso independentiae in sensu emancipationis derivata, scilicet, Indifferentismus ac Naturalismus saeculo XVIII valde usitati et nostra aetate vix aut raro nominati, quia apud fideles male audiunt, atque Liberalismus, qui non solum *nomine*, verum etiam *re* hodie apud omnes fere nationes grassatur, et ubivis gentium, uti luctuosa experientia testatur, pessimos perniciei, eversionis atque rebellionis fructus protulit. Pariter autem ex conceptu independentiae in acceptione *supereminentiae* aut *superioritatis* colliguntur tria alia systemata erronea per excessum, nempe, Protestantismus, Caesarismus ac Regalismus.

Cunctos ejusmodi errores atque exitialia systemata, prout ferunt limites nostrarum praelectionum, opportuno loco confutabimus.

182. Indifferentismus, Naturalismus atque Liberalismus habendi sunt proculdubio veluti praecipui nostrae aetatis errores, quibus neoterici fulciti contendunt statui civili praescindendum esse a religione, saltem supernaturali, et legislationem condendam, quacumque religione posthabita. De Liberalismo, utpote omnium systematum perniciosissimo et propter ejus naturam politico-religiosam speciali examine et contundenti impugnatione digno, in sequenti capite agemus; modò autem Indifferentismum ac Naturalismum tantum refellere intendimus.

Hujusmodi systemata spectari queunt *objective, logice* et *juridice,* prout vel in seipsis aut juxta propriam naturam et essentialem constitutionem, vel in suis deductionibus seu consectariis, quae ex principio libertatis conscientiae inferuntur, vel demum in ordine sociali et quoad regimem practicum populorum inspiciantur: jam vero ostendere aggredimur haec reprobata systemata, sub quocumque respectu perpensa, esse omnino falsa et prorsus rejicienda.

Objective. Indifferentismus *generalis* et *absolutus* falsitate laborat in ordine *philosophico, theologico* ac *morali*: in ordine *philosophico,* quia supponit propositiones contradictorias indifferenter se habere vel aequales esse posse tum quoad veritatem seu judicium intellectus, tum quoad ipsam rei veritatem seu entitatem, quod equidem principiis logicis et ontologicis aperte pugnat; in ordine *theologico*, etenim supponit Deum indifferentem esse ad veritatem et errorem, hoc est, aequali modo utrumque respicere, habere et judicare, quod notionem Dei, ejusque suprema attributa penitus evertit; in ordine *morali,* quippe supponit conscientiam nostram pro suo libitu officia erga Divinitatem implenda admittere vel rejicere posse, quod naturali justitiae, rectae rationi et creaturae intelligentis conditioni plane repugnat.

Indifferentismus autem *particularis* et *relativus*, qui

fingi et fortasse sustentari posset inter ipsas communiones christianas falsitate etiam arguitur, eo quod supponat omnes sectas christianas indifferenter se habere ad veritatis possessionem et fidei professionem, seu quod idem est, cunctas sectas et christianas communiones esse censendas aequales quoad cultum et religionem; sed hoc sensui communi et rationis dictamini certe refragatur, quae nobis persuadent unam dumtaxat esse veram Christi religionem, et ipsam solam existimandam plene efficacem ad promovendum tuendumque ordinem socialem.

Naturalismus dupliciter sumi potest, per oppositionem ad Deum, et tunc *purus* seu *radicalis* dicitur, vel per oppositionem ad divinam revelationem, et tunc *mitigatus* nuncupatur; uterque utpote absurdus et falsus respuendus est.

Naturalismus *radicalis*, qui naturam et ordinem moralem in se considerat atque a Deo praescindit, falsitate scatet, quippe duas veritates primarias et maxime essentiales diffitetur et destruit, nempe Dei existentiam et solidissimum ordinis moralis fundamentum; et sane omnes agnoscunt ac colunt unum Deum coeli terraeque Creatorem, enim *coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus anuntiat firmamentum;* simulque omnes norunt et ultro fatentur Deum esse principium et originem ordinis moralis, ita ut, sublata ejus notione religioneque seclusa, ordo moralis subjective prorsus ruat, quia cessat vera idea obligationis; at cum moralitas fundamentum sit tranquillitatis publicae et pacis socialis, ordine morali everso, necessario ordo ipse socialis funditus corrueret.

Naturalismus *mitigatus*, passim rationalismus dictus, qui revelationi opponitur et religionem naturalem sufficientem proclamat, falsitate quoque convincitur: 1.° quia ipsa ratio naturalis dictat non modo possibilitatem sive materialis sive formalis revelationis, verum etiam

utilitatem et relativam necessitatem hujusce, necnon veritatem existentiae ejusdem; 2.° quia revelatio habenda est veluti medium adaequatum et efficacissimum a Deo electum ad ordinem socialem asservandum tutandumque, ideoque, ipsa rejecta, ordo socialis consistere et conservari nequit.

183. *Logice.* Horum systematum falsitas non solum colligitur ex intima natura et propria eorumdem essentia, sed etiam ex conclusionibus vel consectariis, quae logice ab ipsis eruuntur. Semel enim admisso Indifferentismo ac Naturalismo, et summis imperantibus officium erit libertatem conscientiae concedendi, et unicuique civi jus competet eam profitendi atque ad praxim reducendi; sed cum libertas conscientiae quinque alias libertates tamquam legitimum corollarium et necessariam sequelam complectatur, videlicet, libertatem *cogitationis*, quae vicissim per libertatem *discussionis*, *impressionis*, *adsociationis* et *cultuum* evolvitur atque ostenditur, pronum esset inferre ejusmodi libertates quadam vi ac certitudine pollere, earumque exercitium uti legitimum atque honestum putatum iri, quod quidem a sana ratione et vera rerum natura plane abhorret; etenim supradictas libertates, si in se inspiciantur, falsas et illicitas esse liquido patet.

1.° Libertas *cogitationis* seu libertas moralis (de qua hic agitur, non de physica) quidquid placuerit judicandi, quatenus asserit intellectum nostrum nulli morali legi subesse in judiciis ferendis, falsissima apparet: [a]) quia mens nostra veritatem cognitam libenter fateri seu recognoscere tenetur; [b]) quia veritatem incognitam sincere investigare debet; etenim sola veritas amplectenda atque colenda est; [c]) quia libertas cogitationis libertatem operationis secum importat; qui enim liber est in judicando, liber etiam in operando censendus est, quia illud semper agere potest, quod justum existimaret: hinc vel nunquam absque injuria liceret externam

libertatem coarctare, siquidem in hoc esset aperta violatio conscientiae, vel si quando, intercedente aliqua causa exteriori et sufficienti, libertas externa limitari posset, agnosceretur saltem quoad ordinem externum judicium competens alterius, et jam actum esset de omnimoda libertate cogitandi non minus absurda quam decantata; [d]) quia, supposita libertate judicandi, cum quisque homo veritatem sincere inquirere teneatur, eidemque sese conformare, pro conscientia sibi efformanda suo judicio semper inniti deberet, quin nemo proprium judicium imponere posset, ex quo contra rectam rationem sequeretur nulla alia veritatis criteria esse admittenda nisi mere interna; externa vero, inter quae eminet divina revelatio, rejicienda atque spernenda tamquam minus aut nullo pacto idonea ad certitudinem nobis procurandam. Nunc vero hoc rationi adversatur, quae nos docet officium naturae esse tum sese uniformare veritati cognitae, sive cognita sit mediis intrinsecis, sive extrinsecis; tum adhibere in veritatis inquisitione media omnia idonea, tam intrinseca, quam extrinseca.

2.° Libertates *discussionis*, typicae *impressionis* et *associationis* illimitate sumptae, prout recentiores praescindentes, naturalistae et quamplurimi politici contendunt atque tuentur, plane absurdae et prorsus falsae habentur; quia non omnia sunt in se vera et honesta, et sicut cuique incumbit officium recte judicandi, ut veritatem ab errore et virtutem a vitio secernat, ita etiam omnes homines jure naturae tenentur officio non loquendi, docendi, defendendi aut propalandi ea quae veritati vel honestati morum officere possunt, neque praelo mandandi opiniones perversas et iniquas theorias, neque sese congregandi ad ordinem religiosum, moralem vel socialem subvertendum; ideoque praefatae libertates absolute usurpatae nunquam jus constituere valent, sed meram licentiam et abusum vere punibilem et damnandum.

3.° Libertas *cultuum* absolute sumpta, hoc est, pro paritate aut aequalitate juridica omnium cultuum, ita ut Status aeque agnoscat quoscumque cultus, et quidem publicos, omnino rejicienda utpote falsa, absurda et contradictoria; enimvero, [a]) veritatem errori aequiparat, quod vere absurdum est et contradictionem implicat; [b]) eadem jura impertitur communionibus vel sectis falsae religioni addictis ac Ecclesiae Catholicae veram religionem profitenti, quod iniquum, systematicum et rationi contrarium certo apparet; [c]) supponit plures esse cultus seu modos Deum publice colendi, quod divinae revelationi et expressae Supremi Creatoris voluntati directe contradicit, qui in veteri Synagoga per Patriarchas et Prophetas et in Lege Evangelica per Jesum Christum unum tantum cultum instituit, sancivit ac promulgavit; [d]) legi quoque naturali adversatur, quia etiam jus naturae cultus superstitiosos aut quocumque modo falsos prohibet, ideoque libertatem cunctos ritus religiosos indiscriminatim et absolute adhibendi plene reprobat.

Quoad autem *tolerantiam* vel cultus familiaris seu privati, vel cultus publici, et intra majores aut minores limites pro gravitate causarum, haec generatim, juxta juristas catholicos, tenenda videntur: [a]) tolerantia, seposita lege positiva, duplici ex causa illicita est; tum quia nefas est superstitioni heterodoxorum cooperari; tum quia nullo pacto licet periculo seductionis catholicos exponere; [b]) idcirco ad eam honestandam illae conditiones necessariae sunt, quae communiter a Theologis traduntur sive ad cohonestandam cooperationem alterius peccato, sive ad licite sese exponendum occasioni aut periculo peccandi; [c]) nihil in hac re decerni debet, quin prius consulatur Romanus Pontifex; tum quia agitur de casu gravissimo circa statum Ecclesiae, de quo nonnisi Summus Pontifex judicare potest; tum quia ipsi Ecclesiae magisterium auctoritativum compe-

tit, ut leges in difficilioribus adjunctis interpretetur, et ad peculiares societatis civilis necessitates vel circumstantias applicet; tum quia hujusmodi tolerantia legibus ecclesiasticis per se prohibita est, uti liquet ex propositionibus a Pío IX in Syllabo damnatis (1).

184. *Juridice.* Adhuc superest Indifferentismum et Naturalismum *juridice* perpendere; videndum itaque modo est utrum Summi Imperantes in ordine sociali ac foro externo suam legislationem catholicae religioni accommodare possint et debeant, vel, positis tamquam fundamentis regiminis publici principiis Indifferentismi et Naturalismi, potius intersit libertatem conscientiae plene sumptam civibus concedere, cuique permittendo ut cogitet, loquatur, scribat et adoret, prout melius placuerit.

Qui principia eversiva horum systematum gubernationi Statuum aptare conantur, triplicem rationem, vel proprius rationis speciem, pro suo errore vindicando promunt: 1.° defectum judicis competentis facultate praediti judicium suum caeteris imponendi; licèt enim veritas in se una sit et error qua talis nullum jus habeat, cum tamen nullus existat judex competens ad ejusmodi quaestionem dirimendam, practice expedit cuique relinquere libertatem judicandi, docendi et pro suo lubitu cultum exercendi: 2.° officium Status erga ejus subditos;

---

(1) En textus harum propositionum:

LXXVII: «Aetate hac nostra non amplius expedit, Religionem catholicam haberi tamquam unicam Status religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis.»

LXXVIII: «Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.»

LXXIX: «Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Status enim, ajunt, est aeque debitor protectionis omnibus suis membris catholicis et incredulis, cum omnes sint pariter cives: 3.° carentiam auctoritatis in Statu ad coarctandam civium libertatem quoad judicia, discussiones, doctrinarum propagationem et religionis professionem; quippe Status, inquiunt, dumtaxat impedire debet facta externa, quae ordinem socialem perturbant, et tunc, propter evidentiam rei et necessitatem tranquillitatis publicae tuendae, aliorum libertatem limitare potest; sed nullo modo libertatem laedere valet pro impediendis judiciis eorumque manifestatione, quae utpote intra sphaeram idearum contenta, ordinem socialem subvertere nequeunt.

Sed primo aspectu futilitatem hujusce ratiocinationis quisque cernit; in primis enim, falsum est neminem in societate adesse, neque etiam publicam auctoritatem, qui de veritate et errore judicare queat, illamque defendere et hunc praepedire cogatur. Et revera, sicut sunt quaedam *naturaliter* certa et sensu communi omnibus evidentia, in quibus neque cives privati neque publici magistratus errorem bona fide admittere possunt, ideoque super haec cunctis nota auctoritas socialis, quin legitimae libertati conscientiae contradicat, postulat ac praecipit externam reverentiam in loquendo et agendo; ita etiam reperiuntur complurima *socialiter* certa, et quibusdam suppositis factis tali evidentia donata et sociali recognitione sancita, cujusmodi sunt existentia divinae revelationis et divinitas Ecclesiae, ut publica potestas jure praesumere valeat eadem explorata compertaque haberi a membris societatis sic constitutae, id est, a catholicis catholice educatis, ac proinde sibi legitime competat christianis prohibere quae paganam superstitionem redolerent, et catholicis vetare quae errorem acatholicum saperent.

Praeterea veritati pugnat asserere omnimodam conscientiae libertatem civibus esse impertiendam, eo quòd

Status aequalem protectionem praestare teneatur subditis omnibus, sive catholici, sive increduli aut indifferentes sint; etenim, [a]) non datur nec agnosci potest jus ad errorem; unde Status socialiter seu vi legis fundamentalis sectatoribus atque incredulis favere nequit, multoque minus ei fas est professioni vel diffusioni falsae doctrinae positive cooperari; [b]) de caetero, cum religio, uti alias demonstravimus, fundamentum exstet *directe* moralitatis pro mutuis officiis implendis, *indirecte* vero tranquillitatis publicae et ordinis socialis pro servanda pace et temporali felicitate obtinenda, facile est conjicere non eamdem considerationem mereri, neque aequali praesidio esse dignos subditos catholicos, qui veram religionem profitentes fundamentalia societatis humanae principia propugnant, bonumque publicum promovent, ac cives incredulos, qui quamcumque religionem revelatam, imo positivam inficiantes vel impugnantes, ipso facto fundamenta societatis impetunt et ordinem socialem subvertunt.

Denique a veritate prorsus abhorret postremum commentum a fautoribus Indifferentismi excogitatum, nempe, facta externa et publica repressioni tantum subjicienda sunt, quippe quae ordinem socialem subruunt, minime autem judicia, doctrinae et opiniones, quae, salva publica pace et ordine sociali servato, libere sustineri vel divulgari queunt. Hoc singulare effugium et erronea praescindentium assertio confutatione proprie dicta non indiget; nam quotidie, teste luctuosa experientia, cernimus *theorias* plane absurdas et *ideas* maxime perniciosas in praxim frequentissime reductas exitum atque acceptationem apud populos obtinere magno integritatis fidei ac morum detrimento, ingenti ordinis socialis et publicae pacis jactura, et haud raro totali gentium regnorumque eversione.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

185. Errores *per excessum* circa Status independentiam.—186. Finis Regalistarum cum de Ecclesiae defensione loquuntur.—187. Vera notio *protectionis*.—188. Quid in sensu *negativo* importet.—189. Vana Regalistarum effugia.—190. Quid in sensu *positivo* complectatur protectio.—191. Corollaria ex conceptu positivo protectionis deducta.—192. Doctrina catholica hac super re.

185. Ex praepostero conceptu independentiae in sensu *superioritatis* usurpatae pariter profluunt tres alii potissimi errores *per excessum* qui totidem systematibus originem ac nomen dederunt, scilicet: Protestantismo, Caesarismo et Regalismo. Protestantismus atque Caesarismus, quem nonnuli Ultra-Regalismum vocare malunt, jus *suprematiae* saeculari potestati tribuentes, ut supra diximus, *subalternationem* Ecclesiae Statui, tamquam si quodlibet collegium aut imperfecta societas esset, tuentur: Regalismus *purus* seu exaltatus jura Principum *majestatica* exaggerans et indebite amplificans *subordinationem* Ecclesiae Statui velut normam juridicam et politicum principium proclamat: Regalismus demum *mitigatus* praetextu ementitae *protectionis subjectionem* Ecclesiae Statui practice propugnat, saepius etiam vexationem, oppressionem, insectationemve ex interventu atque participatione exortas, quam Principes saeculares, jure tuitivo abutentes, passim sibi vindicant.

Cum Protestantibus et Caesaristis dimicare denuo supervacaneum nobis videtur, quoniam satis debellati fuere in capite I, ubi ostendendae Ecclesiae *perfectioni* curam strenuam impendimus. Regalistas, qui *rigidiores* audiunt, impugnare vacat, nam prorsus protriti manent, ex quo omni argumentorum genere probata fuit laudato capite superioritas vel primatus Ecclesiae in civilem societatem; sed errorem Regalistarum, qui *mi-*

tiores nominantur, ex protectione deductum vel cum protectione conjunctum, convellere cogimur, veram naturam rectosque limites juris defensionis praefinientes.

186. Animadvertendum ducimus scopum quem saepissime sibi proponunt et persequuntur Regalistae, cum tuitionem vociferantes adeo extollunt, alium non esse nisi ominosam Ecclesiae servitutem, prout ineluctabiliter evincunt duo facta luculentissima: 1.° declinatio vel potius depravatio hujusce praetensae protectionis in *protectoratum* vere invisum, coacte et arbitrarie exercitum; 2.° frequens ac violenta *intrusio* potestatis saecularis in res religiosas atque in Ecclesiae regimen et disciplinam.

187. His praehabitis, ad tradendam genuinam protectionis notionem deveniamus.

Protectio, quae etiam tuitio, custodia, vel defensio appelari solet, duplicis generis est, *auctoritativa* et *ministerialis*: prima dicitur ea quam superior praestat inferiori sibi subdito; altera illa quam inferior, sive ratione materiae sive saltem finis ultimi, praestat sibi superiori; hinc eruitur protectionem a Statu Ecclesiae debitam nullo pacto esse auctoritativam, sed tantum ministerialem, quippe Ecclesia, juxta demonstrata, superioritate juridica et vera majoritate pollet prae societate civili.

Potest etiam distingui protectio, non spectata persona a qua praestanda est, sed attentis sensu atque extensione auxilii praestandi, in *negativam* et *positivam*: illa sita est in exclusione seu negatione cujusque intrusionis vel extraneae interventionis; haec vero consistit in inclusione vel admissione legitimi concursus vel mandati praesumpti.

188. Protectio Status erga Ecclesiam in sensu *negativo* sumpta, utpote mere ministerialis, duo *excludit* et rejicit, quae duplici regula formulari possunt:

1.ª *Protectio societatis protegentis* (Status) *quam-*

cumque JURISDICTIONEM *excludit circa materiam seu objectum societatis protectae* (Ecclesiae): unde colligitur auctoritati protegenti minime competere potestatem leges in societatem protectam ferendi, abrogandi, interpretandi, applicandi, aut ipsarum applicationem impediendi, sed tantum inesse jus tuendi libertatem societatis protectae ad condendas, interpretandas, applicandasque suas leges; etenim protectio ministerialis rem protectam supponit jam existentem, perfecte constitutam et libere operantem, et solum intendere debet ejus conservationi contra eos, qui legitimam existentiam impetere vel propriam libertatem laedere audent.

2.ª *Protectio societatis protegentis omne* JUDICIUM *excludit de causis vel negotiis societatis protectae, ad quae exsequenda imploratur auxilium:* ratio hujus regulae obvia est; sicut enim societas protecta, quoties agitur de protectione ministeriali, jure proprio et exclusivo potitur leges ferendi, interpretandi et applicandi, ita etiam ipsi integrum est leges a se conditas exsecutioni mandare, quin societas protegens, utpote inferior, facultate gaudeat inquirendi et judicandi utrum justae et verae sint necne causae vel leges ad quarum exsecutionem seu observantiam societas superior ejus concursum et praesidium invocat.

189. Sed Regalistae ea mente ducti, ut Principibus titulo protectionis potestatem de rebus ecclesiasticis judicandi tribuant, futiles argutias et vana subterfugia invehere veriti non sunt; ajunt enim:

1.° Supremus societatis civilis Moderator jus habet, sicut quilibet Princeps foederatus, si ab altero requiratur, certo cognoscendi negotium vel causam, ob quam auxilium brachii saecularis petitur, esse vere justam; secus Summi Imperantes in caecum judicis ecclesiastici instrumentum converterentur. Jam vero plurimae rationes nobis suppetunt pro ejusmodi sophismate confutando: [a]) quemadmodum inferior jure caret prae-

cepta superioris examinandi antequam exsequatur, et tantum per exceptionem denegare potest obedientiam ex manifesta injustitia, ratione peccati vel incompetentiae, sic etiam Princeps, qui inferior est respectu Ecclesiae, tenetur non examinare, sed exsequi ejus leges, nisi in casu particulari auctoritas secundaria jure suo evidenter abuteretur; tunc enim datur appellatio ad superiorem; b) res explorata est omnibusque tenenda leges generales Ecclesiae justas esse, et auctoritative applicari antecedenter Principum judicio, ideoque hic censeri aut vocari nequit caecum instrumentum, quia, cum ab Ecclesia advocatur, cognitionem certam et genericam de justitia causae jam obtinet, quin eam suo examini subjiciat; c) non adest paritas cum Principe foederato, siquidem foederatio habetur inter aequales; sed aequalitas esse nequit inter Ecclesiam et Statum; hinc protectio hujus semper ministerialis erit, nunquam vero *auctoritativa*, atque idcirco Reges et Summi Magistratus nullo pacto perpendere possunt justitiam causae ob quam eorum imploratur interventus, quia hoc tantum protectori auctoritativo competit, uti Principi erga subditos suos et Ecclesiae erga Principes sibi quoque subjectos.

2.° Leges disciplinares Ecclesiae, licet in se justae sint, grave nocumentum alicui statui vel peculiari nationi per accidens inferre queunt; hinc Principes, causa Rempublicam tuendi, cavendique ne perturbationes et mala gravissima sequantur, ecclesiasticas constitutiones perscrutari, suoque judicio subdere valent, antequam ipsarum acceptationem et exsecutionem in suis ditionibus permittant. Age jam, ad removendum hoc periculum et possibile damnum a Regalistis adeo ingravatum, minime necesse est Principibus deferre potestatem interne inspiciendi leges Ecclesiae, et de earumdem justitia, necessitate vel utilitate judicandi, cum alia media adaequata et efficaciora supersint pro quocumque

incommodo vitando: [a]) Principes vel Rectores societatis civilis jus *reclamandi* habent, rem totam reverenter ac suppliciter apud Romanum Pontificem exponendo; [b]) si vero accessus ad Sedem Apostolicam non facile pateret, poterunt etiam exsecutionem legis suspendere, dummodo judicio prudentum, maxime Episcoporum, agatur de lege aut dispositione evidenter et graviter noxia; [c]) haec agendi ratio jure canonico innititur, nam paritate rationis Principes uti possunt regula seu doctrina ab Alexandro III·Archiepiscopo Ravennati tradita et in Codicem Decretalium inserta: "Si quando aliqua tuae fraternitati dirigimus quae animum tuum exasperare videntur, turbari non debes... qualitatem negotii pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam praetendas; quia patienter sustinebimus si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum„ (1).

3.° Postremo, asseclae regalismi et gallicanismi ex eo quod Principibus competat custodia sacrorum canonum, falso et illegitime inferunt Regibus adscribendum jus invigilandi rectae interpretationi, observantiae et applicationi legum ecclesiasticarum; sed hoc commentum inter doctrinas toties damnatas amandandum est; si enim per custodiam canonum significatur jus Principum brachium saeculare adhibendi in Ecclesiae utilitatem et judicio ipsius Ecclesiae, hoc sensu non renuimus Principes nuncupare custodes canonum; sin vero hoc nomine denotatur potestas Regibus attributa ad canones pro suo libitu interpretandos, eorum observantiam finiendam, necnon rejiciendas novas leges Ecclesiae, si Principi viderentur contrariae antiquis canonibus, tunc prorsus inficiamur Reges glorioso titulo

---

(1) Cap. V *de Rescriptis.*

Defensorum Canonum esse dignos, quia hoc omnino adversatur Ecclesiae naturae, praxi Imperatorum Christianorum, ecclesiasticae antiquitati et ipsi protectionis notioni, quae nullam decisionem, judicium vel auctoritatem supra Ecclesiam importat, sed tantum postulat et exprimit praesidium ipsi contra apertos hostes vel filios rebelles praestitum, et publicam externamque sanctionem pro ejus legum observantia urgenda.

190. Protectio in aceptione *positiva* usurpata duo etiam importat sequentibus regulis enunciata:

1.ª *Protectio auctoritati protegenti* FACULTATEM *confert adhibendi atque suppeditandi omnia media legalia sui ordinis ad defensionem et evolutionem jurium societatis protectae*: hoc principium ex ipsa natura utriusque societatis exsurgit; etenim, cum Ecclesia sit societas jure superior et Status civilis inferior, ut patet ex fine unicuique praestituto, Status tenetur Ecclesiae deservire, ei subministrando media sui ordinis, nempe, temporalia immediate vel mediate necessaria ad finem nobiliorem et altissimum assequendum.

2.ª *Protectio insuper importat favorabilem* PRAESUMPTIONEM MANDATI, *auctoritati protegenti a societate protecta dati ad nonnulla peragenda, quae illi proprie non competerent*: quia recte praesumitur quemlibet rata habere et libenter approbare ea quae caeteri in sui utilitatem agunt; sed, cum vis hujusce regulae ex mera praesumptione desumatur, cessat quaecumque praesumptio, statim ac societas protecta expresse vel implicite suam voluntatem et mentem aliter declaraverit.

191. Ex conceptu positivo protectionis nonnulla derivantur consectaria relate ad *jus* Status atque *naturam* defensionis.

Quoad *jus* Status: 1.° tuitio Ecclesiae non modo est officium et munus praestantissimum, verum etiam jus proprium Status, quatenus hic, utpote auctoritas prote-

gens, media suae competentiae adhibet ex natura sua, non vero ex delegatione alterius: 2.° judicium circa possibilitatem vel opportunitatem mediorum quae in ordine externo civili applicanda sunt, quando dubitatio aliqua exorta fuerit ob timorem perturbationis, rebellionis vel apertae contradictionis, ad Statum quoque pertinet, eo quod ipse jure proprio et mediis sui ordinis utitur pro Ecclesia tuenda.

Quoad *naturam* defensionis, cum agatur de protectione tantum ministeriali, Status tenetur: 1.° sequi, minime autem judicium Ecclesiae praevenire, neque *juridice* doctrinas et opiniones censendo ante Ecclesiae definitionem, neque *practice* haereticos puniendo, antequam Ecclesia de crimine haeresis suam sententiam tulerit: 2.° servare justos limites in defensione, ne impediatur finis Ecclesiae, quae praecipue et maxime omnium salutem animarum intendit, ac proinde irritare, reprobare, vel excessivam aut inconvenientem declarare potest protectionem ipsi a Principibus praestitam, uti ex. gr. fecit saeculo XVII occasione celeberrimae causae Judaeorum Hispaniae.

Protectio igitur Status tria potissima capita complectitur: 1.° tueri libertatem potestatis legislativae, judiciariae et coactivae Ecclesiae; 2.° impedire tumultus ac seditiones contra ejus auctoritatem, necnon rebelles contumacesque coercere; 3.° sancire et obsecundare Ecclesiae deliberationes, unaque suarum legum exsecutionem urgere.

192. Doctrina vero catholica hac super re asseveranter tradit: Principes Religionem ita tueri debere, ut Ecclesiae judicia non antevertant, sed sequantur; simulque modum servent ab ipsa Ecclesia praescriptum pro animarum salute tutius assequenda. Ejusmodi catholica assertio plane evincitur ineluctabili *rationis* testimonio, perpetuo *traditionis* sensu et luculenta *conciliorum* doctrina.

1.° Probatur *ratione*. Tres praecipuae rationes adduci solent, quibus Reges et Summi Magistratus religionem tueri tenentur, nimirum: peculiaris eorum *conditio*, quatenus sunt *membra* Ecclesiae; *finis* proprius societatis civilis, qui in felicitate temporali sita est, cum morum probitate et religionis praxi arctissimo vinculo copulata; ipsaque felicitatis temporalis *natura*, quae hominis propria esse debet, ideoque ad vitam aeternam ordinata.

Nunc vero, quaelibet ex recensitis rationibus postulat, ut Principes et nationum Moderatores in religione defendenda Ecclesiae judicium non praevertant, sed subsequantur. Quod enim attinet ad primam, palam est *membra* cujuslibet societatis, adeoque et Ecclesiae conferre debere, quae eidem necessaria sunt, non arbitrio proprio, sed ejus, qui Societati praeest. Quod autem ad alteram pertinet, ex eo ipso quòd religio fundamentum sit temporalis felicitatis, manifeste consequitur cavendum esse ne ejus ordo violetur ac turbetur; sed hoc facile fieret, si in defensione religionis Principes saeculares judicia Ecclesiae praevenirent, quae quidem ex Dei dispositione unice nosse potest, quid vere ad religionem spectet, vel non, quidque ad ejus bonum conferat, sive noceat. Ad tertiam denique quod respicit, natura propria felicitatis temporalis maxime exigit, ut in rebus religionis Principes Ecclesiae sententiam ejusque decisiones consequantur, quin rectum ordinem transvertentes, societatis superioris judicium praeoccupare audeant; etenim cum finis societatis civilis, qui est felicitas temporalis, ordinetur ad finem Ecclesiae, qui est vita aeterna, merito colligitur Ecclesiam praeire et societatem civilem subsequi debere in iis quae ad vitam aeternam, adeoque ad religionem referuntur; ut enim scite argumentatur Angelicus Doctor: *Semper invenitur ille, ad quem pertinet ultimus finis, imperare operantibus ea, quae ad finem ultimum ordinantur: sicut gubernator, ad quem pertinet gubernationem disponere, imperat ei, qui*

navem constituit, qualem navem navigationi aptam facere debeat: civis autem, qui utitur armis, imperat fabro, qualia arma fabricet (1).

2.° Probatur *traditione*. Veritas thesis catholicae, quam defendimus, roboratur insuper unanimi sacrae antiquitatis sensu; speciminis gratia unum vel alterum testimonium promemus.

S. Facundus Herminianensis ita loquitur: *Principes non praevios, sed pedissequos sacerdotalium decretorum esse oportere* (2); Summus Pontifex Felix III ad Imperatorem Zenonem sic alloquebatur: *Certum est enim hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, juxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non praeferre* (3); Joannes VIII idem docebat: *Publicum* (societatis civilis) *auxilium ita in Ecclesiae bonum conferendum esse, ut non praejudicare praesumat, sed potius, quae Deo sunt placita, exsequatur* (4.)

3.° Probatur *conciliis*. Concilium Constantinopolitanum I apposite ad rem, de qua agimus, ait: *Rex regum idemqae Sacerdos sacerdotum, qui solus Ecclesiam regere potuit quam redemit, postquam humanitatem suam in coelum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eamdem gubernandam Ecclesiam in sacerdotes divisit et reges, ut quod sancti doceant Pontifices, et ipsi* IMPLEANT *et* IMPLERI FACIANT *devotissimi reges* (5); Concilium Ephesinum luculenter affirmat: *Ut quemadmodum singuli eorum* (Imperatorum) *Sanctorum Patrum synodis imperii sui tempore celebratis paruerunt, Patrumque sanctiones legibus suis* MUNIERUNT, *et quam illis* DEFERRENT OBSERVANTIAM *decretis suis ostenderunt, ita et*

(1) *De Regim Princ.* Lib. I, cap. 14.
(2) *Pro defens. trium capit.* Lib. XII, cap. 2.
(3) Citatus a Roskovany—*Monumenta Catholica*, num. 21 an 492.
(4) Cap. I *de Offic. Jud. ord.*
(5) Act. II. *apud Labbaeum*, tom. VI, col. 1048.

vos (1); et ad Imperatores Theodosium et Valentinianum scribens eamdem veritatem tradit: *Quod si quis vestras sanctiones spreverit, ille vestrae dominationis indignationem formidet. Sic enim* APOSTOLICA FIDES *per vestram pietatem* MUNITA *persistet illaesa* (2).

Demum disquisitionem hanc absolvimus auctoritate Tridentinae Synodi explicite declarantis: *saeculares quoque Principes oficii sui admonendos esse censuit; confidens eos, ut Catholicos, quos Deus sanctae Fidei, Ecclesiaeque* PROTECTORES *esse voluit, jus suum Ecclesiae restitui, non tantum esse concessuros; sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, et superiores Ordines reverentiam revocaturos... Propterea que admonet Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, et omnes, et singulos, cujuscumque status, et dignitatis exstiterint; ut, quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quae* ECCLESIASTICI JURIS *sunt, tamquam Dei praecipua, ejusque patrocinio tecta* VENERENTUR (3).

ARTICULUS III.

SUMMARIUM.

193. Ecclesia est *absolute* independens in rebus suae exclusivae competentiae.—194. Vindicetur Ecclesiae independentia in ordine spirituali argumentis tam ex sacris eloquiis et catholica traditione, quam ex ipsa ratione desumptis.—195. Verus atque genuinus conceptus ejusmodi independentiae.—196. Obligationes Ecclesiae erga Statum civilem.—197. Officium *negativum* Ecclesiae quoad Statum.—198. Officia *positiva* ex sui natura.—199. Officia *positiva* ex mera charitate.

193. Conceptu independentiae Status sat enucleato, erroribusque qui ex praepostera et systematica inter-

(1) Act. III. *Epist. ad Augustos*, cap. 8.
(2) *Epist. ad augustos Theodosium et Valentinianum.*
(3) Sess. XXV, cap. XX *de Reform.*

pretatione deducti hodiedum huc et illuc grassantur, confutatis, inquirendum modo venit quonam sensu et qua extensione absoluta independentia Ecclesia fruatur in rebus suae exclusivae competentiae.

Dicuntur autem res exclusivae competentiae Ecclesiae ea omnia quae communi denominatione *spiritualia* vocantur, sive ejusmodi characterem induant *proprie* aut suapte *natura* vel *improprie* seu ratione *supernaturalizationis*; sive hanc dignitatem obtineant *directe* propter immediatam *sanctificationem* vel *indirecte* ob primariam atque praecipuam *relationem* ad externum Ecclesiae regimen et politiam; sive demum talem excellentiam sublimemque conditionem tantum attingant virtute *spiritualizationis*, quae res temporales spiritualibus adnexas, vi ipsius conjunctionis vel connexionis, ad ordinem spiritualem evehit atque in gradu nobilissimo et longe excellentiori constituit (1).

194. Jam vero, ad vindicandam Ecclesiae plenam et absolutam a Statu independentiam in ordine spirituali, id est, in omnibus quae ad ejus finem et media spectant, cum hac de re perabunde pertractavimus, heic suppetunt levissimae insinuationes ex sacris eloquiis, catholica traditione et ipsa ratione sumptae.

Sacra Scriptura. Ex Divinis Litteris triplicem probationem pro nostra thesi innuere jubat: 1.° *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo* (2); quibus verbis Christus Dominus distinctionem potestatis civilis et religiosae expresse statuit, simulque docet, declarat ac praecipit, ut res politicae mereque temporales Principibus vel Summis Imperantibus adjudicentur, utpote suae jurisdictioni competentes *(quae sunt Caesaris Caesari)*, illa vero quae religiosa et vere spiritualia audiunt,

(1) De definitione et divisione rerum spiritualium cons. cap. II art. VI.

(2) Matth. cap. XX, v. 21.

quatenus potestati altioris et diversi ordinis subjacent, ad Ecclesiam, ejusque Visibile Caput Romanum Pontificem, personam Dei in terris agentes, omnino esse deferenda *(quae sunt Dei Deo):* 2.° *Docete omnes gentes;—Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis;—Pasce oves meas;* ejusmodi evangelici textus aperte tradunt institutionem potestatis supremae, pleneque independentis a quacumque politica auctoritate vel civili principatu, Petro et Apostolis eorumque Succesoribus divinitus et immediate collatae: 3.° *Elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominavit)* (1); quo significatur fundatio Ecclesiae a Christo constitutae et per Apostolos propagatae, invita quidem et contradicente potestate saeculari.

Traditio catholica. Sensus universae antiquitatis christianae et Ecclesiae doctrina ab ipsius incunabilis ad recentissimam usque aetatem nobis liquet: 1.° ex *praxi Apostolorum*; etenim hi praeclari atque sanctissimi viri divinitus edocti non modo Ecclesiae libertatem, ejusque nativam et insitam competentiam pro rebus religiosis praecipiendis, moderandis ac constituendis constanter propugnarunt, verum etiam potestate spirituali usi sunt plena independentia et invicta fortitudine, quin in exercitio auctoritatis sacrae, quam Christus Dominus illis contulerat, ordinationi principum vel magistratuum placito sese submitterent, uti magnanimiter edixerunt in Synedrio Judaeorum: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (2): 2.° ex *Pontificiis Documentis,* in quibus absoluta Ecclesiae independentia in ordine spirituali plane affirmatur velut doctrina catholica omnino tenenda, praesertim vero, Constitutione Joannis XXII *Licet* adversus Marsilium Patavinum multoties citata; Bulla *Coenae* valore dogmatico semper gaudente, quamvis

(1) Luc. cap. VI, v. 13.
(2) Act. cap. V, v. 29.

hodiedum Feria V Majoris Hebdomadae haud promulgetur; plurimis Romanorum Pontificum Constitutionibus (saltem XXII) contra *Placitum Regium* editis; Leonis XIII Encyclica *Immortale Dei*, in qua legitur: *Sicut finis quo tendit Ecclesia longe nobilissimus est, ita ejus potestas est omnium praestantissima neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo* OBNOXIA: 3.° ex *Decretis Conciliorum;* unum prae omnibus memorare sufficiat, novissimum nempe Concilium Vaticanum cunctos errores circa sacram Ecclesiae independentiam generali condemnatione ita proscribens: *Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam* (1).

Ratio naturalis. Eadem veritas dogmatica firmissime roboratur principiis apud omnes juristas receptis, cum de natura specifica et diverso societatum ordine disseritur; et quidem, 1.° societas quae habet finem proprium, media propria ad hunc consequendum, et imperium proprium in subditos, juxta unanimem jurisprudentum consensum, distincta atque independens est a qualibet alia societate; atqui Ecclesia finem, media et imperium propria habet; ergo distincta et independens a societate civili est: 2.° societas quae habet finem ad aliam societatem non ordinatum, suprema ac independens est in suo regimine, cum independentia nihil aliud sit quam exemptio a superiori potestate ejusdem generis et ordinis; sed Ecclesia finem habet nullo pacto ad aliam societatem ordinatum, quia supremus et ultimus est, videlicet, assequutio vitae aeternae; igitur suprema atque independens est in suo regimine; ideoque independentia absoluta fruitur in rebus suae exclusivae

(1) Const. *de Ecclesia Christi*, cap. III.

competentiae, cujusmodi sunt omnia quomodolibet et aliquo sensu *spiritualia*, vel quia ad finem spiritualem respiciunt, vel quia ad media fini assequendo necessaria spectant.

195. Absoluta Ecclesiae independentia a Statu, juxta genuinam notionem et propriam hujus vocis significationem, tantum excludit ideam subjectionis, dependentiae, vel subordinationis potestati civili in iis quae ad finem spiritualem atque ordinem supernaturalem attinent, velut absoluta Status ab Ecclesia independentia supra exposita dumtaxat in suo conceptu secludit quamlibet subalternationem vel directam subordinationem societatis civilis ecclesiasticae auctoritati; hinc quemadmodum independentia Status pro emancipatione ab Ecclesia vel in eam suprematia usurpari aut intelligi nequit; ita etiam independentia Ecclesiae neutiquam interpretari aut sumi potest in sensu sejunctionis divortiique ab Statu, vel cujusdam odiosae majoritatis cum indifferentia aut contemptu adsociatae, perinde ac si societas religiosa erga civilem nullis officiis obstringeretur.

196. Pro obligationibus Ecclesiae erga Statum recte definiendis abs re non erit principia generalia juris naturalis circa relationes juridicas societatum perfectarum, prout eisdem membris coalescant, alia superior, alia vero inferior sit, et in statu concordiae vel conflictus versentur.

Primum itaque, societates perfectae et inaequales distingui possunt materialiter, vel tantum formaliter: *materialiter* distinguuntur ratione *membrorum*, cum socii unius nullo modo sunt alteri adscripti; *formaliter* autem discriminantur ratione *finis*, cum duae societates scopum specifice diversum habent, et tunc iidem homines utrique societati adscribi possunt.

Deinde in societatibus perfectis secerni debet duplex status, *concordiae* vel *conflictus:* status *concordiae*

appellatur conditio juridica in qua utraque societas simul esse et vigere potest ex rerum natura, quin impediatur aut imminuatur consecutio finis utriusque adsociationis; status *conflicti* dicitur illa conditio juridica in qua altera societas alteri ita adversatur, ut esse simul nequeant, ideoque finis unius obtineri non potest absque detrimento finis alterius: agitur proinde de conflicto objectivo ex ipsa rerum natura profluente, non autem de conflictu subjectivo, qui aliquando oriri valet ex malitia aut errore alterutrius partis.

His praenotatis, sequentia statuimus principia, quibus, juxta communem juristarum sententiam, regulantur relationes juridicae societatum perfectarum, pro adimplendis oficiis, tum *negativis*, tum *positivis*, ipsas invicem cogentibus.

1.[m] *Ex duabus vel pluribus societatibus formaliter tantum distinctis, quae in statu concordiae sunt, neutra debet aliam impedire:* etenim, supposito statu concordiae, et finis utriusque societatis obtineri potest, et plures obligationes eidem subjecto inhaerentes conciliabiles sunt, ideoque servandae erunt; unde neutrae societati licet aliam impedire.

2.[m] *Ex duabus societatibus perfectis iisdem membris coalescentibus, quae in conflictum devenerint, ea praevalere debet quae altioris ordinis finem habet* quia utraque societas oportet curam habeat non solum sui subjecti atque plurium obligationum eidem subjecto inhaerentium, verum etiam naturae et praestantiae ipsarum, observantiam illarum obligationum praeponendo et urgendo, quae potiores et excellentiores sunt; sed obligatio quae altioris ordinis finem habet, certe nobilior et potior censetur, eo quod majus bonum tuetur; igitur praeferenda est obligationi quae finem inferioris ordinis persequitur, et societas, cui ejus exsecutio demandata est, praevalere debet.

Haec duo principia nobis exhibent officia *nega-*

tiva societatibus ex reciproca *justitia* incumbentia.

3.^{m} *Societas ordine inferior tenetur positive deservire superiori tam ratione sui, quam ratione membrorum:* et quidem societas ordine inferior, quatenus *talis* est, prosequitur ac tuetur bonum suapte natura et conditione inferius, ideoque sub hoc respectu inservire debet societati ordine superiori, quae promovendo bono praestantiori et magis sublimi intendit; quatenus vero est collectio personarum, quae simul societatis superioris *membra* sunt, debet eidem etiam *positive* servire in iis, quae illa exigit tamquam necessaria fini suo.

Hujusmodi principio enunciatur officium *positivum* et commune *justitiae,* quo societates mutuo devinciuntur.

4.^{m} *Societas ordine superior tenetur inferiori auxilium ferre in iis quae proprio fini necessaria sunt:* nam societas inferior, utpote subordinata societati principi, habet rationem *medii,* quippe ejus finis ordinatur tamquam medium ad finem societatis superioris; age jam, quoties et quatenus id exigat ratio proprii finis, societas princeps societati subordinatae auxilium praestare poterit et debebit in iis omnibus, quae plus vel minus proxime connectuntur cum tutiori et efficaciori sui finis assecutione.

Ejusmodi principium officium *positivum* ex *sui natura* societatibus obligans continet.

5.^{m} *Utraque societas tenetur alteri opem ferre ex charitate, et juxta leges hujusce virtutis:* quamvis enim societates perfectae et inaequales nihil sibi positive debeant ex justitia et officio absoluto seu ex mera rerum natura, sed tantum officio hypothetico seu posito titulo aliquo contingente, tamen societas dominans poterit aliquando praeter necessitatem finis sui obstringi ex motivo charitatis ad praebendum societati servienti subsidium; quia charitas omnes obligat tum aequales, tum inaequales, prout uni fuerit necessitas et alteri facul-

tas. Diximus autem *juxta leges hujusce virtutis*, quoniam charitas non constituit officium *juridicum*, sed mere *ethicum* aut morale, proindeque peti, minime vero exigi potest.

Postremum hoc principium complectitur officium *positivum* et commune ex *charitate* proveniens et nonnumquam societates in suis relationibus adigens.

197. Ex praefatis principiis consequitur doctrinam juridicam mutuas societatum inaequalium relationes definientem duplicem partem complecti, negativam et affirmativam; *negativa* asserit neutram societatem debere aliam impedire, seu quod idem est, utramque societatem legem suam ita accommodare teneri, ut locus sit alteri legislationi et utriusque finis consecutio habeatur; in conflictu autem societatem superiorem inferiori praevalere debere: *affimativa* tradit societatem principem ac proinde Ecclesiam ex sui natura suppetias ferre subordinatae, id est, civili, quatenus hoc exigit ratio proprii finis; in caeteris vero non teneri ex justitia, sed tantum aliquando ex charitate.

Sed pro recta officii negativi explanatione et legitima ejusdem ad Ecclesiam applicatione, cum tota quaestio circa obligationem utrique societati incumbentem haud impediendi assecutionem finis alterius versetur, tria magni momenti inquirenda modo veniunt: 1.° unde incipiat utrique societati potestas leges condendi, seu quod idem est, quisnam sit limes a quo originem ducat competentia legislativa societatis religiosae et civilis; 2.° quaenam societas prius leges ferre possit, hoc est, quaenam competentia sit praeferenda; 3.° utrum Ecclesia leges statuendo prae oculis habere teneatur leges a Statu jam latas.

Quoad primum, omnes consentiunt in eo quod utraque societas revereri et custodire debeat tum jus naturae, quia immutabile, universale atque perpetuum est, tum jus positivo-divinum, quia nemo, neque individuus,

neque societas divinae ordinationi et supremae Creatoris voluntati resistere aut contradicere potest.

Quoad alterum, juxta juristas catholicos, anteponenda est competentia illius societatis, quae ad finem superiorem et absolute necessarium tendit; sed cum Ecclesia hominem ad vitam aeternam ducat, ipsi competit prius disponere ac moderare omnia quae ad jus humanum spectant, eadem ad finem suum ordinando sive directe, si spiritualia sint, sive indirecte, si temporalia fuerint: et semel ordinatis rebus in finem aeternum, tunc incipiunt ordinari ad fines temporales, quos curat civilis auctoritas; hinc notissimum axioma juridico-catholicum: *incipit legislatio civilis, ubi desinit jus canonicum.* Juristae vero recentiores qui Statolatriam profitentur, et reapse sub diverso fuco verborum veram Ecclesiae suprematiam detrectantur vel contemnunt, asseverant ad Statum jure proprio et nativo pertinere immediatam rerum temporalium directionem atque praeviam juris humani ordinationem ac constitutionem; Ecclesiam autem, sicut reliquas societates, leges edere posse dependenter a Statu et intra limites juris civilis communis: hinc etiam illi qui liberalismo moderato adscripti Ecclesiam liberam in Statu libero proclamant, adstruunt atque tuentur erroneum et damnatum principium: *incipit legislatio Ecclesiae, ubi desinit legislatio civilis.*

Quoad tertium, licet Ecclesia, absolute loquendo et attento stricto jure, uti ex supra expositis elucet, jus habeat statuendi suas leges antequam status, quin pro eis condendis teneatur respicere ad leges praeexistentes societatis civilis, attamen ratione *prudentiae* aut *aequitatis*, eo ipso quod vi officii negativi neutra societas aliam impedire debeat, quotiescumque concordia possibilis sit, oportet leges Status ante oculos habeat.

198. Officia *positiva* ex sui natura denominantur illa quae Societas superior erga inferiorem praestare

tenetur ratione finis sui in iis omnibus, quae cum eodem immediatam connexionem aut directam relationem habent: hinc Ecclesia etiam pro assecutione finis spiritualis sibi praestituti tria officia implere tenetur, quibus et Statum adjuvat in ordine felicitatis temporalis, et proprium scopum in ordine spirituali attingit: eapropter societati civili opem ferre debet: 1.° absolute et per se, externam morum honestatem *promovendo*, quod equidem maxime juvat et plurimum confert ad sanctificationem in praesenti vita gignendam et coelestem beatitudinem in futura adipiscendam; 2.° per modum regulae, publicam tranquillitatem *tutando*, quia, juxta Apostoli testimonium, bonum est in genere nos tranquillam et quietam vitam agere, ut pace sociali habita, et felicitas temporalis obtineatur et ordo moralis servetur, ex quo religionis cultus et observantia summopere pendent; 3.° per exceptionem, positivum concursum propter specialia adjuncta *praebendo* in nonnullis temporalibus Ecclesiae et Statui aeque necessariis, uti in bello cum hostibus nominis christiani, qui Reipublicae et Ecclesiae simul imminerent; tunc enim utriusque societatis, tum religiosae, tum civilis, magni interest, mutuis viribus adhibitis, ordinem religiosum et socialem in gravissimo discrimine versantem tueri.

199. Officia *positiva* ex charitate nuncupantur illa quae societas dominans exsequi potest et aliquando debet erga societatem subordinatam, non ex justitia seu obligatione juridica, sed ex mera charitate aut morali obligatione; enimvero officium charitatis est subsidium ferre aliis, id est curare alienum bonum propter eorum necessitatem citra utilitatem ac necessitatem propriam.

Ecclesia igitur Statum juvare potest, et reipsa saepissime suum praesidium suasque opes eidem contulit pro aggrediendis et ad felicem exitum perducendis negotiis mere temporalibus, quae nullam vel remotissimam connexionem cum suo fine habebant, quamvis pro-

xime et directe cum temporali societatis civilis fine copularentur, veluti vias publicas erigere, portus construere, agriculturam fovere, artes vel industrias promovere, bella etiam cum regnis catholicis pro legitimis juribus et integritate territorii gerere, aliaque id genus. Diximus *contulit,* quia universa Historia Ecclesiastica luculentum ac ineluctabile testimonium nobis perhibet liberalitatis et munificentiae Ecclesiae, quae large et splendide cum Statu semper se gessit, copiosam opem eidem ferendo juxta suam facultatem et illius necessitatem, immo vero suam legislationem novis necessitatibus socialibus saepenumero accommodando; hodiedum autem bonis propriis, quae *juste* adquisivit, *legitime* possessit, et in bonum populi et pauperum levamen *aequissime* distribuit, omnino expoliata per iniquas leges, quas neoterici *amortizationis* prius *desamortizationis* dein appellarunt, a guberniis *liberalibus* toties latas et vi hujus nequissimae ac sacrilegae expoliationis in pauperrimam conditionem teterrimamque servitutem reducta, vix aut ne vix quidem praecipuis et urgentissimis cultus, ecclesiarum, ministrorum et fidelium necessitatibus subvenire potest.

Sed si denuo Ecclesia divitiis abundaret, quod nobis, spectatis temporum, rerum et gentium adjunctis, fere impossibile videtur, prae oculis habendum est officium, de quo loquimur, ex mera charitate esse injunctum, ideoque, juxta regulas in exercitio hujusmodi virtutis servandas, adimpletum iri, videlicet, ordinate, proportionaliter et voluntarie: *ordinate,* id est, Statum adjuvando ex relative superfluis vel saltem non necessariis; *proportionaliter,* hoc est, secundum necessitatem Status ex una parte, et facultatem propriam ex altera; *voluntarie,* quatenus Status ab Ecclesia auxilium efflagitare, ejusque positivam cooperationem petere poterit, sed nullo pacto valet bona Ecclesiae exigere, multoque minus eam per vim cogere ad concursum materialem praestandum.

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

200. Ecclesia et Status sunt *relative* independentes in rebus mutuae competentiae.—201. Ecclesia atque Status. gaudere possunt quadam independentia *mere accidentali* in rebus competentiae *conventionalis.*—202. Quotuplex sit mandatum alius potestatis ut alia potestas de re jure proprio non competenti cognoscat.—203. Natura atque extensio mandati in triplici casu *concordiae, conflictus* vel *hostilitatis* aut *indifferentiae.*—204. An ecclesiastica auctoritas possit fieri subjectum auctoritatis civilis.—205. Utrum e contra auctoritas civilis fieri queat subjectum auctoritatis ecclesiasticae.

200. Dicuntur mutuae competentiae res *mixtae*, quae aeque et directe ad finem spiritualem et temporalem referuntur, seu, prout alii ajunt, quae sub diverso respectu ad finem utriusque societatis ordinem habent; et mutuae competentiae nominantur, quia, cum res mixtae duplici elemento seu parte constent, spirituali scilicet et temporali, sub dominio utriusque potestatis cadunt, eo quod tum ecclesiasticae, tum civili auctoritati competit jus et officium curandi ea omnia, quae immediate et directe ducunt ad consecutionem sui finis proprii et adaequati.

Probatur *relativa* independentia Ecclesiae et Status in rebus *mixtis* ratione et auctoritate: 1.° *ratione*; siquidem eo ipso quod res mixtae habent aliquid spiritualis, quod suapte natura ad potestatem ecclesiasticam spectat, et aliquid temporalis, quod ad potestatem civilem pertinet, utraque potestas, regulariter loquendo, stricte tenetur stare intra limites nativae suae competentiae; diximus *regulariter loquendo*, quia aliquando *extraordinarie* seu *per exceptionem*, poterit altera potestas de rebus alterius cognoscere, nempe, cum, vi pacti initi, praxis probatae vel consuetudinis legalis aut juridicae, partes seu attributiones cujusque potestatis determinatae, dilatatae vel contractae sint: 2.° *auctoritate*; ete-

nim Sanctissimus noster Papa Leo XIII in laudatissima Encyclica *Immortale Dei* disserte tradit: *In negotiis mixti juris, maxime esse secundum naturam, itemque secundum Dei consilia, non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum causis proximis congruentem, quae causae utramque societatem genuerunt* (1).

201. Sed praeter relativam independentiam, Ecclesia et Status gaudere possunt quadam independentia *mere accidentali* in rebus competentiae *conventionalis*. Nuncupantur res competentiae conventionalis ea quae Ecclesiae vel Statui competunt non jure proprio et nativo, sed jurisdictione attributa *(atribuida)* et per factum peculiare collata. Hujusmodi collatio potestatis attributae fieri potest mediante triplici facto, nimirum, *delegatione* seu *concessione*, *renuntiatione* vel *mandato*.

Et sane, apud omnes receptum est Ecclesiam de rebus civilibus, Statum vero de rebus religiosis cognoscere et disponere posse triplici memoratu conceptu. Quoad *delegationem* seu *concessionem*, non modo Status delegare potest aliquam civilem auctoritatem Ecclesiae, uti passim factum est in regnis christianis concedendo parochos esse quoque officiales Status civilis pro natis, mortuis, matrimoniis, etc.; vel Episcopos videre exclusive de quibusdam criminibus, competentiae etiam laicae, ex. gr. contra bonos mores: verum etiam Ecclesia aliquid potestatis in rebus sacris delegare valet Statui, velut saepe accidit in Concordatis, itemque in judicio possessorio de jure patronatus, de decimis, vel aliis similibus casibus. Quoad *renuntiationem*, utraque societas dimittere queit exercitium alicujus juris proprii in favorem alterius, ut fieri solet in Concordatis, decimas, ex. gr. vel alios quoscumque ecclesiasticos redditus in ma-

(1) Parag. *Itaque inter.*

jori aut minori quantitate Statui impertiendo; sed animadvertere oportet ejusmodi renuntiationem, cum de Ecclesia agitur, nisi evidenter ostendatur illam pro bono ipso spirituali fuisse factam, non praesumi, et aliunde restrictivae interpretationi subjici, quia habet odium juris, siquidem minuit saltem quoad exercitium jus societatis ecclesiasticae. Demum ad *mandatum* quod spectat, compertum etiam est per reciprocum mandatum, sive explicitum, sive tacitum, sive praesumptum, de quo postea loquemur, tum potestatem civilem, tum potestatem ecclesiasticam jurisdictionem exercuisse circa res et negotia, quae vere et proprie ad neutram potestatem attinebant.

Diximus Ecclesiam vel Statum gaudere posse *quadam* independentia in rebus competentiae *conventionalis* seu *attributae*, quia agitur de independentia sensu latissimo et improprio sumpta, quae proprie et *per se* nec Ecclesiae neque Statui inhaeret, atque idcirco hanc postremam relationem, vi cujus societas ecclesiastica vel societas civilis interventum et participationem in rebus extra propriam jurisdictionem positis habere aliquando valent, *mere accidentalem* appellavimus, uti ex sequentibus rationibus liquido enitet.

Et re quidem vera, ejusmodi independentia generice usurpata *mere accidentalis* censenda est: 1.° ratione *originis*, quia *precaria* et perfunctoria est, utpote jurisdictione attributa seu tantum conventionali fulcita, non autem in potestate propria et insita respectivae societati competente, ideoque tota quanta est in extensione et exercitio, a facto pendet; 2.° ratione *effectus, amissibilis* est, siquidem delegatio seu concessio irritari, mandatum retractari, et renuntiatio revocari potest pro lubitu concedentis, mandantis vel renuntiantis; 3.° ratione *durationis, temporalis* et transitoria evadit, eo ipso quod amitti queat, ejusque fundamentum nutet; 4.° ratione *exercitii, limitabilis* devenit, quandoquidem restrictioni-

bus obnoxia esse debet, juxta naturam, hoc est, quantitatem et qualitatem delegationis aut concessionis, juxta juridicam renuntiationis acceptionem, uti supra innuimus, ac denique juxta sensum et extensionem mandati pro diverso statu concordiae, conflictus, et hostilitatis vel indifferentiae, in quo versari possunt societas civilis et religiosa.

202. Mandatum alius potestatis ut alia de re jure proprio non competenti cognoscat, potest esse explicitum, tacitum et praesumptum: *explicitum* dicitur illud quod expresse verbis, factis vel rogatu ab alterutra societate seu auctoritate confertur aut intimatur; *tacitum* denominatur quod innititur silentio potestatis competentis approbanti vel permittenti agendi rationem auctoritatis non competentis; *praesumptum* vocatur quod in mera praesumptione seu favorabili interpretatione mentis ac voluntatis auctoritatis competentis consistit, quin pro se habeat neque explicitam declarationem ante actionem, neque tacitam approbationem post actionem.

203. Nunc vero, in casu *concordiae*, quando Status et Ecclesia collatis consiliis et mutuis viribus in eumdem scopum unanimiter conspirant, ita ut Status catholica principia tamquam normam legislationis amplectatur atque proponat, simulque suum auxilium Ecclesiae praebeat pro ejus legum exsecutione, tunc facile locum habere potest triplex mandatum, explicitum, tacitum vel praesumptum, quia Ecclesia, concordia supposita, saepe consuevit et adhuc solet vel Statui aliqua expresse committere, vel nonnulla a potestate saeculari jam peracta aut constituta tacite approbare seu permittere, vel quaedam ex praesumptione mandati per civilem auctoritatem patrata aut ordinata minus aegre ferre, imo etiam post factum sancire, dummodo actus vel praescriptiones Principum circa res religiosas supremam Ecclesiae potestatem, finem ejus proprium aut bonum generale fidelium minime laedant. Ita mirifice ex-

plicantur quamplurima facta historica, quae aliter reprobatione et censura digna essent, puta agendi ratio Constantini, Justiniani, Caroli Magni, Alphonsi X cognomento Sapientis, aliorumque piorum Regum vel Imperatorum, qui, ut Historia Ecclesiastica et Codices adhuc superstites testantur, plura circa religiosa negotia et res spirituales decreverunt; sed proculdubio haec constituerunt vel rogatu Ecclesiae, ideoque expresso mandato, quamvis ut plurimum desint documenta ob decursum et temporum injuriam deperdita, vel interpretatione aut praesumpto mandato, quod postea ex Ecclesiae silentio tacitum devenit.

In casu *conflicti*, tantum adesse potest explicitum mandatum in iis quae expresse concessa sunt et nondum retractata; sed illico cessat quaelibet interpretatio praesumpta vel tacita approbatio; etenim absurdum esset benignam mentem fingere in Ecclesia vel consensum ex ejus silentio colligere, quippe annuentia inter duas societates simul confligentes nullum jus impertiri valet, utpote ex vi seu necessitate, minime vero ex voluntate profecta.

In casu *hostilitatis*, palam est etiam cessare quodlibet mandatum tacitum vel praesumptum; ex quo enim Status sibi vindicat jus in negotiis ecclesiasticis sese immiscendi, et marte proprio decernendi ea, quae potestati spirituali competunt, desinit esse delegatus Ecclesiae eique obsequens; age jam, citra Ecclesiae delegationem ipsique obedientiam concipi nequit praesumptio favorabilis mandati vel consensus, sed e contra recte conjicitur repugnantia atque reprobatio Ecclesiae, quae omnino rejicere et damnare tenetur intrusionem Status hostiliter sese gerentis. Idem asserendum videtur propter rationis paritatem in casu *indifferentiae* seu separationis Ecclesiae et Status; tunc quoque cessat quaecumque praesumptio mandati vel tacita permissio, quas forsitan Status invocare vellet ad sese in rebus religio-

sis intermittendum; nam potestas saecularis, ab Ecclesia Catholica et religione revelata praescindens, ipso facto etiam ansam e medio tollit interpretandi benigne mentem Ecclesiae aut praesumendi ejusdem consensionem: et hoc quidem nobis luculenter patefacit diversam agendi rationem, qua Ecclesia erga Reges Summosque Imperantes antiquis temporibus et recentiori aetate usa est, quin duplicem mensuram adhibeat, uti stulte effutiunt ejus adversarii; dum enim novissima gubernia carpit ac improbat ob crebras et iniquas in res ecclesiasticas invasiones, plures actus veterum Regum tolerabat vel ratos habebat; ut enim scite animadvertit ipse Leo XIII occasione Regii Patronatus in Regno Neapolitano, agebatur tunc de Principibus catholicis et benemeritis, quibus Ecclesia sua beneficia, copiosa privilegia et singulares praerogativas conferebat; agitur hodie de civilibus Moderatoribus et politicis Guberniis Ecclesiam Catholicam ejusque sacratissima jura vel aperta hostilitate vel punibili indifferentia prosequentibus.

204. Quaeritur modo, utrum praeter competentiam conventionalem, qua utraque potestas jure attributo et delegato cognoscere potest de rebus ad propriam et nativam jurisdictionem non respicientibus, supponi vel dari queat competentia propria in eodem subjecto ad possidendam et exercendam utramque potestatem, tum ecclesiasticam, tum civilem, seu quod idem est, an identificatio duplicis potestatis, religiosae et politicae, in una persona locum habere possit.

Ejusmodi quaestio duas partes vel capita complectitur, quae singillatim enucleare oportet: 1.° an ecclesiastica auctoritas possit fieri subjectum auctoritatis civilis; 2.° num e contra auctoritas civilis fieri queat subjectum auctoritatis ecclesiasticae.

Ad primam partem respondere non dubitamus *affirmative*; contra Hussitas et Wicleffitas asserentes non

posse Clericos possidere dominia ut principatus; etenim competentia Ecclesiae vel Episcoporum et Clericorum, prout sunt personae sacrae, ad acquirendam et exercendam in determinato territorio potestatem civilem, sive subordinatam, sive independentem, evincitur tam *a priori* quam *a posteriori*, hoc est, argumentis ex duplici fonte depromptis, ex *ratione* atque *historia*.

Argumentum *rationis*: nulla in hoc invenitur repugnantia, neque ex parte Ecclesiae, neque ex parte societatis civilis; non ex parte Ecclesiae, quia ipsi expedire potest pro fine proprio assequendo et bono populorum curando ejus Praelatos esse quoque principes, quod facile comprobatur exemplo ex ipsa Germania desumpto, ubi Episcopis olim principantibus successerunt ut plurimum saeculo nostro Principes protestantes; nemo autem inficiabitur inter catholicos plebi christianae fore profecto utilius habere Episcopos adhuc principatu civili insignitos: neque ex parte societatis civilis, quoniam haec in subjecto auctoritatis saecularis supremae vel subordinatae, duo tantum requirit, nimirum, *titulum* legitimum acquisitionis et *idoneitatem* personae; jam vero *titulus* habetur ab Ecclesiae dignatariis in vinculatione potestatis civilis vel jurisdictionis temporalis quibusdam sedibus, dignitatibus aut ecclesiasticis muneribus, quae quidem vinculatio legitime tractu temporis, praesertim medio aevo, facta est per spontaneam populorum deditionem et obedientiam, vel per voluntarias donationes Imperatorum et Regum; *idoneitas* personae ad potestatem exercendam designari et determinari assolet vel per successionem, uti in monarchia haereditaria, vel per electionem, velut in monarchia aut republica electiva; et quamvis utraque forma sua incommoda habeat, haereditaria, quia auctoritas socialis residere potest in persona mediocris tantum ingenii ac probitatis, et fortasse minus apta ad gubernandum, electiva, quia passim oriuntur discordiae civiles, bella

atque perturbationes; attamen adnexio vel vinculatio principatus aut jurisdictionis praelaturae ecclesiasticae praesefert utilitates utriusque systematis, sive electivi, sive haereditarii, absque incommodis eorumdem propriis.

Et sane, duae potissimae utilitates recenseri merentur in forma electiva, nempe, major idoneitas gubernantis et melior securitas rectae gubernationis; pari modo duae utilitates pro forma haereditaria militant, videlicet, assecuratio pacis publicae et firmitas in duratione. Age jam, principatus praelaturae ecclesiasticae adnexus in se uno continet quidquid boni et utilis in utroque systemate reperitur: habet commoda monarchiae electivae, quia cum Ecclesiae Praesules non nascantur in hac dignitate constituti, sed eligantur, regulariter loquendo et juxta canonicas praescriptiones, eliguntur personae magnae probitatis, scientiae, et peritiae; sin vero aliquando contrarium eveniat, id omnes perfecte norunt non vitio institutionis sed personarum tribuendum esse: complectitur etiam bona atque commoda monarchiae haereditariae, etenim electio ecclesiastica, generaliter quoque loquendo, fit pacifice sine periculo perturbationum, saltem relate ad electiones civiles; servatur proinde pax socialis, simulque obtinetur singularis idoneitas in electo.

Argumentum *historicum*: identificatio utriusque potestatis passim apparet aetate media, praesertim in Germania, ubi plures Episcopi et Abbates, occasione feudorum diversi gradus, facti quoque fuerant sive barones, comites aut marchiones, sive duces, sive Principes etiam immediati Sacri Romani Imperii, quorum feudorum vel principatuum causa orta est celeberrima de investituris quaestio, cum Henricus IV Imperator comites in Episcopos convertere vellet, sibi vindicando episcoporum et abbatum electionem, eo quod feuda illis conferret per traditionem non quidem *sceptri* et *coronae*

potestatem aut dominium temporale significantium, sed per symbola *baculi* et *mytrae,* quae potestatem spiritualem designabant.

Idem facile videre est apud alias nationes; sic, ex. gr., in Hispania, quamvis feudalismus vix aut ne vix quidem viguit, quamplurima etiam adduci possent exempla hujusmodi identificationis vel accumulationis potestatis ecclesiasticae et civilis in una eademque persona (1).

205. Ad secundam quaestionis partem, nempe, utrum auctoritas civilis fieri possit subjectum auctoritatis ecclesiasticae, respondemus identificationem seu unionem *personalem* utriusque potestatis possibilem esse et aliquando factam fuisse, quia in hoc nulla est repugnantia uti ex. gr, eum, qui jam est Imperator, Princeps vel Dux, in Pontificem aut Episcopum promoveri; etenim talis persona posset esse habilis ad pontificatum vel episcopatum utiliter gerendum: unionem vero *realem,* hoc est, vinculationem vel adnexionem potestatis sacrae cuilibet imperio, regno aut titulo mere temporali, ita ut qui succedat in dignitate temporali seu politica, eo ipso succederet in ecclesiastica jurisdictione, esse omnino absurdam, perinde ac si ex. gr. Imperator Germaniae vel Dux Parmae ratione imperii aut ducatus es-

---

(1) En quomodo loquuntur Illmus. D. Franciscus Gomez et Salazar et D. Vincentius de La Fuente in suo opere de Disciplina, cui titulus *Lecciones de Disciplina Ecclesiástica General y Particular de España* Tom. II, Lec. LI. nota: «El Obispo de Palencia se titulaba conde de Pernia; el de Oviedo de Noroña. Los Prelados de Santiago, Orense, Lugo, Osma, Siguenza y otros tenían el señorío temporal de aquellas poblaciones y sus castillos. El Arzobispo de Toledo tenía el señorío de Alcalá de Henares y de muchas villas y castillos, y además el *adelantamiento* de Cazorla y sus catorce pueblos. El Arzobispo tenía que servir por estos feudos con 500 á 800 lanzas, sostenidas á su costa y acaudilladas por su *teniente de adelantado,* que llevaba el pendón del Arzobispo. Hoy solamente el Obispo de Urgel conserva el señorío temporal del Valle y república de Andorra muy limitado, usurpado en parte por la casa de Foix, que se erigió en condueña del Valle.»

sent simul Romanus Pontifex vel Episcopus Parmesanus.

Absurditas hujusce unionis multiplici ratione ostenditur: 1.° quia nequit principale, nimirum dignitas ecclesiastica, alligari accesorio, cujusmodi est dignitas civilis vel titulus temporalis; 2.° quia subjectum potestatis laicae non evadit hoc ipso idoneum, ut sit subjectum auctoritatis ecclesiasticae; plures enim et majores conditiones requiruntur, praecipue autem supernaturalis vocatio, quae et in principe optimo, etiam magna pietate et egregiis virtutibus ornato, deficere possunt; hinc, etsi magistratus ecclesiasticus, ut paulo antea probavimus, sit habilis ad auctoritatem civilem obtinendam atque exerendam, magistratus laicus non est per se idoneus ad potestatem ecclesiasticam acquirendam et exercendam; 3.° quia Ecclesia ex positiva Dei institutione jus habet ad suam libertatem et independentiam non solum *in abstracto*, seu quoad potestatem, regimen et administrationem, sed etiam *in concreto*, seu quoad electionem et designationem personarum, quae officia ac munera sacra obire tenentur; 4.° quia, habita ratione humanae conditionis et naturalis propensionis, saepissime coelestia terrenis, aeterna temporalibus, divina humanis deservirent, et ita ordo a Deo praestabilitus prorsus subverteretur; 5.° quia ecclesiastica beneficia et spirituales dignitates contra spiritum et litteram sacrorum canonum esset haereditaria; nam, cum civilis potestas haereditaria fieri in aliqua familia vel subjecto humano determinato alligari queat, praelaturae ecclesiasticae, statim ac politicae auctoritati vel titulo temporali vincularentur, ut plurimum per haereditatem ab uno in alios transmitterentur, quod quidem naturae et constitutioni Ecclesiae a Christo conditae directe adversatur, necnon sanctitati atque idoneitati status clericalis plane pugnat.

ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

206. Relationibus Ecclesiae cum societatibus catholicis articulis praecedentibus recte definitis, investigare superest quaenam relationes sub aspectu juridico intercedere possint et agnosci debeant inter ipsam Ecclesiam et societates non catholicas.

Societates civiles triplici conceptu possunt esse non catholicae; enim defectus catholicitatis proficisci valet vel ex *rebellione* adversus auctoritatem et doctrinam verae Ecclesiae, uti fit in Statibus christianis qui in haeresim aut schisma lapsi sunt; vel ex *indifferentia* erga omnes religiones, saltem christianas, prout videre est apud illos Status nomine et baptismate christianos, sed re et professione atheos seu incredulos, in quibus potestas publica proclamat legislationem absolute praescindentem a religione catholica, imo vero saepissime a quacumque religione positiva, salva tamen honestate naturali; vel tandem ex *infidelitate*, seu ignorantia et privatione positiva vel negativa fidei catholicae, velut evenit in Statibus aut regnis superstitionem gentilicam adhuc profitentibus; hinc triplex genus societatum non catholicarum distinguere fas est: societates christianas *acatholicas* seu *dissidentes* quoad fidem vel communionem, ideoque haereticas aut schismaticas; societates christianas *indifferentes* seu *praescindentes* propter negationem, aut exclusionem verae religionis; ac demum societates omnino *infideles* ob totalem fidei carentiam et christianae religionis nescientiam.

Nunc vero, praehabita hac classificatione, juridicas Ecclesiae cum unaquaque societate relationes brevissime delineabimus.

207. Relationes cum societate christiana *acatholica* spectari possunt *juridice* vel *practice*; *juridice* est absolute loquendo, Ecclesia omnibus juribus suis pollet erga Statum acatholicum, cum adhuc christianus sit; secus enim ejus defectio a vera fide et adversus Ecclesiam Catholicam rebellio et commodum positivum Statui praeberent eum a suis oneribus et religiosis officiis eximendo, et verum nocumentum Ecclesiae afferrent ipsius jura minuendo; utrumque autem rectae rationi et expressae Divini Institutoris voluntati aperte refragatur: unde perduellio atque inobedientia pravorum et pervicacium filiorum, loco imminuendi aut infringendi supremam Ecclesiae auctoritatem, hanc potius adauget et roborat, siquidem hac occasione Ecclesia triplice sua potestate utitur; *legifera*, novas leges condendo pro unitate fidei et charitatis adstruenda; *judiciali*, sententiam damnationis contra haeresim aut schisma ferendo; *coercitiva*, rebelles et dissidentes poenis salutaribus puniendo, ut illos ad veritatis agnitionem trahat et in sinum suum reducat.

Practice autem seu de facto triplex quaestio solvenda proponitur: 1.ª an Status acatholici legibus Ecclesiae subjiciantur; 2.ª quaenam sint jura Ecclesiae supra has societates, et officia earumdem erga Ecclesiam; 3.ª utrum Ecclesia a Statu officia, quae *ad hominem* seu juxta ipsa societatis acatholicae principia appellantur, vi adhibita petere aut exigere possit.

De prima quaestione communiter statuendum videtur Ecclesiam, cum de heterodoxis agitur, non cogere ad observantiam earum legum, quae primario et directe ad sanctificationem individualem referuntur, puta leges de jejunio, quia praesumitur Ecclesiam nolle haereticos vel quoscumque alios dissidentes natos et educatos

in heterodoxia ad suas leges obligare cum praevisione certa transgressionis absque necessitate aliqua, quod quidem occasionem praeberet multiplicandis peccatis sine gravi et proportionata causa; sed e contra urgere leges antiquas quae vigebant, antequam heterodoxi ab unitate discederent et in separatas sectas coalescerent, quando ejusmodi leges primario et directe bonum publicum afficiunt, uti leges impedimenta Matrimonii statuentes; tunc enim adest ratio sufficiens permittendi peccata quae ex violatione sequi possunt, videlicet, bonum generale et publica honestas.

Secundae quaestionis solutio in promptu est: post *consummatam defectionem* Ecclesia in societates acatholicas exercere potest *jura* et correlative Status erga Ecclesiam praestare debet *officia*, quae *ad hominem* vocantur, quorum recensio et determinatio a triplici hypothesi pendet, nempe, a conditione juridica Ecclesiae Catholicae in Statu *haeretico, schismatico* vel *indifferente*, prouti mox explicabitur. Diximus post *consummatam defectionem*, etenim omnes sciunt tam in ordine politico quam in religioso alia jura exercenda esse in actu rebellionis, donec spes manet eamdem suffocandi, et alia, facta secessione, cum societas jam aliter est constituta, non quia licita et rata censeri possint facta consummata; consummatio namque delicti hoc legitimare et sancire nequit, potius autem ejus imputabilitatem augebit; sed quia novi tituli in contrarium oriri queunt, veluti tutela ordinis socialis et tranquillitatis publicae asservatio.

Tertiae questioni respondetur Ecclesiam vim adhibere posse per nationes aut principes christianos pro exercitio jurium et observantia officiorum quae ad hominem nuncupantur: equidem regna catholica et orthodoxi principes possent et aliquando deberent vi cogere Status haereticos vel schismaticos praedicta reciprocae justitiae et mutuae aequitatis officia adimplere

renuentes ad jura Ecclesiae servanda, qua agendi ratione Status catholici et christiani Principes et jus proprium atque indubitatum exercerent et exemplum dissidentium sequerentur.

In primis enim, in actum reducerent jus legitimum defensionis, vim vi repellendo, quandoquidem omnes Status christiani cum vera Ecclesia fidem et communionem habentes, propter unitatem et catholicitatem ipsius Ecclesiae, membra sunt unius ejusdemque corporis, atque ideo tenentur illius jura revereri ac tueri, necnon fratribus suis opem ferre. Deinde, ipsis heterodoxorum vestigiis insisterent, qui pro Statibus acatholicis vindicandis, uti ajunt, vi coactiva contra catholicos usi sunt; ita vidimus Protestantes coercitionem saepenumero adhibuisse ad repellendos orthodoxorum incursus adversus suos asseclas; pariterque Russos, religionis fraternitate permotos, protectionem et arma crebro sumpsisse pro defendenda libertate Graecorum Schismaticorum.

208. Age jam, praefigere summopere refert conditionem juridicam Ecclesiae Catholicae apud gentes et populos ab unitate fidei et communionis segregatos, ea mente et scopo, ut omnibus melius innotescant quaenam sint relationes inter Ecclesiam et nationes heterodoxas colendae, et quidnam juris illa ab his evidenter petere valeat.

Absque ulla dubitatione asserere possumus Ecclesiae relate ad Status *haereticos* vel *schismaticos* tria jura competere, quibus totidem officia societatis acatholicae respondent, scilicet: *libertatem* necessariam ad existendum, *protectionem* communem ad tutelam liberae existentiae, et *apostolatum* ad veritatem diffundendam.

Jus *libertatis*. Quoad societates *heterodoxas*, Ecclesia habet jus petendi et Status acatholicus officium permittendi, ut subditi catholici, si aliqui sint, catholice vivant religionem suam libere profitentes, quin molestiis afficiantur neque juribus civilibus priventur, simul-

que ipsorum Ecclesia agnoscatur tamquam persona moralis, capax bona temporalia adquirendi, possidendi, utendi et transferendi, ut vita propria frui queat; etenim, quamvis Status haereticus Ecclesiae Catholicae infallibilitatem inficietur, tamen nullo titulo neque humana verisimilitudine potest sibi exclusive tribuere hanc praerogativam; aliunde vero fateri tenetur asseclas antiquae Ecclesiae, a qua sejunctus est, posse probabiliter censere Ecclesiam Catholicam infallibilem esse, Statum autem errori obnoxium, quod certe ex ipsis Protestantismi principiis liberum examen proclamantis optimo jure colligi potest.

Jus *protectionis*. Ecclesiae insuper competit jus exigendi, et Statui acatholico incumbit officium praesidium commune praestandi ad tutanda jura catholicae libertati et legali existentiae inhaerentia: hinc tenetur tum coercere hostes externos vel internos adversus juridicam Ecclesiae existentiam et conservationem conspirantes, tum poenis consentaneis mulctare eos omnes qui ipsius libertati attentare conantur. Duo tantum casus excipiuntur, in quibus *ad hominem* arguendo videtur non posse invocari protectio seu auxilium brachii saecularis haeretici, nimirum, pro puniendis discedentibus ab Ecclesia, quia hoc contradiceret professioni heterodoxiae, atque pro restituendis Ecclesiae universali bonis particularis Ecclesiae, si quando omnes catholici discederent vel deficerent a vera fide.

Jus *apostolatus*. Demum, Ecclesiae inest jus postulandi, et Statui acatholico obligatio permittendi, ut missionem sibi divinitus demandatam Evangelium praedicandi, sese propagandi et cunctos populos convertendi plene et libere adimpleat; exercitium enim hujus praestantissimi muneris a Christo Domino suae Ecclesiae solemniter et publice commissi Statui haeretico res valde rationabilis videri debet, tum quia ipse exigere nequit, ut alii eum tamquam infallibilem habeant, ideoque

juxta ejus principia juridice possibile est veritatem inveniri in catholica religione; tum etiam quia ille qui caeteros curat de veritate suadere, jure agit, quemadmodum qui veritati assentitur juri obtemperat: unde injustae et omni juri adversantes habendae sunt leges, quae transeuntes ad religionem catholicam plectunt.

Quoad societates *schismaticas*, ad Ecclesiam quoque attinent tria memorata jura, et Status, a centro unitatis segregati et eamdem cum Sede Romana communionem non profitentes, obire etiam adstringuntur triplex onus seu officium nuperrime enuntiatum, hoc est, *libertatem* subditis catholicis agnoscendi, *protectionem* pro tuenda libertate praestandi, et *propagationem* veritatis catholicae minime impediendi; et sane ad exsequenda ejusmodi officia duplici ratione coguntur: 1.ª quia Status schismatici et populi a Cathedra Petri separati, si bona fide agunt et in rebellione versantur, saltem fateri tenentur caeteros probabiliter credere in Primatum Romanae Ecclesiae, ideoque ipsis rationabiliter permittendam esse fidem et praxim suae professioni consonam; 2.ª quia etiam humano modo loquendo et verisimiliter judicando, licet luculenta Sacrarum Scripturarum testimonia praetermitterentur, Ecclesia una in mente sapientis Fundatoris apparet aliquid nobilius, quam multae Ecclesiae territoriales invicem dissitae atque independentes.

209. Relationes juridicae Ecclesiae cum societate christiana *indifferente* eisdem principiis regulantur, quae pro Statu dissidente militant: Ecclesia igitur in regnis a quacumque religione revelata praescindentibus potiori ratione jus habet ad liberam *existentiam*, generalem *protectionem* et necessariam sui *propagationem;* et simile modo Status in hisce rerum adjunctis positus *triplici* etiam *officio* subjacet reliquendi Ecclesiae suam libertatem, tuendi ejus jura contra laedentes ipsius legalem existentiam vel naturali conservationi attentantes, fa-

cta ad summum exceptione mutationis religionis, ac postremo apostolatum permittendi.

At cum proclamatio indifferentiae per publicam legislationem facta hoc gravissimum incommodum passim importare soleat, Statum suas leges condere non respiciendo ad religiones revelatas, sed tantum obedientiam suis decretis exigendo, etsi nonnunquam adversentur alicui praecepto religioso, sequitur inde Statum indifferentem, per se et absolute loquendo, teneri *quarto officio* non ferendi leges contrarias legibus Ecclesiae vel aliarum religionum christianarum, quibus libertas civilis legitime concessa fuerit.

Et quidem huic speciali obligationi subest duplici motivo, propter naturalem *aequitatem* et recti *ordinis* exigentiam: ratione *aequitatis*, ne subditi ponantur vel in necessitate suam conscientiam offendendi, vel subeundi poenas ad conscientiae obsequendum; ratione *ordinis*, etenim Status bonum temporale ita prosequi debet, ut bono spirituali non obstet, cujus existentiam admittit potestas socialis, aut saltem admittere et recognoscere tenetur rationalem subditorum fidem in existentiam ordinis spiritualis et necessitatem finem ultimum atque supernaturalem obtinendi.

210. Relationes Ecclesiae cum societate *infideli*, eo ipso quòd agitur de iis qui nec *jure* nec *facto* subditi Ecclesiae censeri queunt, quia nondum baptismum susceperunt, juri positivo ac christiano attemperari non possunt, sed juxta principia juris naturae determinari debent.

Ecclesia igitur etiam apud ethnicas gentes facultate gaudet *existendi*, legalem *protectionem* obtinendi atque libere sese *diffundendi*, et Status infidelis ex jure naturae tria officia erga ipsam praestare tenetur:

1.° Agnoscere Ecclesiae libertatem; licet enim societas pagana ob ejus barbariem vel degradationem sufficientem Dei cognitionem non habeat, tamen, duce natu-

rali ratione, admittere debet possibilitatem divinae revelationis, quae tantum ab atheis inficiari queit; jam vero, si possibilis est divina revelatio, potuit de facto fieri, ideoque existere; si autem existere potest, eo ipso rectae rationi non repugnat existentia probabilis cujusdam societatis vel auctoritatis, cui depositum revelationis divinitus concreditum sit in terris; sed Ecclesia Catholica non modo docet ac profitetur veritatem hujus facti, verum etiam apertissimis signis et ineluctabilibus testimoniis ostendit ipsam a Deo constitutam fuisse depositariam, custodem et interpretem novissimae revelationis mundo factae; ergo populi et nationes gentiles et rationabiliter praesumere aut conjicere possunt existentiam divinae revelationis, et probabiliter fateri debent institutionem alicujus societatis seu congregationis auctoritate munitae eam proponendi ac custodiendi; at cum omnes notae, proprietates et praerogativae quibus hanc singularem societatem insigniri oporteat, soli Ecclesiae Catholicae competant, Status infideles huic contradicere ejusque libertati officere nequeunt.

2.° Societas gentilis insuper cogitur suum praesidium Ecclesiae suppeditare, ut munere suo fungatur et legali existentia fruatur adversus quamcumque aggressionem vel criminalem conatum, simulque tutelam subditis catholicis praebere contra eos omnes, qui legitima eorum jura et juridicam libertatem impetere attentarint.

3.° Denique, Status infidelis obstringitur officio non impediendi propagationem religionis christianae per apostolatus exercitium, tum quia haec nihil doceat aut contineat, quod naturali rationi adversetur; tum etiam quia pro ejus veritate adsint motiva credibilitatis, sive intrinseca, sive extrinseca, adeo fulgentia, ut etiam gentilibus saltem valde probabilem religionem christianam exhibeant: eapropter Principes ethnici tyrannice et culpabiliter agerent, praedicationem Evan-

gelii interdicendo, asseclas Christianae Religionis puniendo, et Ecclesiae formationem vel liberam ejus evolutionem impediendo; et si quando tyrannicam oppressionem in subditos christianos vel catholicos concionatores exercere non vererentur, possent vi cogi a Statibus christianis ad recognitionem et adimpletionem suorum officiorum, uti saepe factum est nostra aetate a guberniis etiam acatholicis vel indifferentibus, quae, humanitate et fraternitate internationali invocatis, causam christianorum vi armata propugnarunt.

ARTICULUS VI.

SUMMARIUM.

211. Relationes juridicae Ecclesiae cum aliis societatibus religiosis, sive *christianis*, sive *infidelibus*.—212. Quaestio praevia de obligatione sociali tum inquirendi, tum suscipiendi Divinam Revelationem.—213. Conditio juridica sectarum dissidentium et societatum gentilium coram Christi Ecclesia.—214. Adumbratio historica Juris Publici *Interni*.—215. Brevis recensio Juris Publici *Externi*.

211. Pro hac generali disquisitione, quae circa Jus Publicum Externum versatur, plene absolvenda, nonnihil dicendum erit de relationibus Ecclesiae cum aliis communionibus religiosis; sin vero conditionem juridicam, in qua coram vera Christi Ecclesia positae sunt sectae *acatholicae* et societates *ethnicae*, recte assequi velimus, necesse est aliquid, etsi leviter, praemittatur supra obligationem *socialem*, tum inquirendi, tum suscipiendi Divinam Revelationem.

212. Hac super re tria certa explorataque habentur, videlicet: 1.° existentia divinae revelationis potest esse evidens non modo individuo, sed et societati; 2.° tam individuus, quam societas possunt considerari in statu *dubii* vel *certitudinis* quoad existentiam divinae revelationis; 3.° uterque tenetur debitam inquisitionem in-

stituere pro veritate agnoscenda, si in *dubio* versetur, vel revelationem recipere, si in *certitudinem* jam devenerit; et ratio hujus duplicis officii *inquirendi* vel *recipiendi* satis liquet; divina enim revelatio est veluti quaedam Lex, et quidem suprema, sacratissima et maxime obligatoria, utpote a Deo Creatore omnium et Summo Legislatore lata; age jam, omnis lex prius incipit obligare ad sui inquisitionem instituendam, si rationabile dubium de ejus existentia oriatur; deinceps vero incipit ad sui observantiam obligare, cum certo cognita sit ut promulgata ab ea persona, quae vera et legitima potestate gaudet.

Hisce principiis ad personam moralem seu societatem applicatis, videamus quid in utroque casu statuendum.

1.° Si *dubium* rationabile de existentia divinae revelationis apud societatem emergat, sive illud oriatur in singulis individuis; sive in multis praevalentibus numero aut viribus, tum cum participant regimini publico, tum cum non participant, quia de ipsis curam habet potestas socialis; sive tandem in rectoribus societatis tantum, omnes in quibus dubitatio oborta fuerit, tenentur debitam instituere investigationem, ex qua sequetur vel ut plurimum certitudo ac evidentia divinae revelationis vel saltem notitia valde probabilis ejus existentiae, quae quidem auctoritatem publicam inducet ad permittendum liberum exercitium religionis revelatae iis subditis, qui de ea persuasi fuerint.

2.° Quando vero *certitudo* de existentia divinae revelationis habeatur, tunc, cum agatur de re societati profecto evidente, quia promulgatio Evangelii ratione temporis, extensionis et solemnitatis satis superque facta est, omnes certo adstringuntur divinam revelationem suscipere, colere et observare; etenim quaelibet lex communitatem obligat, ex quo per sufficientem promulgationem ad notitiam subditorum pervenerit.

Nunc vero, notitia certa divinae revelationis, juxta communem juristarum doctrinam, exstat penes societatem in triplici potissimum casu: [a]) cum omnes cives moraliter sumpti persuasionem sortiti sunt de veritate catholica eamque amplectuntur, proculdubio societati evidens est ejus divinitas, et tamquam lex socialis accipi potest et debet; [b]) quando, etsi non omnes cives moraliter spectati revelationem agnoscant, adest gubernium democraticum, in quo populus vel habet repraesentationem, vel immediate participat potestati legislativae per comitia, et praevalent illi qui recognitionem religionis revelatae tuentur, tunc etiam dubitari nequit eam esse juridice communitati evidentem, quia evidens est civibus influentibus, et persona moralis constituitur a physicis personis, quatenus influunt in operationem socialem; [c]) demum, quando viget regimen monarchicum vel aristocraticum, et princeps vel optimates animadvertunt tot ex subditis revelationem suscepisse, ut merito dici possit corpus sociale eam agnovisse, tunc quoque divina revelatio certo nota et evidens censetur in ordine sociali, vel quia subditi numero praevalent, vel quia saltem influxu sociali praestant, ita ut, si publico regimini praeficerentur, novam religionem suo suffragio et legibus sancire possent.

213. Quae cum ita sint, perfacile modo videtur innuere atque paucis verbis explicare juridicas Ecclesiae relationes cum caeteris communionibus religiosis. Hujusmodi relationes duplici pacto spectari valent, *juridice* et per se vel *practice* atque per accidens.

Sub aspectu *juridico* sectae christianae et adsociationes ethnicae omni valore legali apud Ecclesiam carent, ideoque nullum jus allegare possunt ad suam existentiam, religiosam organizationem et legitimam diffusionem vindicandam, quia regnis acatholicis vel statibus infidelibus subsunt, quibus officium incumbit vel amplectendi divinam ac supernaturalem revelatio-

nem cumulatissime promulgatam et in vera Christi Ecclesia asservatam, vel serio ac diligenter inquirendi veritatem revelatam, ut, erroribus atque superstitionibus abjuratis, in christianam religionem cooptentur, suaque principia ac dogmata profiteantur: hinc Ecclesia communiones dissidentes, sive haereticas, sive schismaticas uti societates rebelles spectat; coetus quoscumque paganos considerat velut societates, non equidem rebelles, quoniam christianae professioni nondum adscriptae sunt, sed aberrantes et degradatas, quarum membra suae doctrinae et auctoritati subjici maxime oporteret.

Practice autem et per accidens inspectae sectae heterodoxae vel antichristianae diversa est in facie Ecclesiae conditio acatholicorum atque infidelium. *Acatholici* eorumque sectae *in actu rebellionis* possunt ab Ecclesia mediis coactivis cohiberi, poenisque salutaribus puniri, ut ad sinum piissimae Matris redeant; *post consummatam defectionem*, ut alibi animadvertimus, Ecclesia ad vitanda quamplurima peccata, praesumpta vel subaudita bona fide, quae forte inesse potest novis asseclis, fundatoribus aut primis coripheis succedentibus, non amplius sectas atque sectarios cogit; sed tantum illas et hos obligat ad observantiam legum, quae cum ordine sociali et publica honestate relationem habent, minime autem ad earum exsecutionem, quae ad sanctitatem individualem tendunt. Hinc, quamvis ejusmodi sectae, utpote societates, sint in se illegitimae, tamen personae eas constituentes gaudent quodam jure libertatis legitimae. *Infideles* vero in iis quae legi naturae manifeste non adversantur, aequiparari possunt acatholicis natis et educatis in secta heterodoxa, in quibus bona fides admitti valet; et sicut isti jus quoddam putativum habent, quod est jus reale personae, ne cogantur ad catholicam religionem amplectendam eidemque uniformandam vitam, cum ipsis evidens non appareat; ita etiam ethnici

quadam et legitima libertate personali fruuntur, ne adigantur ad christianam religionem suscipiendam: unde non licet bella gerere ad conversionem paganorum obtinendam, sed tantum media mitiora culturae, doctrinae, persuasionis vel apostolatus adhibere; verum optimo jure fas erit interdicere gentilibus actus seu ritus positive contrarios legi naturali, vel delubra cultus idolatrici evertere, quia ipsa natura superstitionem damnat, vel bellum indicere, quoties Ecclesiam offendere, catholicos missionarios insectari et neophitos vexari audeant.

214. Coronidis gratia, levissimam subjungimus recensionem circa historicam evolutionem Juris Publici Ecclesiastici, tum *Interni*, tum *Externi.*

Historia Juris Publici *Interni* in triplicem aetatem, perspicuitatis gratia, tribui potest, *antiquam*, *mediam* et *novam*.

Aetas *antiqua* in duas epochas subdividitur,epocham *persequutionis* seu ante pacem Ecclesiae, atque epocham *organizationis* seu post pacem constantinianam. *Ante pacem Ecclesiae*, passim videre est in Episcopis *accumulationem* jurium seu maximam autonomiam ex duplici causa profectam: 1.° ex peculiaribus rerum *adjunctis*; etenim auctoritas centralis Romanorum Pontificum non multum influere poterat impedimentis obstrieta tum internis, quae ab ipso statu propagationis religionis oriebantur, tum externis, quae ex statu persecutionis profluebant: 2.° ex exceptionali *personarum* conditione; sanctitas enim, quae illis pristinis temporibus in Episcopis electoribus, necnon in clero et populo eminebat, habebatur tamquam sufficiens argumentum primaevis Episcopis plurimum auctoritatis conferendi in ecclesiastico regimine. *Post pacem Ecclesiae,* locum obtinet *regularizatio* jurium in gradibus episcopalibus, sive inferioribus, sive superioribus, peracta mediante organizatione disciplinari, personali et territoriali, quam totis

viribus aggressa sunt et mirifice perfecerunt plurima Concilia ab exordio saeculi IV habita, praesertim vero quatuor priora et celebratissima Concilia Oecumenica Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum et Chalcędonense, et notissima Concilia Orientis, particularia sed ubique recepta, Gangrense, Laodicenum, Antiochenum, Neocaesareense et Ancyranum.

Aetate *media*, jam incipit *restrictio* jurium velut sequela necessaria auctoritatis centralis et Pontificii influxus, qui ubique notatur atque exercetur per novas ecclesiasticas institutiones, nimirum, Vicarios Apostolicos, Legatos *natos* seu Primates, Legatos *missos* et Nuntios *permanentes*.

Denique aetate *nova*, verificatur *revocatio* seu *centralizatio* jurium vi *reservationum*, quae a Benedicto XI saeculo XIV (an. 1304) incipiunt, et ad nostra usque tempora perveniunt.

215. Historia Juris Publici *Externi* commode etiam in tres periodos distingui solet, *antiquam*, *mediam* et *novissimam;* et unaquaeque periodus in duas epochas dispescitur.

Prima periodus complectitur epocham *oppositionis*, quae paci antecedit, atque epocham *concordiae*, quae pacem mediolanensem subsequitur. In epocha *oppositionis*, ita dicta ex eo quod mutuus nexus inter societatem religiosam et civilem a Deo intentus atque praescriptus nullo pacto intercedere potuit, elucet velut praecipuus character persecutio, quae fere indesinenter, decies vero acrius exarsit a Nerone usque ad Constantinum: compertum namque est Ecclesiam, quamvis omnibus juribus societati legitimae competentibus pollere debebat, tum ratione divinae institutionis, utpote a Christo Domino condita, tum lege mosaica spectata Messiam et Ecclesiam praefigurante, tum demum ipsa legislatione romana attenta, quae diversos cultus tolerabat, sive a Judaeis, sive a Romanis, sive a Barbaris

diris et cruentis insectationibus prosequutam esse.

Epocha *concordiae* originem ducit a Magno Imperatore Constantino, qui non minus prudentia, quam pietate et divino numine ductus, celeberrimis edictis promulgatis, omnem persecutionem cessare jussit, jura Ecclesiae solemniter agnovit, eidem bona restituit, privilegia concessit, forum episcopale et ecclesiasticas immunitates approbavit, unaque societatis christianae defensionem velut officium sacratissimum et munus perhonorificum suscepit.

Attamen ejusmodi concordia merito aestimata est *imperfecta;* etenim jura sacra et civilia crebro permixta sunt, dum Episcopi ex voluntate Caesarum de rebus civilibus et judicialibus cognoscere poterant, et Imperatores titulo protectionis res sacras moderabantur; quae quidem permixtio occasionem praebuit Imperatoribus tum Occidentis, tum Orientis, potissimum vero Byzantinis, sese in negotiis religiosis immiscendi et jurisdictionem spiritualem invadendi, talemque confusionem invexit, ut Principes saeculares, maxime apud Graecos, limites merae tuitionis transilientes, et decreta dogmatica proprio motu edere et summa vi exsequi praesumentes, non tamquam defensores sacrorum canonum sed velut judices egerint, ordinem ecclesiasticum deturbarint et prope innumera mala Ecclesiae intulerint.

Secunda periodus duplici quoque epocha constat: *submissionis* Status Ecclesiae usque ad saeculum XIII, et *emancipationis* Status ab Ecclesia ad saeculum usque XVI. Epocha *submissionis* Status Ecclesiae salutari ejusdem influxu in societatem civilem distinguitur; benefica Ecclesiae actio plenissime apparet ex quibusdam factis historicis omnibus exploratis et valde trascendentalibus, quae in obsequium brevitatis insinuare satis erit: Ecclesia igitur medio aevo praevalet, effulget et imperat, culturam morum, scientiarum et artium in re-

gnis Europae nondum constitutis fovendo; Principatum civilem legitime adquisitum in bonum populorum exercendo; Sacrum Romanum Imperium creando, et Principes electos a Carolo Magno usque ad Carolum V, emisso prius juramento fidelitatis erga Sanctam Sedem, Romae coronando; cupiditati et indomitis regum ac procerum passionibus fortiter reluctando; libertatem cleri et sacras immunitates per abrogationem *investitutarum* magnanimiter tuendo; ethnarchiam christianam seu *Christianitatem* constituendo; ac denique Principes constitutionis christianae in Europa tunc temporis vigentis violatores poena etiam depositionis puniendo, etsi imperiali dignitate insigniti essent, uti Henricus IV et Fridericus II.

Epocha *emancipationis* Status ab Ecclesia post saeculum XIII incipit; quamvis enim frequentes dissentiones inter Imperatores Germaniae Romanosque Pontifices exortae plurimum contulerunt ad infirmandam atque turbandam mutuam sacerdotii et imperii concordiam, tamen expresse recenseri merentur causae potissimae, quae utriusque potestatis scissionem, pontificiae auctoritatis imminutionem, et reactionem Status in Ecclesiam sensim et pedetentim praepararunt, ac tandem hora nefasta aperte consummarunt; sequentes autem assignari solent: Contentiones inter Philippum *Pulchrum* et Bonifacium VIII habitae, ex quo tempore maxime decrevit influxus Ecclesiae in societates civiles; Translatio Sedis Apostolicae in Avenionem, quod factum gravissimum vulnus tum Ecclesiae, tum concordiae utriusque potestatis inflixit; Schisma Occidentis ita diuturnum, ut summopere detraxerit venerationi erga Sedem Apostolicam; ortus Protestantismi, qui saeculo XVI christianitatem apud veteres populos vigentem penitus dissolvit, jus sociale medio aevo communiter receptum funditus labefactavit, et plures Europae nationes ab unitate Ecclesiae sejunxit.

Tertia Periodus insuper duas epochas praesefert, alteram *dominationis* Status in Ecclesiam, a saeculo XVI ad saeculum XIX attingentem; alteram *divisionis* seu *separationis* Status ab Ecclesia, quae a fini saeculi XVIII exorditur et ad nostram usque aetatem perdurat. Epocha *dominationis* Status in Ecclesiam a Protestantismo repetenda est; enim Pseudoreformatores, ut potestati politicae Regum adblandirentur, ejusque majestatica jura extollerent atque amplificarent, omnem auctoritatem sacram et ecclesiasticam, sive pontificiam, sive episcopalem, in Principes saeculares transtulerunt; ex tunc temporis et plures principes etiam catholici praxim et doctrinam Protestantium circa relationes Ecclesiae et Status amplexati sunt, et plurima systemata theologica vel politica invecta fuere ad suprematiam societatis civilis stabiliendam, quae heic perpendere praetermittimus, cum eadem capite sequenti late exponemus et confutabimus.

Epocha *separationis* vel *independentiae* Status ab Ecclesia saeculo XVIII exeunte orditur, in quo errores perniciosissimi execrabilis systematis, quod Liberalismum nuncupant, propalari undique coeperunt, et tandem antiquas Europae plagas novasque Americae regiones radicitus perturbarunt.

Nostris diebus, cum gubernia, populi et institutiones tantum libertatis et progressionis gradum sortita sunt, jam non agitur de mera *separatione* aut *independentia* Status ab Ecclesia, sed prout major est progresus et ampla libertas, quotidie et undequaque cernimus iniquam *aggressionem* et apertam *hostilitatem* potestatis publicae adversus divinam institutionem et supernaturalem missionem Ecclesiae a Christo Domino conditae. At cum cito desinet saeculum XIX sarcina tanti flagitii, nequitiae et perversionis oneratum, liceat mihi interrogare ¿Quaenam erunt relationes Ecclesiae et Status saeculo XX jam fere ineunte? ¿Quamnam conditionem

juridicam et socialem considerationem apud gubernia et gentes novae centuriae obtinebit Ecclesia Christi? Fortasse ab ipsis primordiis saeculi venturi inchoabitur tertia epocha *destructionis*, quae hanc postremam dominationis, separationis et hostilitatis periodum digne coronabit: forsitan *adstantes reges terrae et principes convenientes in unum adversus Dominum et Christum ejus*, opus Dei irrito atque impio conatu evertere attentabunt; sed *qui habitat in coelis irridebit eos, et*, juxta divinas promissiones, *portae inferi non praevalebunt adversus* divinam *aedificationem* super solidissimam Romanorum Pontificum, Principis Apostolorum Successorum, *Petram* fundatam.

CAPUT IV.

ERRORES CIRCA JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

216. Classificatio *theorica* errorum ad Jus Publicum Ecclesiasticum spectantium.—217. Errores *democratici*.—218. Errores *aristocratico-presbyterales*.—219. Errores *aristocratico-episcopales*.—220. Errores *archiereucratici*.—221. Errores *anactocratici*.—222. Errores *policratici*.

216. Exposita doctrina catholica circa naturam juridicam Ecclesiae, fundamentalem ejus constitutionem et relationes essentiales, quae inter religiosam ac civilem societatem intercerdere debent, reliquum est perpendere atque convellere multiplices gravissimosque errores qui hac in re usque nunc obtinuerunt, et fortasse in posterum fingi possent.

Omnes errores Jus Publicum Ecclesiasticum, sive Internum, sive Externum respicientes recte ac commode ad sex classes fundamentales, in varias species seu plures gradationes distinctas, revocari queunt, unde orta et conflata sunt cuncta falsa systemata, quae Juri Publico adversantur et hoc loco insinuare satis erit: 1.° *democraticos* (participationem *populi* ecclesiastico regimini—Marsilianismum, Protestantismum et Richerianismum); 2.° *aristocratico-presbyterales* (interventum

Presbyterorum in Episcopali jurisdictione—Presbyterianismum); 3.° *aristocratico-episcopales* (concursum *Episcoporum* in suprema Ecclesiae gubernatione—Gallicanismum, Febronianismum ac Jansenismum); 4.° *archiereucraticos* (exclusivum *Summis Pontificis* imperium pro Ecclesia regenda—Ultrapapismum); 5.° *anactocraticos* (competentiam *Principum* ad cognoscendas et moderandas res ecclesiasticas—Gallicanismum, Regalismum et Caesarismum); 6.° *policraticos* (independentiam absolutam, juridicam aut practicam *civitatis*, hoc est, societatis civilis seu *Status* a Christi Ecclesia vel vera religione—Liberalismum).

Ex his erroribus quatuor prius recensiti potius ac directe ad Jus Publicum *Internum* spectant, duo postremi ad Jus Publicum *Externum* primario et immediate pertinent; animadvertendum tamen ducimus omnes haereticos, sectarios vel neotericos, qui errores Juris *Interni* sustinere ausi sunt, ut plurimum iis permiscere consueverunt errores Juris *Externi*; ideoque jure merito asseverare possumus auctores, patronos et asseclas recentiorum systematum saepenumero et fere semper a recto tramite aberrasse, sive quoad Jus Publicum Internum, verum conceptum naturae et constitutionis Ecclesiae praepostere exponendo aut prorsus depravando, sive quoad Jus Publicum Externum, dependentiam Ecclesiae a civili potestate pro aris et focis defendendo.

Sed cum praefati errores duplici pacto spectari queunt, nempe, *theorice* seu sub aspectu mere *doctrinali*, quatenus sunt affirmationes vel negationes veritati catholicae contradicentes; atque *practice* seu sub aspectu *historico*, quatenus in unum corpus collecti ac methodo subjectiva propositi in quamdam congeriem coalescunt, constituentes illam assertionum aut principiorum complexionem, quae systema vulgo subaudit, epocha determinata exortum, per unum vel alium auctorem excogitatum, atque majorem aut minorem perturbationem

in Ecclesia, regione, regno vel provincia gignens, recto ordini et debitae claritati consulentes, primum de cunctis erroribus *speculative* consideratis inquisitionem instituemus; postmodum vero quaecumque falsa systemata, quovis tempore, praesertim recentiori aetate, ab haereticis et sectatoribus forma *practica* et concreta adinventa in trutinam revocabimus, ut eorumdem vera origo, intima natura, historica evolutio atque ecclesiastica damnatio omnibus pateant.

217. In errore *democratico* quadruplex adest gradatio in schala, ut ita dicam, retrograda, hoc est, a majori et graviori ad minus et levius descendendo: quatuor hujusmodi gradus distinguere maxime refert.

1.° Praecipuus et gravissimus error democraticus situs est in eo, quòd universa potestas ecclesiastica ita populo tribuatur, ut ab ipso *plene* exerceri et *libere* retineri queat, utpote subjecto immediato, necessario ac principalissimo auctoritatis sacrae a Christo Domino institutae et directe fidelibus collatae (Hussitae, Wicleffitae, Marsiliani et Protestantes).

2.° Alter error est eorum qui contendunt omnem potestatem spiritualem equidem collatam esse populo, uti affirmant defensores primi erroris, sed ab eo necessario *transferri* debere in Pastores, quin liberum sit plebi christianae eam quomodolibet exercere, libere retinere vel diversos gradus Pastorum pro suo lubitu determinare, cum hi gradus jam a Christo instituti ac determinati sint.

Juxta hunc errorem, duo potissima jura populo competunt, nempe, *eligendi* ac *deponendi* Pastores; jam vero, ex natura atque exercitio hujus duplicis juris recte consequitur Praelatos teneri primum exquirere a populo *votum* juridicum tamquam normam regendi, judicandi et leges ferendi; quae autem a populo essent reprobata, vigorem non haberent; imo quae a Praesulibus proponerentur, tantum evaderent firma ex consen-

su populi, legesque tam dogmaticae quam disciplinares ab acceptatione coetus fidelium penderent: deinde etiam teneri plebem christianam interrogare, ut regulam agendi ab eadem recipiant; haec exploratio mentis ac voluntatis communitatis christianae fieri posset vel per *directam consultationem* populum convocando, vel per *indirectam interrogationem* suos representantes audiendo, vel per *electionem temporalem* Pastorum, ut sic per mandati renovationem et Antistites accurate populi votis responderent, et populus modum ordinatum haberet eos judicandi et dirigendi, salva semper potestate ipsos quoque deponendi ex gravi causa ante tempus constitutum, vel demum per *Consistorium* seu quoddam collegium laicorum, qui Pastori adsisterent et a quibus ipse normam acciperet: hujusmodi Consilium *laicum* posset esse *parochiale, dioecesanum, nationale* et *internationale*; inde in Ecclesia induceretur quaedam species *constitutionalismi* vel systematis *repraesentativi* apud Status politicos hodie vigentis (Richeriani et Febroniani).

3.° Alia forma erroris democratici posita est in asserendo, potestatem supernaturalem a Christo Domino institutam absque ulla dubitatione immediate conferri Pastoribus, et ab iisdem nomine proprio exerceri seu ex voluntate Divini Fundatoris, minime autem jure a populo *per transmissionem* communicato, uti effutiunt patroni secundi erroris; sed ad legitime acquirendam et valide exercendam ecclesiasticam auctoritatem requiri *concursum* juridicum populi in regimine Ecclesiae, tum *antecedentem* et mediatum per electionem Pastorum praestitum (plures catholici-liberales, qui magis moderati audiunt), tum *consequentem* mediante *acceptatione* legum, quae, sive novae sive antiquae essent, ab eo reprobatae vigorem amitterent, adeo ut, quamvis populus christianus non polleret jure legem ferendi et Pastoribus praescribendi, valeret tamen eorum potestatem restringere (plures Gallicani, qui pro consensu Ec-

clesiae non Episcopos, sed populum intelligebant).

4.° Postremus et minor erroris democratici gradus proprius est illorum, qui profecto doctrinam catholicam admittunt, ultro concedentes tum potestatem sacram a Christo immediate traditam fuisse Episcopis, tum eos valide nominari sine consensu pupuli, et nomine proprio seu vi divinae institutionis auctoritatem ecclesiasticam exercere; attamen autumant propter aequitatem atque meliorem ordinem consulendum esse populum sive in electionibus Pastorum, sive in Ecclesiae regimine, ex quo sequitur quaedam dependentia a populo, non utique *juridica*, sed mere *moralis*, omnino rejicienda etiam in hoc sensu, utpote inconveniens, periculis plena et a libertate atque juribus Ecclesiae plane absona (liberales mitiores, qui catholici adhuc videri volunt).

218. Vocantur errores *aristocratico-presbyterales* seu aristocratiae parvae aut inferioris, qui Presbyteris potestatem propriam majorem vel minorem adscribunt in ecclesiastico regimine.

Omnes norunt Tridentinam Synodum veluti dogma fidei definiisse Episcopos superiores esse Presbyteris, simulque hodiedum haberi tamquam doctrinam catholicam omnino tenendam, licet non expresse declaratam, ipsos Episcopos superiores esse *jure divino*, tam potestate ordinis quam potestate jurisdictionis.

Hoc principio dogmatico-juridico constituto, tres gradationes distinguere licet in errore aristocratico-presbyterali sanae doctrinae repugnantes.

1.° A veritate catholica desciverunt neoterici illi, qui sustinent Episcopos jure divino aequales esse Presbyteris, atque eatenus concedunt superioritatem tantum jure ecclesiastico, quatenus accedat consensus caeterorum presbyterorum, ita ut, juxta absurdum ejusmodi sectariorum commentum, Episcopi non solum ab aliis presbyteris potestatem recipiant eaque possint expoliari, verum etiam eam exercere teneantur sub vigilantia

aut dependentia et nomine presbyterii (Presbyteriani puri ut haeretici damnati).

2.° A veritate catholica recedunt, qui libenter admittunt distinctionem ac superioritatem Episcoporum supra Presbyteros jure divino quoad potestatem ordinis, eisdem etiam concedentes jurisdictionem propriam ac principalem, sed tamem presbyterio jus adjudicant participandi deliberative regimini dioecesis, hoc est, cum voto vere decisivo, non mere consultativo (Presbyteriani mitigati, condemnationem Tridentinam effugere volentes).

3.° A veritate catholica etiam discedunt, qui contendunt saltem gradum parochorum esse juris divini, ac proinde eos auctoritate propria in suis paroeciis potiri, non vero ab Episcopis jure mediante delegata, asserentes insuper, Episcopos auctoritatem tantum *extraordinariam* in parochos habere, id est, dumtaxat intervenire posse ad corrigendos excessus vel suplendos defectus, si quando negligentes fuerint aut rectos limites transgrederentur in obeundo munere pastorali (Janseniani parochos supra Episcopos extollentes, sicuti antea Episcopos supra Romanum Pontificem exaltaverant).

219. Errores *aristocratico—episcopales* seu aristocratiae superioris nuncupantur, qui Episcopis participationem tribuunt supremae potestati Ecclesiae; enumerantur pariter tres errores, omnes equidem gravissimi atque damnati, sed, prouti antea animadvertimus, quamdam progressionem seu proportionem descendentem servantes.

1.° Error eorum qui divinam *institutionem* et *suprematiam* Primatus Pontificii inficiantur, asserentes omnes Episcopos jure divino esse aequales, ideoque regimen Ecclesiae esse mere aristocraticum (Schismatici Orientales, Rutheni, aliique Principatus a communione Sedis Romanae disgregati).

2.° Error eorum qui Primatum Summi Pontificis ejusque divinam originem agnoscunt, sed tamen *plenitudinem* auctoritatis primatialis diffitentur, affirmantes Episcopos ita limitare potestatem dogmaticam et disciplinarem Romanorum Pontificum, ut Episcoporum consensus sive concursus vel praecedens, vel concomitans in Conciliis, vel subsequens sit necessarius. Juxta hoc commentum, regimen Ecclesiae evadit mixtum ex elemento aristocratico et monarchico, atque Summus Pontifex est superior pro singulis Episcopis *distributive*, sed non *collective*, quia potestatem non exercet in corpus Episcoporum (plures et antiquiores Gallicani nomine consensus Ecclesiae tantum Episcopos intelligentes).

3.° Error eorum qui *naturam* Primatus impugnant, contendentes Episcopos potestatem Romani Pontificis quoad modum eam exercendi restringere posse, adeo ut tantum extraordinarie liceat ei in negotiis Ecclesiarum particularium intervenire, quamvis permaneat semperque habeatur tamquam centrum ecclesiasticae communionis et catholicae unitatis vinculum (Richeriani, Febroniani, Jansenistae et Eybelliani).

220. In nomenclatura errorum supra exposita *archiereucraticos* appellavimus doctrinas vel placita quaecumque potestatem pontificiam extollentia et amplificantia, plus quam fert ipsa institutio et natura Primatus a Christo Petro ejusque Successoribus collati: etsi enim in Pontifice Maximo, ex Dei dispositione et Conciliorum definitione, praesertim Florentina et Vaticana toties laudatis, tota resideat plenitudo potestatis supremae, ordinariae et immediatae, tamen hac super re dari queunt errores per *excessum*, et reapse occasione celeberrimae controversiae circa originem jurisdictionis Episcoporum, prout opportuno loco annotavimus, nonnulli canonistae in ea quaestione pertractanda ita versantur, ut Episcoporum potestatem vere deprimant, censentes eam sic a Pontifice impertiri, perinde ac si Episcopi

ministri aut vicarii Romani Pontifices essent: quapropter ad omnem confusionem, aequivocationem vel exaggerationem, ex nimio zelo et bona fide fortasse exortam, tollendam, libet haec animadvertere:

1.° Error esset credere aut docere Episcopos non habere potestatem ordinariam et propriam, sed tantum delegatam a Romano Pontifice, uti fit in Vicariis Apostolicis.

2.° Error esset tradere aut profiteri Episcopos potestate ordinaria frui verum eam non solum esse dependentem atque limitabilem a Summo Pontifici, quod divinae institutioni, rectae rationi et doctrinae catholicae valde consentaneum putatur, sed etiam ita restringi posse, ut fere evanescat vel inutilis in Ecclesia evadat, aut prorsus illusoria reddatur Christi institutio.

3.° Error esset asseverare gradum Episcopalem a Romano Pontifice aboliri posse, universamque Ecclesiam gubernari per meros Vicarios charactere episcopali vel presbyterali insignitos; licet enim gradus episcopalis sit dependens, quia potestas Episcoporum intra fines Dioeceseon contineatur et Summo Pontifici obnoxia existat, et aliunde hic Vicarios creare possit tum in Ecclesiis constituendis, tum in constitutis, tamen tria certa atque inconcussa in quaestione tanti momenti tenenda sunt, videlicet: [a]) Ecclesiam ex divina ordinatione per Episcopos regulariter et perpetuo esse regendam; [b]) Episcopos portioni gregis christiani sibi assignatae nomine proprio praefici tamquam veros Pastores Rectoresque suarum ovium; [c]) ipsos demum repraesentare non Pontificem eos delegantem, sed gradum Episcopalem a Christo Domino institutum: hinc defensores contrariae doctrinae *ultrapapistas* seu *exclusivistas* fas est denominare, quia Pontifici *plus* potestatis attribuunt, quam Christus Dominus Petri Successoribus contulit, simulque contra Divini Institutoris voluntatem in supremo Ecclesiae regimine monarchiam *exclusivam* inducunt.

221. Errores *anactocraticos* dicimus perniciosas doctrinas et falsa Regalistarum placita, quae Principibus saecularibus jus proprium deferunt sese immiscendi in rebus ecclesiasticis: in hac quinta nostrae classificationis categoria duplex error discriminari debet, alter *specialis*, proprius Regalismi *stricte* sumpti; alter *generalis* et communis, qui Regalismum *late* et *usualiter* usurpatum constituit.

Primus error, saeculo XVII ineunte in Gallia valde pervulgatus, Regibus et Principibus velut jus coronae innatum (Regaliam) facultatem tribuebat percipiendi redditus beneficiorum ecclesiasticorum vacantium, necnon conferendi beneficia non curata, Sede vacante.

Secundus error essentiam propriam atque fundamentale principium Regalismi *generice* sumpti exprimit, prout ejusmodi exitiale systema vulgo accipitur et recentiori aetate fere apud cunctas nationes in praxim deductus est: sistitur in eo quod Regibus Summisque Imperantibus adscribatur potestas nativa et insita, veluti quoddam attributum principatui inhaerens, in religionis negotiis interveniendi et Ecclesiae regimini participandi.

222. Postremo loco recenseri merentur errores *policratici*, utpote hodie ubivis gentium gliscentes, perturbationem undequaque gignentes, atque ex novissimo et forsitan omnium perniciosissimo systemate, quod nomine Liberalismi venit, profluentes vel potius essentialiter ac inseparabiliter eidem inhaerentes.

Error fundamentalis policraticus independentiam Status seu civilis auctoritatis ab Ecclesia et religione proclamat, sive *juridice*, hoc est, tamquam jus essentiale Statui ad sui constitutionem et publicum populorum regimen, sive *practice*, id est, velut factum definitivum ad bonum utriusque societatis, tum civilis, tum religiosae, ordinatum, et conditionem socialem, spectatis rerum adjunctis, progressui et civilitati temporum

maxime adaequatam; sed, quamvis unum sit principium fundamentale, idem character atque communis scopus praefati erroris, triplicem tamen formam praesefert ejusmodi Proteus, quae nobis occasionem praebet tres gradationes distinguendi in evolutione tam logica quam historica hujus damnatae et subversivae theoriae.

Prior gradus seu error policraticus *purus* adstruit et tuetur, tamquam veritatem absolutam et jus inconcussum, independentiam *exclusivam* Status a Christi Ecclesiae et religione revelata, ita ut societas religiosa, ad instar cujuslibet collegii aut imperfectae adsociationis, supremae potestati politicae subjici teneatur.

Alter gradus seu error policraticus *mitigatus* agnoscit *mutuam*, independentiam Ecclesiae ac Status, quin ecclesiastica potestas auctoritati civili subjaceat, nec potestas saecularis religiosae auctoritati subsit.

Postremus atque minimus gradus, nempe, error policraticus *catholicus* per antithesim nuncupatus in *praxi* admittit ac propugnat separationem Ecclesiae et Status ut factum definitivum a nationibus et politicis guberniis communiter et passim receptum in actuali rerum conditione et propter quamdam, nescio, convenientiam, exigentiam vel utilitatem utriusque societatis.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

223. Recensio *historica* praecipuorum systematum Juri Publico Ecclesiastico adversantium.—224. MARSILIANISMUS: ejus origo.—225. Natura.—226. Evolutio.—227. Damnatio.—228. PROTESTANTISMUS: ipsius ortus. —229. Character.—230. Progressus.—231. Anatematizatio conciliaris.—232. RICHERIANISMUS: ejusdem principium.—233. Indoles.—234 Explicatio.—235. Condemnatio authentica.

223. Octo praecipua memorantur systemata, sedulo studio et accurata inquisitione digna, quae a recta

catholicae doctrinae via prorsus aberrarunt, vel etiam hodiedum crebro ac miserrime a semita justitiae, religionis et veritatis divertuntur, nimirum: Marsilianismus, Protestantismus, Richerianismus, Gallicanismus, Febronianismus, Jansenismus, Regalismus atque Libelismus.

Singula systemata perpendere intendimus, etsi tantum sub respectu *juridico*, hoc est, quatenus uniuscujusque principia consonantiam cum Jure Publico Ecclesiastico habent, vel dissonantiam ab eodem exhibent; sed ut ejusmodi conformitas vel difformitas melius innotescat, quatuor brevissime investigabimus: 1.° *originem* historicam cujuscumque systematis seu epocham apparitionis in ordine religioso-sociali; 2.° *naturam* seu elementum essentiale ac constitutivum; 3.° *evolutionem* seu vim diffusivam, exitum positivum et majorem vel minorem influxum penes populos et nationes; 4.° *damnationem* seu auctoritativum Ecclesiae judicium dictis vel factis emissum super has theorias omnigenos errores complectentes.

Marsilianismus.

224. *Origo.* Marsilius Menandrinus, Patavinus passim dictus, causa honestandi atque vindicandi iniquam agendi rationem ac violentas intrusiones Ludovici Bavari, schismatici Imperatoris a Joanne XXII excommunicati, eo quod Sedem Apostolicam oppugnare Romanumque Pontificem deponere nefario conatu ausus est, primus omnium, saeculo XIV ineunte, asseruit sacram potestatem populo esse traditam, ecclesiasticam constitutionem funditus evertens in libro, quem sub titulo *Defensorium pacis* edidit.

225. *Natura.* Marsilius in suo opere errores Juris Publici tum Interni, tum Externi docuit; contra Jus Ecclesiasticum *Internum* contendit: 1.° summam potesta-

tem esse in toto coetu fidelium, idque jure ipso naturae societatibus omnibus communi; 2.° potestatem Ecclesiae propriam non esse in cogendo, sed in monendo tantum, in concionando, aliisque mediis hujus generis: deinde vero, intuitu Ludovico pseudo-imperatori adblandiendi, errores adversus Jus *Externum* addidit, asserens potestatem a populo translatam fuisse in Principes fideles, ut eam Episcopis communicarent, et maxime in Imperatorem, qui ipsam Papae et sui Imperii Episcopis impertitur; sin autem Principes infideles fuerint, tunc transferri in Episcopos, sed cum subjectione ipsi populo et Principibus.

226. *Evolutio.* Marsilius Patavinus jure merito censetur velut patriarcha cunctorum haereticorum vel Ecclesiae hostium qui in posterum sacratissima ejus jura laedere, divinamque constitutionem pervertere palam ac impie veriti non sunt.

Ex disciplina Marsilii potissimum prodiere Protestantes, qui ejusdem librum oblivioni jam traditum denuo excudere et divulgare coeperunt; et quidem sacrorum Reformatores vestigia tum Hussitarum et Wicleffistarum, tum Heraetici Patavini prementes, inficiati sunt Ecclesiam esse jure divino societatem supremam, necessariam atque inaequalem plena et immediata potestate praeditam; eam proinde communiter accensuerunt societatibus voluntariis, aequalibus ac imperfectis, quae imperio proprio atque independenti potestate omnino carent, auctoritatem spiritualem in populum christianum vel potius in Principes transferentes.

Et qui Novatores sequuti sunt, quacumque denominatione vocentur, aperta mente vel fucato nomine, explicitis terminis vel artificio verborum, omnes consentiunt in tribuendo coetui fidelium aut Principibus saecularibus potestatem divinitus institutam et ecclesiasticis personis seu sacro subjecto tantum atque immediate collatam.

227. *Damnatio.* Versipellis Consiliarius Ludovici

Bavari, instigator schismatis tunc temporis Ecclesiam vexantis ac propugnator falsae et seditiosae doctrinae tandem damnatus est a Joanne XXII pluribus editis Litteris, praesertim vero celebratissima Constitutione *Licet* die 23 Oct. an. 1327 expedita (1).

Protestantismus.

228. *Ortus*. Non est necessarium diutius immorari in exponenda re omnibus explorata; compertum namque est saeculo XVI ortam esse et fere in cunctis Europae regionibus celerem propagationem obtinuisse haeresim omnium perniciosissimam, quae sub larvato nomine Reformationis Sacram Scripturam privata interpretatione corrumpere, dogmata christiana multiplici errore evertere, Ecclesiam Catholicam systematicis accusationibus impetere, omniaque traditionis documenta prorsus adulterare effreni audacia et nequissimo conatu aggressa est.

Sed quamvis hoc nefastum atque ominosissimum factum tot clades tantaque mala, tum in ordine historico et sociali, tum in ordine theologico ac morali intulerit, tamen vix recenseri possunt damna atque perturbationes, quas sub respectu juridico et canonico in societate christiana invexit: etenim ex Protestantismo uti ex vitiato fonte originem duxerunt recentiora systemata, quae sub diversa denominatione atque scientifico apparatu Ecclesiam perturbarunt.

Ex quo enim Lutherus, pater haereticorum postremae aetatis, et antesignanus omnium novatorum, quotquot recentiori tempore exstitere, afirmavit neque Pontifici, neque Episcopis ullam, nisi ex fidelium con-

(1) Qui plenam erroris marsiliani refutationem legere velit, consulat Albertum Pighio *De Hierarchia Ecclesiastica*, Lib. V.

sensu potestatem esse, docens (1) suos asseclas regimen Ecclesiae esse democraticum, quippe tota potestas est penes multitudinem, a qua Pastoribus seu ministris communicatur, ut ipsius nomine et consensu exerceatur; ex tunc temporis inquam, omnes neoterici, qui procudendis propriis systematibus curam impenderunt, sive Richeriani ac Gallicani, sive Febroniani et Janseniani, sive Regalistae et Liberales, sub una vel alia forma, verum conceptum naturae, constitutionis, et supremae Ecclesiae independentiae depravare atque transvertere nisi sunt, uti apertissime testatur Historia sectarum novissimae aetatis.

229. *Character*. Protestantes igitur falsa Sacrae Scripturae interpretatione suffulti, ex eo quod Christus Dominus, juxta D. Petrum, nos fecit *regale sacerdotium*, pro suo libitu colligere et asserere non dubitarunt universam potestatem ecclesiasticam populo christiano seu corpori fidelium immediate fuisse traditam; sed huic errori Juris *Interni* circa perfectam *aequalitatem* omnium fidelium versanti miscere solent errores Juris *Externi* dependentiam Ecclesiae a civili potestate conclamantes; etenim quique Novatores audiunt dogma catholicum de *perfectione* quae juridice competit societati a Christo conditae, magno impetu adoriuntur, et omnino pernegant Ecclesiam esse ex eo genere societatum, quas *inaequales* seu *Status* juristae appellant, ubi nempe alii sunt qui *imperium*, et illud quidem *summum* atque *independens* exercent, et alii quorum omnis gloria in obediendo sita est; omnes effutiunt et voce elata conclamitant Ecclesiam juridice spectatam tantum obtinere locum ac conditionem cujuscumque alii collegii aut consociationis imperfectae, quam erroneam doctrinam his verbis complexus est Justus Hennigius Boehmerus: "Sicut alia Collegia in civitatibus societates aequa-

(1) Lib. *de Captiv. Babyl.*

les sunt, ita etiam Ecclesia tum ex mente Salvatoris et praxi Apostolorum, tum ex natura Religionis imperium respuentis, tum ex Rerumpublicarum indole, quae non admittunt Statum in Statu„ (1).

230. *Progressus.* Protestantes in expositione Juris Publici Ecclesiastici nullo pacto ad invicem consentiunt, sed hac super re sicut in caeteris doctrinae capitibus ad fidem vel mores spectantibus in prope innumeras sententias abiere, uti explicite fatentur ipsi historici atque juristae Reformationis, qui praecipua laude citari solent; nam Pfaffius et Moshemius decem systemata circa naturam Ecclesiae universim inspectam recensent, et initio nostri saeculi Schenkl, omissis quibusdam opinionibus minoris momenti, plusquam triginta systemata commemorat (2).

Tamen pro explicanda transmissione auctoritatis sacrae in saecularem potestatem, ita ut ad Statum vel Principem dumtaxat competat negotium religionis moderare et res spirituales dirigere atque ordinare, tria praecipua systemata apud Protestantes obtinent, *episcopale, territoriale* et *collegiale.* Systema *episcopale* a Matthaeo Stephani excogitatum in sola Germania praevaluit, atque in eo positum est quod potestati civili auctoritatem episcopalem *jure devolutivo* adscribat post pacem Augustanam; ajunt enim ejus patroni, quamvis auctoritas Ecclesiae Episcoporum propria sit, attamen suspenso jure eorumdem in Diaeta Augustae (1555) pro iis qui confessionem Augustanam amplexi sunt, omnem auctoritatem episcopalem Principibus definitive fuisse *devolutam.* Systema *territoriale* ita nuncupatum, quia Statui vindicat potestatem in Ecclesiam, eo ipso quod Ecclesia in territorio Status sit, in censum propugnato-

---

(1) *Instit. Jur. Ecclesiast. ad methodum Decretalium*, lib. I. tit. I. §. 5.

(2) *Instit. Juris Eccles. Prolegom.* § 46 *in nota.* Qui ea cognoscere velit videat Tarquini—*Juris Eccles. Pub. Instit.* Lib. II, cap. II.

rum refert Thomasium, Hugonem Grotium et Boehmerum; in Hollandia et Anglia maxime receptum fuit, et notissimum effatum proclamavit: *illius est religio, cujus est regio.* Denique systema *collegiale* a Puffendorfio primum enunciatum et postea a Voet in Hollandia (1667) et Pfaffio in Germania (1719) defensum, Statui confert potestatem in sacra et religiosa, tum quia Ecclesia, etsi societas distincta et autonoma, est collegium, et Status jure majestatico potitur supra omnia collegia auctoritati suae supremae subalternata; tum quia facto populi potestas, qua gaudebat Ecclesia seipsam regendi, in Principem translata est.

231. *Anathematizatio.* Errores *juridici* systematis Protestantium protriti fuere, sicut *dogmatici* et *morales*, uti omnes sciunt, in Oecumenico Concilio Tridentino, praesertim vero in Sessione XXIII, in qua de Sacerdotio Novae Legis et Ecclesiastica Hierarchia actum est. Haec sacrosancta Synodus die 22 Maii anni 1542 Bulla Indictionis Pauli III *Initio nostri hujus Pontificatus* adversus Lutherum, Zuwinglium, Calvinum, aliosque plures Novatores convocata, et ab anno 1545 die 13 Decembris usque ad annum 1563 sub tribus Romanis Pontificibus Paulo III, Julio III ac Pio IV celebrata, demum die 4 Decembris anni 1563 absoluta est, atque Bulla Pii IV *Benedictus Deus* die 26 Januarii anni 1564 edita solemniter confirmata.

Decreta hujus celebratissimi Concilii, quamvis maximi momenti sint, utpote quae Jus Novissimum constituant, hic recensere supervacaneum foret, tum quia ejusmodi Concilium omnium manibus teritur, tum etiam quia ejus studio et expositioni in Jure Privato locus proprius assignatus est.

RICHERIANISMUS.

232. *Principium.* Edmundus Richerius Syndicus Facultatis Sorbonicae sub finem saeculi XVI et initio

XVII systema ejus proprio nomine cognitum edocuit.

Singularis suae theoriae fundamenta jecit in Libello *de Ecclesiastica et Politica Potestate,* ubi sic tradit: "Deum et naturam prius atque immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere, eamque ob causam facultatem videndi ex. gr. datam esse homini, ut per oculum, tamquam organum et ministrum hominis exerceretur. Nam oculus per et propter hominem existit.„ Ex hoc principio duas conclusiones eruit: 1.am *Christum fundando Ecclesiam prius et immediatius claves seu jurisdictionem toti dedisse Ecclesiae, quam Petro:* 2.am *Papam et Episcopos nonnisi ministros esse, ut jurisdictionem illam exerceant nomine et consensu totius corporis.*

Deinde Richerius in *Brevi Historia Conciliorum Generalium* suum systema saepe defendit.

233. *Indoles.* Systema Richerianum sub aspectu Juris Publici *Interni* consideratum: Richerius potestatem ecclesiasticam in *principalem* et *ministerialem* distinguit; *principalis* seu quae a principe habetur est potestas alicui directe et proprie competens; *ministerialis* dicitur quae principis nomine et sub ejus vigilantia exercetur.

Potestas *principalis,* hoc est, summa, propria atque plena, juxta Richerium, *immediatius* et *essentialius* a Christo Domino populo christiano seu toti corpori fidelium tradita fuit; hinc facile erat colligere: 1.° leges dogmaticas et disciplinares vim cogendi habere, si populi consensu confirmentur; nullius valoris esse, si a plebe christiana reprobentur; 2.° leges generales acceptatione cuncti populi christiani egere; particulares autem fidelium respectivae Ecclesiae, Provinciae vel Dioeceseos.

Potestas *ministerialis* universo ordini hierarchico, id est, Romano Pontifici qui Beato *Petro,* Episcopis qui *Apostolis,* et Presbyteris qui *discipulis* succedunt, ab i-

pso Christo *immediate*, licet diverso gradu collata est; ita ut Episcoporum et Presbyterorum, in specie autem Parochorum jurisdictio non a Romano Pontifice, vel ab Ordinario, sed ab ipsomet Christo *immediate* derivetur. Sed cum inter hos ministros Ecclesiae diversa sit gradatio, haec unicuique competunt ex placito Richerii.

1.° Romanus Pontifex est *Caput ministeriale* totius Ecclesiae, a Christo constitutus ad unitatem in universo orbe Christiano conservandam per custodiam et exsecutionem canonum; ejusque potestas regimine *aristocratico* temperata est, quandoquidem, uti asserit auctor, ipse obligare nequit Ecclesiam inconsultam, dissentientem, invitam, vel inauditam; hinc pronum erat inficiari, prout fecit Richerius, suprematiam, plenitudinem et infallibilitatem Primatus Pontificii; *suprematiam*, quia potestas ministerialis Romani Pontificis est limitata potestate ministeriali Episcoporum in Ecclesia regenda; *plenitudinem*, siquidem auctoritatem tantum habet in Ecclesias particulares per mundum dispersas, minime vero in Ecclesiam universalem in Concilio congregatam; attamen quoniam Concilium nequit esse permanens, Summus Pontifex ut minister Concilii potest: [a]) exsequi canones, eorumque observantiam urgere; [b]) legem divinam, naturalem et canonicam juridice atque auctoritative interpretari; [c]) canones conciliorum generalium dispensare loco Concilii non adunati, in iis tantum casibus, in quibus ipsum Concilium, si esset congregatum, dispensaret, nempe pro bono communi Ecclesiae, non privatorum; [d]) leges seu canones tum in ordine dogmatico, tum in disciplinari condere, necessitate postulante, hoc est, cum nequeat Concilium convocari, sed dumtaxat *in actu primo;* nam *actus secundus*, ait Richerius, seu causa formalis et actualis obligandi ab Ecclesiae consensu dependet, ideoque pontificium decretum non est firmum, nisi accedat universalis Ecclesia approbatio; denique logicum erat Pontificis *infallibilitatem* dif-

fiteri, quippe, hac praerogativa soli Ecclesiae et nullo modo Petro concessa, et nomine Ecclesiae subaudito semper populo seu coetu fidelium, ad hanc conclusionem necessario deveniendum, nimirum: Romanus Pontifex ante assensum Ecclesiae in doctrina fidei atque morum non est infallibilis.

2.° Episcopi in hoc systemate potestatem immediate a Christo collatam exercent, sed tantum ministerialem, nomine coetus christiani et sub ejus dependentia: inde leges, sive in Synodo, sive extra Synodum editae indigent populi acceptatione, quae *per presbyteros curatos,* tamquam organa judicii et consensus pupularis, hierarchice praestatur.

3.° Presbyteri et praesertim Parochi potestate ordinaria, etiamque immediate a Domino accepta gaudent; hinc Episcopi, uti Jansenistae blaterare ausi sunt, auctoritatem tantum extraordinariam in parochos exercere valent, nempe ad excessus corrigendos vel defectus supplendos.

Si autem praefatum systema relate ad Jus Publicum *Externum* spectetur, docuit Richerius Ecclesiam neque vim coercitivam habere, ideoque de mediis necessariis ad beatitudinem judicare posse tantum suasive ac directive, non coactive seu poenas temporales irrogando: Principem autem, ut dominum Reipublicae et territorii, vindicem ac protectorem esse legis divinae, naturalis et canonicae, ita ut ipsi competat leges figere, gladium distringere, et appellationes, quas *ab abusu* vocant, recipere.

234. *Explicatio.* Ex Edmundo Richerio in linea recta descendunt Febroniani qui ejus errorem amplexati sunt, necnon Jansenistae, qui ad exercitium ecclesiasticae jurisdictionis fidelium consensum exigebant, uti liquet ex propositione XC Quesnellii expresse damnata: *Ecclesia potestatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per Primos Pastores de consensu saltem praesumpto ipsius corporis.*

Doctrina autem Edmundi Richerii, prout scite animadvertit Card. Soglia, non solum ecclesiasticae, sed etiam civili potestati infensissima est, ita ut post editum ejus libellum, fere omnes utriusque potestatis hostes Richerium ducem sequuti sint.

235. *Condemnatio*. Libellus *de Ecclesiastica et Politica Potestate*, in quo Richerius suum systema explanaverat, jure meritoque damnatus fuit a provinciali Synodo Parisiensi anno 1612; a Concilio provinciali Aquensi eodem anno; a pluribus decretis Sacrae Congregationis Indicis, id est, 10 Maii 1613 sub Paulo V; 2 Decembr. 1622 sub Gregorio XV; 4 Martii 1709 sub Clemente XI; denique ab Innocentio XI peculiari edito Brevi anno 1681, in quo etiam speciali censura notata est *Historia Conciliorum Generalium* ejusdem Richerii.

Facultas ipsa Sorbonica Richerium ob eam causam de gradu Syndici Theologicae Facultatis dejecit, juxta narrationem Spondani ad annum 1612 ita ajentis: "Idemque Richerius auctoritate regia, et decreto facultatis: depositus est a Syndicatus ejusdem facultatis, quem gerebat. Fuerunt etiam multi, qui contra eumdem libellum scripserunt; plenissime confutavit Andreas Duvallius insignis Doctor Sorbonicus, et Regius Theologiae Professor in Universitate Parisiensi Primarius".

Demum ipse Richerius declarationibus editis errorem cognovit et reprobavit, seque doctrinam suam seu potius haeresim ex putridis Lutheri et Calvini fontibus hausisse professus est; et quamvis, ut fertur, bis simulato animo systema suum improbaret, tertio sincere se retractavit anno, antequam vita cederet nempe 1630 (1).

---

(1) De hoc systemate consuli possunt: Joann. Baptista Faure—*Dissertatio adversus Richeristas*, tom. 12 Thesauri Theol. F. A. Zachariae; Veith—*Richerii systema confutatum*; Charlas—*De Libert. Gallic.* Lib. XII, alias IX.

ARTICULUS III.

SUMMARIUM.

236. GALLICANISMUS: ipsius primordia.—237. Elementa constitutiva. — 238. Propagatio.—239. Canonica proscriptio.— 240. FEBRONIANISMUS: ejus initium.—241. Scopus proprius.—242. Diffusio. —243. Ecclesiastica censura.—244. JANSENISMUS: exordium hujus versutae sectae. —245. Nota characteristica.—246. Extensio.—247. Reprobatio pontificia.

GALLICANISMUS.

236. *Primordia.* Qui systema Gallicanum praeclaro aliquo nomine honestare student, ejus originem a Concilio Turonico I, vel saltem a S. Ludovico IX repetere solent, sed magna cum injuria; etenim pius Rex loquitur tantum de exemptionibus Ecclesiae Gallicanae a laicorum oppressionibus, non autem a Romani Pontificis auctoritate.

Vera Gallicanismi origo a miserrima Occidentalis Schismatis aetate *materialiter* et *remote* videtur esse repetenda, quo ex tempore Reges sese immiscere coeperunt rebus ecclesiasticis, qui abusus postea retentus, potestate politica urgente, sensim sine sensu apud varias nationes ita summopere excrevit, ut in violentam intrusionem atque iniquam usurpationem certe conversus fuerit: *formaliter* vero ac *proxime* origo hujus systematis ducenda est a Ludovico XIV, cum hic praepotens rex, adversus Innocentium XI venerabilis memoriae Pontificem hostilem animum gerens, congregavit anno 1682 XXXIV Episcopos ex LXIV quos Gallia habebat, qui regio placito serviliter indulgentes quinque seu potius quatuor *propositiones* (nam quinta ad evulgationem priorum pertinet) ediderunt, quae celeberrimam Cleri Gallicani *declarationem* constituunt, et ad quas veluti totidem germina revocari possunt notissimae *Liber-*

tatis Gallicanae, quas egregius Fenelonius, insignis Archiepiscopus Cameracensis vocabat ***servitutem Ecclesiae erga Regem, et adversus Romanum Pontificem licentiam.***

237. *Elementa constitutiva.* Natura propria praefati systematis liquido colligitur ex quatuor cleri gallicani propositionibus, earumque consectariis, quae ita se habent:

1.ª Prop. (contra *plenitudinem* Primatus Pontificii): ***Romani Pontifices nulla gaudent jurisdictione, neque directa, neque indirecta, in Reges atque civilia negotia seu res temporales.***

2.ª Prop. (contra *universalitatem* Primatus Pontificii): ***Auctoritas Concilii Generalis, etiam excluso tempore schismatis, superior est auctoritate Romani Pontificis.***

3.ª Prop. (contra *suprematiam* Primatus Pontificii): ***Potestas Sedis Apostolicae juri communi subjacet, hoc est, coarctatur tum per canones universales jam conditos, tum per consuetudines atque instituta a Regno et ab Ecclesia Gallicana recepta.***

4.ª Prop. (contra *infallibilitatem* Primatus Pontificii): ***Judicium Romani Pontificis non est censendum irreformabile, nisi accedat Ecclesiae consensus.***

Ex doctrina in recensitis propositionibus contenta tria corollaria deducebant Gallicani, quae ***Regni instituta*** appellabant et ad tertiam propositionem commode revocari queunt; sunt sequentia:

1.m *Appellatio ab abusu,* quae est iniqua illa consuetudo subjiciendi Ecclesiam Magistratibus civilibus, ad eos appellando a sententiis judicis ecclesiastici eo nomine, quod ille auctoritate sua perperam atque injuriose usus fuerit.

2.m *Placitum Regium,* id est, pessima altera consuetudo, qua Constitutiones Apostolicae, ipsaeque etiam Episcoporum Pastorales Litterae, quas dicunt *mandata,* in vulgus edi servarique vetantur, nisi Rex aut civilis Magistratus id permittat.

3.ᵐ *Regius patronatus et custodia canonum*, quo nomine libera fit Regi facultas quibuslibet Ecclesiae negotiis sese miscendi.

Libertates et Instituta Gallicana magno cum ardore defensa fuere, ita ut Rex edicto 2 Martii 1682 ea omnibus proposuit tamquam legem generalem et doctrinam nationalem, et in corroborationem tyrannidis hujus elati Principis atque ejus aulicorum opprobium Historia testatur virum integerrimum et strenuum jurium Ecclesiae propugnatorem, nimirum Dom Carles Canonicum regularem et Vicarium generalem Apamiarum (Pamiers in Aquitania) fuisse a Metropolitano Tolosate destitutum et a tribunali laico morti furcae damnatum inaudita saevitia et summo bonorum moerore.

238. *Propagatio*. In Gallicanismo triplicem periodum distinguire oportet: *incubationis*, ut ita dicam, saeculis XIV, XV et XVI tempore Joannis Gersonii, Petri d'Alliaci, Joannis Majoris, Jacobi Almaini aliorumque; *explosionis*, saeculo XVII sub Ludovico XIV, cum Coetus cleri habitus est et edita celebris *declaratio*; *dissolutionis* seu *degenerationis*, saeculo XVIII, ex quo tempore in duas species subdividitur, *practicum* et *speculativum*; primus *politico-religiosum* se exhibet, et in contentionibus et disidiis novissimae aetatis passim personat; alterus potius apparet *theologicus*, et maxime penes scientificas academias enitet, et in scholas ecclesiasticas suas theorias invehere nititur.

Hinc fas est Gallicanos in quatuor genera tribuere: *mitiores* (saec. XIV, XV et XVI) qui asserebant Concilium esse Papa superius, atque Reges a Romano Pontifice deponi non posse causa mere temporali, sed tantum ob crimen haeresis; *rigidiores* (saec. XVII), nempe Ludovicum XIV, Episcopos, Clerum Gallicanum, omnesque defensores quatuor propositionum, quae *plenitudinem, extensionem, independentiam* atque *infallibilitatem* Primatus Pontificii impugnabant. Inter hos memorari

merentur nonnulli plus *moderati*, uti Petrus de Marca aliique illius temporis scriptores, qui contendebant Libertates, Consuetudines et Instituta Gallicana eatenus admitti et custodiri debere, quatenus pro se haberent Apostolica privilegia vel tacitum Sedis Romanae consensum; sed prorsus rejicienda essent, si illis valor et vis cogendi impertiretur tamquam juribus propriis et coronae insitis.

Post Gallicanismi condemnationem ejus asseclae in duos surculos dividuntur totidem scholas efformantes: scholam *aulicam* et *ultragallicanam,* quae agmen Jansenianum augere devenit, necessitatem consensus Ecclesiae ad firmitatem legum conclamans et pro Ecclesia intelligens acceptationem et interventionem populi, non vero Episcoporum, juxta sententiam veterum Gallicanorum; scholam *theologicam* et *apologeticam* (Gratry, Doupanloup, Montalemberg, Broglie, etc.) contrariam primum Pontificiae *infallibilitati,* postea in Concilio Vaticano *opportunitati* dogmaticae definitionis: haec schola semper habita est velut minus addicta Sanctae Sedi aut parum praestans amore, obsequio et adhaesione erga Romanum Pontificem.

239. *Proscriptio.* Declarationem Cleri Gallicani reprobarunt Romani Pontifices Innocentius XI per litteras in forma Brevis die 11 Aprilis anno 1682, Alexander VIII Const. *Inter multiplices* die 1 Augusti an. 1690, Pius VI Cons. *Auctorem fidei* die 28 Aug. an. 1794. Etiam Episcopi Gallicani, qui eam edidere, deinceps rejecerunt, et ipse Ludovicus XIV, litteris seorsim datis ad Innocentium XII, anno 1693, libertates et acta in conventu Cleri revocavit.

FEBRONIANISMUS.

240. *Initium.* Ex doctrina Edmundi Richerii atque ex ipsis Protestantium erroribus totum prodiit sy-

stema *Febronianum*, sic appellatum a Justino Febronio sub quo pseudonimo latebat Nicolaus Hontheim, Episcopus Miriofitanus, Auxiliaris Trevirensis, qui anno 1763 librum edidit inscriptum *De Statu Ecclesiae et Legitima potestate Romani Pontificis*. Discrimen utriusque systematis in hoc situm est, quod Febronius impugnando Sedis Apostolicae Primatui praecipuam curam impendit, quamvis asserere veritus non est scopum suum esse faciliorem reddere Protestantium et Catholicorum concordiam, cujus assertionis ineptiam et temeritatem ipsi Protestantes palam deriserunt, praesertim vero Scriptores Lipsienses (1), qui posteaquam opus Febronii recensuerunt et summis encomiis laudarunt, utpote Reformatorum doctrinae maxime consonum, ita ut auctorem cum Luthero compararent, illico declararunt celebrem Episcopum frustra laborasse, quia, etiam ablato Primatu Pontificio, Protestantes ad Ecclesiam Catholicam redire non possunt, cum alia multa supersint, in quibus ipsi a Catholicis dissident.

241. *Scopus*. Systema Febronii, si plenam et distinctam ejusdem notionem assequi velimus, juxta morem canonistarum communiter receptum, triplici modo perpendi debet, doctrinaliter, historice atque practice.

Doctrinaliter errores Juris Publici, tum *Interni*, tum *Externi*, continet: quoad Jus Publicum *Internum* Febronius erravit circa potestatem *generalem* seu Ecclesiae *constitutionem*, circa potestatem *pontificiam* aut subjectum potestatis *supremae*, atque circa potestatem *episcopalem* seu subjectum potestatis *publicae*.

1.° Circa potestatem *generalem* seu Ecclesiae constitutionem negat Statum Ecclesiae esse *monarchicum*; etenim non obscure docet claves toti fidelium corpori fuisse traditas, ita ut potestas principaliter et radicaliter in populo cristiano resideat, usualiter et usufructua-

---

(1) *In Novis Actis Eruditorum* anno 1764, *pag*. 1.ª

liter in Praelatis; hinc in Ecclesia inducit quoddam regimen mixtum, ex democratia et aristocratia conflatum; elementum democraticum ex necessitate consensus fidelium pro valore legum dogmaticarum et disciplinarium colligitur; elementum aristocraticum invenitur in amplificatione seu accretione potestatis ministerialis Episcoporum in praejudicium potestatis ministerialis Summi Pontificis.

2.° Circa potestatem *pontificiam* seu subjectum *supremae* auctoritatis, Nicolaus Hontheim aliquem Primatum in Ecclesia esse necessarium ratione unitatis servandae profitetur, licet tradit eum Sedi Romanae esse vinculatum jure ecclesiastico, non divino, ideoque transferri posse; nihilominus auctoritas primatialis in hoc systemate est *sui generis*, vere commentitia vel prorsus fictitia, quoniam Febronius *jurisdictionem*, *naturam*, *plenitudinem* atque *infallibilitatem* Primatus Pontificii plane inficiatus est.

a) *Jurisdictionem* Primatus e medio sustulit, quia tantum admisit *Primatum consociationis* ad unitatem servandam, et cum modus legitimus curandi Ecclesiae unitatem positus sit in *advigilando* et *dirigendo*, non vero in cogendo, posset etiam ejusmodi Primatus vocari *inspectionis* et *directionis*: hinc excommunicatio Romani Pontificis, juxta Febronii placitum, lata ut actus jurisdictionis, vi juridica caret, Ecclesiis particularibus sancita robur habet, atque immerito inflicta patienter toleranda est velut quaelibet alia contumelia, sed prorsus contemnenda: hinc quidam Episcopi saeculo superiori, ut ex Historia apparet, habita nominatione a Principe vel Gubernio, loco petendi confirmationem a Summo Pontifice, putarunt satis esse illi tamquam centro Ecclesiae notitiam suae nominationis communicare in signum unitatis communionis.

b) *Naturam* Primatus penitus evertit, siquidem jura quae divinitus eidem competunt, in duas classes di-

stinxit, in *essentialia*, quae institutioni Primatus perpetuo inhaerent, et *adventitia*, quae amoveri possunt, et ut plurimum debent, cum sint invasiones Sedis Romanae in aliarum detrimentum.

[c]) *Plenitudinem* Primatus omnino pessumdat, quia Romanus Pontifex eodem pollet *distributive* in singulas Ecclesias, non autem *collective* in totam Ecclesiam: hinc pronum erat inferre—Papam judicio Concilii generalis subjici tum quoad fidem, tum quoad mores—Concilium neque egere convocatione Romani Pontificis, neque invitis Episcopis suspendi aut dissolvi ab eodem posse, neque, cum fuerit finitum, ejusdem indigere confirmatione—Decreta Concilii etiam disciplinaria a Pontifice abrogari aut immutari nequire—*Appellationem* a Romani Pontificis sententia ad Concilium Generale regularem ac legitimam esse.

[d]) *Infallibilitatem* Primatus respuit, etenim in febroniana sententia haec praerogativa Ecclesiae tantum inest, neutiquam vero Romano Pontifici, neque Generali Concilio, quorum decreta disciplinaria ad vim obligandi obtinendam fidelium acceptatione indigent.

3.° Circa potestatem *episcopalem* seu subjectum auctoritatis *publicae*, Pseudo-Febronius statuit singulos Episcopos immediate a Christo accepisse *potestatem jurisdictionis non secus ac potestatem ordinis*; ideoque eorum potestatem tum in res fidei, tum in disciplinae capita *plenam* et *absolutam* esse: hinc prorsus rejicit—necessitatem recurrendi ad Sedem Apostolicam in *causis fidei* et in caeteris *causis majoribus*, vel petendi, cum opus est, ab eadem dispensationes ab iis legibus, quae ad jus commune ecclesiasticum pertinent—jus potestatem Episcoporum coarctandi neque *quoad res*, neque *quoad personas, exemptiones Regularium, reservationes casuum, beneficiorum* et *annatarum*, aliaque id genus veluti totidem abusus damnando—facultatem Romani Pontificis ad quidlibet in Episcoporum dioecesibus de-

cernendum vel constituendum sine eorumdem consensu.

Historice Praesul Trevirensis explicare conatur qua ratione adeo excreverint jura Primatus Pontificii, quod, ut ipse ait, duplici causarum genere factum est, causis nempe *fortuitis* et *inculpabilibus* ac causis *dolosis* et *culpabilibus.*

Inter causas *fortuitas* et *inculpabiles* enumerat: 1.° *Splendorem titulorum,* quibus Romanus Pontifex ejusque Sedes condecorata est ab antiquis Patribus: 2.° *Dignitatem* Sedis Romanae, tum quod *Apostolica* sit, tum quod *Patriarchatum* totius Occidentis adnexum habeat, cujus respectu vocatur *Mater* et *Magistra,* sed tantum Ecclesiarum Occidentalium: 3.° *Consuetudinem Episcoporum* tum referendi ad Romanum Pontificem causas graviores, tum etiam ad ipsum deferendi plurium negotiorum arbitratum, sive ob receptum morem eas sedes consulendi, quae digniores et antiquiores essent, sive praesertim ob personalem Summorum Pontificum doctrinam ac sanctitatem.

Ad causas *dolosas* et *culpabiles* haec referenda esse tradit: 1.° *Complures proprie dictas usurpationes* a Romanis Pontificibus ausu temerario perpetratas: 2.° *Falsas Decretales* ab Isidoro Mercatore confictas et a Pontificibus Maximis summo cum gaudio receptas.

Practice demum Febronius totam operam navat tradendis remediis, quibus Romanorum Pontificum auctoritas coerceatur; eaque *septem* esse asserit, nimirum: 1.° Apta in eam rem populi instructio; 2.° Concilium generale liberum; 3.° Conspiratio Episcoporum per concilia nationalia fovenda; 4.° Vis atque auctoritas catholicorum Principum; 5.° Retentio Bullarum Apostolicarum tum per Episcopos, tum per Principes saeculares, id est *Placitum,* ut ajunt, sive *episcopale* sive *regium*; 6.° Aperta *resistentia,* quam legitimam vocat; 7.° *Appellatio ab abusu,* hoc est, appellatio ad Principes saeculares ad-

versus Ecclesiae, potissimum vero ipsius Romani Pontificis sententias.

242. *Diffusio.* Systema Febronii ansam dedit gravissimis erroribus atque innumeris malis, quae Ecclesiae novissima aetate ingruere: opus *de Statu Ecclesiae,* magno studio et artificio non minus quam singulari perfidia ac fraude elaboratum, fuit communis officina Eybellianorum et copiosum armamentarium, ex quo recentiores Sanctae Sedis hostes sua argumenta sumere consueverunt ad sacratissima Ecclesiae jura conculcanda atque divinam Primatus Pontificii auctoritatem maxime frangendam.

Acceptatio practica et publica professio errorum Justini Febronii occasionem facillimam praebuit superiori centuria crebis usurpationibus et tyrannicis exactionibus Principum et Aulicorum: et sane principia hujus exitialis systematis amplexati, catholicos insectari et ecclesiasticam jurisdictionem invadere ausi sunt Josephus II Imperator Austriae, ejus frater Leopoldus I magnus Dux Etruriae ac deinde Imperator, et Neapoli celeber minister Tannucci, cujus praepotentiam et arbitrarietatem sub minori aetate regis Ferdinandi I omnes norunt.

243. *Censura.* Totum febronianum opus reprobatum ac damnatum in Germania est, publicis datis litteris, ab Archiepiscopis vel Episcopis Moguntino, Trevirensi, Coloniensi, Pragensi, Bambergensi, Constantiensi, Augustano, Frisingensi; praesertim vero damnatum est pluribus decretis Sacrae Congregationis Indicis, nempe, 27 Febr. 1764, 3 Febr. 1766, 4 Maii 1772, et 3 Martii 1773; tum etiam ab ipso Romano Pontifice Clemente XIII tribus Brevibus die 14 Martii 1764 editis, quorum primum ad Electorem Moguntinum missum est, alterum ad Trevirensem, tertium ad Episcopum Herbipolensem.

Ipse Febronius opus suum reprobavit, errorumque

suorum retractationem ad Pium VI misit, promittens se statim correcturum caetera,quae Sedes Apostoli caemendanda esse censeret, ut videre est in Allocutione ejusdem Pii VI habita die 25 Decembris 1778 in Consistorio secreto; attamen anno 1781 Commentarium in suam retractationem edidit XXXVIII *positionibus* seu propositionibus constans, in quo plura censura digna reperit Card. Gerdilius in opusculo inscripto *Animadversiones in Commentarium*, etc. Sed, ut videtur, Auctor hujus celeberrimi systematis obiit catholice die 2 Septembris anno 1790 (1).

JANSENISMUS.

244. *Exordium.* Jansenismus nomen et ortum ducit a Cornelio Jansenio in Hollandia anno 1585 nato, Lycei Lovaniensis alumno, Episcopo Iprensi atque auctore celeberrimi operis, cui titulus *Augustinus,* post ejus mortem á Lovaniensibus asseclis in lucem editi. Jansenius fuit homo versipellis, in omni versutiae et fraudis genere peritissimus, ita vaferrimus et subdolus, ut ad Episcopatum promoveri assecutus sit, quamvis suos errores per Belgium, Galliam et Hispaniam diffunderet, et sectam execrabilem omnium callidissimam institueret: supremum diem obiit die 6 Maii anno 1638.

Jansenismus cito et late propagatus est opera Joannis Duvergier de Hauranne magis noti sub nomine abbatis Sancti-Cirani (de Saint-Ciran), Roberti Arneaud de Andilly, Antonii Arnaud auctoris Libri *de Frequenti Communione,* Blasii Paschalii qui *Epistolas Provinciales* scripsit, ac praesertim Paschalis Quaesnellii qui *Re-*

---

(1) Contra Justinum Febronium praeclare scripsere laudatus et eruditissimus abbas Antonius Franciscus Zaccaria in praestantissimis operibus—*Antifebronius* et *Antifebronius vindicatus,* Petrus Ballerini, Viator de Coccaleo, Mamachius et S. Alphonsus María de Ligorio.

flexiones Morales edidit, tot damna, tantasque dissentiones tum inter Episcopos, tum inter fideles gignentes.

245. *Nota characteristica.* Si quis vero a nobis sciscitetur quaenam sit natura propria erroris et sectae jansenianae, absque ulla cunctatione respondebimus ejusmodi haeresim esse prorsus *indefinibilem*; etenim sectatores et fautores Jansenii nullum systema proprium circa Ecclesiam condiderunt, sed pro temporum opportunitate modo unum, modo aliud ex recensitis systematibus, praesertim vero Richerianum, sive aperte, sive clanculum amplexi sunt.

Tamen optimo jure integrum erit nobis asseverare characterem peculiarem atque notam privativam hujus systematis vel potius execrabilis sectae esse dolum, hypocrisim ac mendacium, quia Janseniani in perpetua rebellione contra Ecclesiam exstitere, ejus auctoritatem deprimentes et totis viribus conculcantes, etsi aliunde submissionem et obedientiam subdole et captiose fingere conati sunt, ne ab Ecclesia ejicerentur, et ut veri sectarii et haeretici declarati haberentur.

246. *Extensio.* Praecipuae propagines et formae Jansenismi, ordine chronologico servato, ad quatuor sectas revocari possunt: sectam *juristarum*, duce Van-Spenio; sectam *theologorum*, cui praeficitur Quesnellius; sectam *aulicorum*, Eybellium velut antesignanum habentem; denique sectam *canonistarum*, moderantibus Scipione Ricci atque Petro Tamburini.

1.° In Belgio odio et animadversione erga Sedem Apostolicam omnibus praestat et tristem celebritatem nactus est Bernardus Sigerus Van-Spen, Lovanii natus anno 1645. Hujusmodi Scriptor, pervicax Ecclesiae et Romanorum Pontificum hostes, Gallicanismo et Jansenismo maxime addictus, magnum et eruditum opus de *Jure Ecclesiastico* conscripsit, licet erroribus undique scatens, et doctrinas notitiasque quas recta mente et laudabili scopo Ludovicus Thomassinus in suum praecla-

rum opus de *Veteri et Nova Ecclesiae Disciplina* congessit, in proprium sensum atque subjectiva placita perverse depravans. Mortuus est anno 1728, quin suos errores retractaret, neque censurarum absolutionem peteret.

2.° In Gallia saeculo XVIII ineunte edita sunt duo opera theologica ab Apostolica Sede expresse damnata *Institutiones Theologicae* Gasparis Juenim per Clementem XI die 25 Septembris 1708 proscriptae, eo quod doctrinam jansenianam complecterentur, et *Reflexiones Morales* Paschalis Quesnellii supra memoratae, quas laudatus Pontifex, re mature et diligenter perpensa prorsus reprobavit, damnando in Bulla *Unigenitus* die 8 Septembris 1713 expedita CI propositiones ex opere Quaesnellii deductas.

Occasione hujus Pontificii Decreti plures scissiones, contentiones multae et gravissimae perturbationes in Ecclesiis Galliae ortae sunt; nam hinc Cardinalis Noailles, Archiepiscopus Parisiensis, cui arridebant theoriae jansenianae, *Reflexiones* approbaverat, easque suis *Instructionibus* munierat; et illinc nonnulli Episcopi, causam Jansenii agentes, Constitutionem *Unigenitus* magno animorum aestu oppugnare coeperunt: et quidem schisma fuisset miserrime consummatum, nisi, Deo disponente, Cardinalis Noailles sui facti poenitens et in meliorem frugem receptus sub Benedicto XIII die 11 Octobris 1728 sinceram submissionem Sedi Apostolicae obtulisset, proprias *Instructiones* revocando et Quaesnellii *Reflexiones* damnando; unaque Collegium Sorbonicum declarasset anno 1729 se jam ab anno 1714 Bullam *Unigenitus* acceptasse atque agnovisse.

3.° In Austria speciali memoratu dignus est Eybel, Professor Viennensis, qui primum locum inter aulicos jansenistas obtinet, et nomen posteris legare voluit ob suam in Sanctam Sedem hostilitatem et obstinationem vere sectariam.

Et re quidem vera, adeo infensissimum Successori-

bus Petri sese praebuit hic pervicax scriptor, ut, cum Summus Pontifex Pius VI peregrinationem ad urbem Viennensem suscepisset causa vitandi schisma, quod licet non formaliter, saltem de facto praevalebat audaci conatu et criminali opera Imperatoris Josephi II, nequissimo consilio minuendi vel auferendi reverentiam populorum erga auctoritatem pontificiciam, edere non erubuit lingua vulgari opusculum anonymum, sed licentia revisorum imperialium vulgatum hoc titulo *Quid est Papa?* Venerabilis Pontifex Pius VI rei tam iniquae certior factus illico libellum Eybellii damnavit Brevi *Super soliditate*, cujus publicationem in suis Dominiis summa cum injuria prohibuit praedictus Imperator.

4.° In Italia singularem mentionem meretur tamquam potissimus propugnator Jansenismi in sua forma canonica Scipio de Ricci, Episcopus Pistoriensis, qui anno 1786, ut intrusiones Leopoldi Ducis Etruriae honestaret, ejusque iniquas praetensiones obsecundaret, famosam Synodum dioecesanam convocavit, cui adfuere 334 presbyteri habitu episcopali induti, perinde ac si insignia et vestes gradum et potestatem episcopalem conferre possent: ita desipere solent qui superbia ducti et Principibus blandientes a centro communionis et orthodoxa fide resiliunt!

Habitae sunt septem sessiones, in quibus opera et industria Palmieri ac praesertim Petri Tamburini Antecessoris Ticinensis, obdurati et impoenitentis jansenistae, assertae et promulgatae fuerunt maximo christiani populi scandalo haereses atque ineptiae, quas heic memorare supervacaneum omnino foret, utpote notissimas omnibus, qui generales Sacrae Theologiae notiones saltem didicerint. Errores Conciliabuli Pistoriensis a Summo Pontifice Pio VI damnati sunt, dogmatica Constitutione *Auctorem Fidei* edita, in qua diversis censuris notantur LXXXV propositiones pseudo-synodi. Haec celebratissima Bulla Pontificia fuit ab omnibus

Episcopis recepta, uno tantum excluso, Benedicto Solari Episcopo Nauli in Liguria a Cardinali Gerdilio scite ac strenue confutato.

247. *Reprobatio*. Post ea, quae de Janseniana secta et multiplici ejus forma leviter adumbravimus, ecclesiasticas censuras atque pontificias damnationes adducere fere vacat; etenim apud omnes compertum est Jansenismum *Theologicum* profligatum et prorsus reprobatum esse tum per Bullam *In eminenti* ab Urbano VIII die 6 Martii 1641 adversus *Augustinum* Jansenii latam, tum per laudatam Constitutionem *Unigenitus Dei Filius*, in qua Clemens XI die 8 Septembris 1713 solemniter damnavit CI propositiones ex Libro Quesnellii *Reflexiones morales* inscripto eductas: quoad vero Jansenismum *Canonisticum*, haec postrema jansenianae haeresis forma eo detestabilior, quatenus Juri Publico Ecclesiastico reluctatur et societatis christianae constitutionem subvertit, aperte rejecta et anathematizata est sive in Constitutione Pii VI centies memorata *Auctorem fidei* contra errores Synodi Pistoriensis die 28 Augusti 1794 expedita, sive in Brevi *Super soliditate*, in quo idem Pontifex assertiones Eybellii Sanctae Sedi injuriosas, ejusque perniciosas theorias circa Ecclesiae potestatem iterum protrivit atque suprema sua auctoritate condemnavit.

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

218. Regalismus: formatio hujus systematis.—249. Ejus essentia.—250. Formae diversae.—251. Solemnis damnatio.—252. Liberalismus: primaeva germina hujus novissimi systematis.—253. Specificatio.—254. Praecipuae manifestationes.—255. Ecclesiae judicium de hoc exitiali errore.

Regalismus.

248. *Formatio*. Regalismus, si originem *materialem* hujus systematis spectemus, ad magnum Schisma

Occidentale sub finem saeculi XIV assurgit; si vero ortum *formalem* inquiramus, a Protestantismo saeculo XVI ineunte repetendus est.

Et quidem quamplurima facta historica nobis liquide ostendunt apud catholicas nationes a fine saeculi XIV jam reperire germina, ut ita dicam, primaeva et materialia systematis, quod modo perscrutari aggredimur: anno siquidem 1378, omnes norunt, mortuo Gregorio XI et electo Urbano VI, ortum esse teterrimum Schisma Occidentis, quo ex tempore Principes, prout uni vel alteri Pontifici adhaererent, sanctione civili munire et suo examini subjicere inceperunt Bullas Pontificias causa admittendi quas Papa suae obedientiae ederet, caeterasque rejiciendi.

Hinc cernimus: 1.° in Gallia, Ducem Andegavensem Regni administratorem anno 1381 coercecuisse Rectorem Universitatis Parisiensis, qui Bullas Urbani VI publicaverat, cum regnum Galliae Pontifici Avenionensi seu Clementi VII adhaereret; et anno 1399, ex eo quod Pontifices Avenionenses, multis indigentes facile concederent litteras expectativas, et pensiones aliaque onera super beneficia imponerent, Clerum in conventu apud Lutetiam Parisiorum habito ab obedientia utriusque Pontificis se subduxisse, simulque Regem statuisse nullum rescriptum papale, quod juribus et libertatibus Ecclesiae Gallicanae adversaretur, exsecutioni esse mandandum: 2.° in Anglia, etsi Pontifici Romano pareret, Parlamentum regni anno 1391 multa constituisse in praejudicium Ecclesiae, et inter alia neminem excommunicatum haberi posse a Papa, nec nullum ejus praeceptum esse exsequendum, uti testantur Polidorus Virgilius in sua Angliae *Historia* et Genebrardus in sua *Chronica*: 3.° in Sicilia Regem Martinum in Aragoniam profecturum anno 1405 vetuisse publicari Litteras Pontificias sine regio placet; etenim Siculi Bonifacio IX Urbani VI Successori obtemperabant, dum ipse, utpote

Aragonius, Benedictum XIII sequebatur, atque Bonifacium IX tamquam pseudo-pontificem habebat: 4.° in Hispania, eadem epocha et occasione magni Schismatis Occidentalis, Rex Aragoniae, qui causam celeberrimi Petri de Luna sub nomine Benedicti XIII cogniti agebat, suo examini ac revisioni subjicere coepit Bullas et Brevia quae a Pontificibus alterius obedientiae et communionis expedirentur: 5.° in Lusitania, saeculo XV Joannem II, jus placiti veluti principatui inhaerens sibi vindicantem, decrevisse Litteras Apostolicas non esse promulgandas sine revisione Regiae Cancellariae: 6.° in Regno Neapolitano Sanctae Sedis feudali, saeculo XVI, die 25 Junii 1501, Alexandrum VI regem Fridericum deposuisse inter alias causas, quod exsecutionem Bullarum Pontificiarum regio exsequatur obnoxiam reddere voluit.

Diximus praeterea originem *formalem* Regalismi a Reformatione seu haeresi ominosissima Novatorum esse sumendam, quia ex hae nefasta aetate, translatis a Pseudoreformatoribus in potestatem saecularem cunctis juribus pontificiis et episcopalibus, summoque imperio in res sacras atque religionis negotia Principibus collato, ratio agendi et doctrina Protestantium á Principibus catholicis juridice vel practice, aperte vel dolose, citius vel longius ita adoptata est, ut exsecrabile Regalistarum systema apud omnia fere regna Europae ingenti furore praevaluerit, et a recentioribus Guberniis omni usurpationum genere, magnisque saevitiis ac vexationibus adhibitis sit defensum, ut historia novissimae aetatis evidenter attestatur quoad Hispaniam, Galliam, Angliam, Lusitaniam, Siciliam, Belgium, Austriam, atque Regnum Neapolitanum.

249. *Essentia.* Duplex Regalimus distinguendus est, *strictus* et *latus:* nomine Regalismi *stricte* sumpti, teste ipso Van-Espenio (1), veniebat "jus Principis

(1) Part. II, tit. 25 *de jure patronatus*, cap. 8.

fruendi praebendis vacantibus et nominandi ad beneficia non curata, sede vacante». Nunc vero, nemo inficiabitur hoc jure gaudere posse Principes vel positiva Ecclesiae concessione, vel vi patronatus, si fundando beneficia tales conditiones apposuerint et a competenti Ecclesiae auctoritate fuerint acceptatae; sed error situs est in asserendo, Regibus hanc facultatem marte proprio competere tamquam attributum nativum principatus seu coronae regaliam.

Ejusmodi abusus processit ex falsa applicatione juris feudalis ad beneficia ecclesiastica, quia feuda vacantia ad dominum directum redibant, donec rursus ab eo conferrentur; age jam, hoc nullo pacto applicabile est ecclesiasticis beneficiis triplici potissimum de causa: 1.° quia Reges non sunt domini directi bonorum Ecclesiae, et quamvis ipsi contulerint eidem aliqua bona, Ecclesia ista acceptando et fini spirituali addiscendo dominium non modo utile, verum etiam directum in bona donata acquisivit; 2.° quia beneficia ecclesiastica, necnon feuda collata Ecclesiae, eo ipso quod Ecclesiae concessa sint, nunquam proprie vacant; enim Ecclesia semper adsit, sicut communitas, etsi rectore careat; 3.° quia beneficia ecclesiastica, licet fuissent regiae fundationis, neutiquam censeri queunt ab antiquis Regibus instituta et ab Ecclesia acceptata ad normas juris feudalis, sed tum institutio tum acceptatio intelligitur facta juxta ecclesiasticas regulas et canonicas praescriptiones.

Hoc jus abusivum atque illegitimum in Gallia primo assertum est a Parlamento Parisiensi anno 1608, quamvis, Clero ad Henricum IV reclamante, causa ad ejus tribunal avocata est; dein vero in nonnullis provinciis sensim agnitum fuit, donec tandem sub Ludovico XIV in universo regno proclamatum est, serviliter assentiente conventu Cleri Gallicani anno 1682 celebrato. Apostolica Sedes rejecit atque damnavit hujusmodi

abusum a recta notione tum Ecclesiae, tum Status plane absonum. Sed muneris nostri praecipue ac summopere refert de Regalismo in acceptione *lata* et usuali usurpato sermonem instituere.

Denominatione Regalismi, juxta tritum loquendi modum, designatur illud systema, quo vel titulo *protectionis* (Regalismus mitigatus), vel juribus *majestaticis* seu coronae *regaliis* invocatis (Regalismus exaltatus), vel *suprematia* Status absolute proclamata (Ultraregalismus aut Caesarismus) restringitur atque coarctatur Ecclesiae Potestas theorice vel practice, directe et explicite vel indirecte ac implicite, sive quoad sua *bona* (Desamortizatio), sive quoad suum *magisterium* et liberam *communicationem* (Placitum Regium), sive demum quoad suam *jurisdictionem* (Appellationes *ab abusu*).

250. *Formae.* Historia Regalismi in tres epochas recte dispesci potest, in quibus magni interest discriminare characterem, formam atque media per Principes vel Gubernia adhibita, gratia tuendi ac vindicandi praetensas Coronae *regalias* contra sacrosancta Ecclesiae jura.

1.ª Epocha (saec. XVI) *submissionis* vocarì potest —ejus character sincera Sedi Apostolicae *obedientia*— forma *obsequiosa*—media *suaviora,* benigna atque indirecta.

2.ª Epocha (saec. XVII) optime nuncupari valet *intrusionis* seu *usurpationis,* licet specie juris palliatae —character *hiprocrisis* ac *dolus*—forma *insidiosa*—media *aspera,* crudiora, Ecclesiae libertati et independentiae directe injuriosa.

3.ª Epocha (saec. XVIII et XIX) appellari meretur *persecutionis*—character *tyrannis* et *oppressio*—forma *declarata* seu aperte *hostilis*—media *violenta,* ferociora et passim saevissima, cujusmodi habentur ut plurimum *incautatio* seu, vere et proprie loquendo, praedatio iniqua et sacrilega exspoliatio bonorum omnium ad Eccle-

siam, Corporationes vel Clerum spectantium, processus, exilium atque incarceratio Episcoporum, expulsio Nuntiorum Apostolicorum, disruptio relationum cum Sede Apostolica, aliaeque multae vexationes et sacrilegi attentatus vel actus flagitiosissimi hac novissima aetate adversus res et personas ecclesiasticas patrati per gubernia, nomine catholica, re autem praescindentia, incredula aut hostilia.

Haec Regalismi evolutio atque gradualis progressio, quae apud cunctas Europae christianae nationes pedetentim perfecta est, ut cuique observatori fas est videre, praesertim locum obtinuit in nostra Hispania, cujus assertionis vades damus duos scriptores sat notissimos, Illmum. Dominum D. Franciscum Gomez Salazar Episcopum Legionensem, et Doctorem D. Vincentium de la Fuente eruditissimum Universitatis Matritensis Professorem, qui in suo opere de *Disciplina Ecclesiastica Generali et Particulari Hispaniae* veritatem a nobis enuntiatam aperte atque ingenue fassi sunt (1).

---

(1) En quomodo loquuntur praefati Auctores: «La escuela regalista en España data de la época en que se celebraron los Concilios de Constanza y Basilea; pero los teólogos, canonistas y juristas de aquellos tiempos distan mucho de los que existieron en el reinado de Felipe IV, y de los monarcas que le sucedieron en la corona de España. Victoria, Pedro y Domingo de Soto, Melchor Cano, Navarro y Covarrubias defienden la jurisdicción Real en cuestiones y términos muy distintos que Salgado, Ceballos, Solórzano, Salcedo, Larrea, Vargas Machuca, Ramirez, Pimentel y Chumacero. Si á éstos se agregan Macanaz, Campomanes (su obra titulada *Tratado de la regalía de Amortización*, fué puesta en el Indice expurgatorio por decreto de 5 de Septiembre de 1825, sin reclamación del Gobierno español), Floridablanca y otros muchos regalistas del siglo pasado y del presente, mucho más desafectos á la Iglesia que los del siglo XVII, se comprenderá la prudencia, circunspección y acierto con que procedieron los teólogos del siglo XVI al esquivar las cuestiones de regalías, ó al restringirlas relativamente á la autoridad de los príncipes y soberanos. Los regalistas de la primera época respetaban los derechos de la Santa Sede sin mermar los de los reyes; pero los que les sucedieron, defendían los de éstos apasionadamente y con perjuicio de los que son propios de la Iglesia, y esta es la razon por que esta escuela es mirada con justa prevención (nosotros habríamos añadido en este lugar: y *ha sido justísimamente y repetidas veces reprobada y anatematizada por la Santa Sede por los da-*

251. *Damnatio.* Damnatio Regalismi apertissime constat: 1.° ex omnibus illis Pontificiis Constitutionibus, quae diversa aetate contra usurpationes et intrusiones Regum vel Principum saecularium in res ecclesiasticas latae sunt, specialiter vero ex Constitutionibus *Clerici laicos*, *Ausculta fili*, *Unam sanctam* Bonifacii VIII, *Licet* Joannis XXII, necnon ex Bulla *In Coena Domini*; 2.° ex quamplurimis (fortasse XXII) explicitis ac solemnibus Romanorum Pontificum documentis adversus *Placitum Regium* editis, quae apud Cavagnis aliosque Juris Publici tractatores ordine chronologico recensita atque collecta facile videre est; 3.° ex Syllabo, in quo notantur velut a catholica doctrina absonae sequentes propositiones: XX—*Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia, et assensu.* XXVIII—*Episcopis sine gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare.* XLI—*Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant* EXSEQUATUR, *sed etiam jus* APPELLATIONIS, *quam nuncupant*, AB ABUSU; 4.° ex Concilio Vaticano, quod in Constitutione dogmatica *de Ecclesia Christi*, cap. III, haec tradidit: *Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impedi-*

ños sin cuento que ha causado á la Religión, á la Iglesia y á la Patria). Las doctrinas de esta escuela se llevaron á la práctica en las leyes de desamortización eclesiástica, destinando los bienes de los Jesuitas para dotar establecimientos de caridad y enseñanza, los de Capellanías é Inquisión para supresión de la deuda, y los de las demás Ordenes regulares y Clero secular se declararon *bienes nacionales* (esta denominación y la teoría en que se funda es anticanónica é inadmisible. Ni aún debe llamárselos *bienes del clero*, como insidiosamente se los ha llamado, ni mucho menos *bienes de la Nación*; deben llamarse *bienes de la Iglesia*, porque *la Iglesia* es su dueño), y en este concepto fueron enagenados, sin que por esto mejorase la situación deplorable del Tesoro público, que cada vez ha empeorado durante este siglo. *(Lecciones de Disciplina Eclesiástica General y Particular de España*, tom. II, Lec. LVI, número 9. Quinta Edición, Madrid, 1894).

ri posse dicunt, aut eamdem reddunt SAECULARI POTESTATI OBNOXIAM, *ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi* POTESTATIS SAECULARIS PLACITO *confirmentur.*

LIBERALISMUS.

252. *Germina.* Omnium systematum, quae Jus Publicum Ecclesiae Externum evertere aut depravare intenderunt, novissimum et forsitan, immo etiam absque ulla dubitatione perniciosissimum est Liberalismus: *novissimum* inquimus, licet enim *remote* a Protestantismo oriatur, tum quia exsecrabilis Pseudoreformatorum haeresis liberum examen adstruens abusum omnis libertatis consecravit, tum quia summam ac plenitudinem sacri imperii potestati saeculari conferens omnipotentiam Status civilis proclamavit, tum denique quia principium liberi examinis ex ordine individuali et religioso logice in ordinem publicum et socialem transferens absolutam societatis politicae independentiam asseruit; tamen *proxime* et *formaliter* haec doctrina seu potius complexio errorum, quae nomine Liberalismi venit, originem ducit a Perturbatione Gallica sub finem saeculi superioris. Ab hac nefasta aetate ex alia parte exaggeratio seu praepostera interpretatio principii juridico-dogmatici distinctionem inter Ecclesiam et Statum statuentis in theoriam separationis tandem et luctuose devenit; ex alia vero proclamatio jurium individualium caeterorumque principiorum, anno 1793 in illo magno tumultu a sceleratis Galliae perturbatoribus facta, ansam dedit Statui abusum libertatis etiam *juridice* sanciendi; simulque theoriae subversivae a philosophismo, volterianismo et encyclopaedia per universam Europam propalatae non solum Status emancipationem genuerunt, verum etiam religionis contemptum, aper-

tam in Ecclesiam Catholicam hostilitatem, atque publicam guberniorum apostasiam consummarunt.

Hinc systema liberale apud nationes catholicas et recientiori epocha dumtaxat invaluit; at prorsus ignotum fuit tum gentibus antiquae superstitioni deditis, tum populis schismati vel haeresi addictis; etenim tam illae quam isti utique in Caesarismum lapsi sunt, auctoritatem religiosam in potestate civili agnoscentes; sed nunquam docuerunt aut professi sunt errorem proprie liberalem, nempe, Statum a Religione independentem esse vel posse a Religione praescindere: haec tristissima gloria, vel rectius loquar, talis ac tanta ignominia nationibus, principibus, legislatoribus et imperantibus catholicis asservata erat, qui post XVIII saecula culturae christianae et lucis evangelicae rudius ac turpius a semita veritatis in re religiosa aberrarunt, quam ipsi Graeci et Romani in paganismo nati atque edocti, vel veteres Schismati et Haeretici per summum nefas ab unitate fidei et communionis disjuncti.

Diximus quoque hoc systema, etsi novissimum, esse omnium *perniciosissimum*, quia reliquis antiquioribus iniquitate, perversione et calamitate praestat; et quidem ubicumque receptum fuit (et notandum illud latissime imperare), Ecclesiae infensissimum sese exhibuit, salutarem religionis influxum minuit vel praepedivit, mores depravavit, ordinem socialem subvertit, tranquillitatem publicam turbavit vel in discrimen posuit, justitiam et administrationem corrupit, nationes concussit, principes adversus subditos et populos contra summos imperantes concitavit, rebellionem undequaque diffudit, summatim, pessimos irreligionis, immoralitatis atque insubordinationis fructus superabunde tulit.

253. *Specificatio.* Ad errorem adeo exitialem penitus dignoscendum et ita radicitus evellendum, necessarium omnino ducimus inquirere ac determinare quaenam sit vera natura seu character essentialis Libe-

ralismi: age jam, hunc potissimum nostrae aetatis errorem, ducibus Episcopis in publicis documentis, Romanis Pontificibus in suis Litteris Apostolicis, necnon scriptoribus probatissimis in praeclaris operibus, recte definire possumus: *Systema proclamans independentiam Status ab Ecclesia vel Religione, sive in ipsa societatis constitutione, sive in externa ejusdem gubernatione.* Ex accurata hujus definitionis explicatione evidenter patebit genuina indoles atque essentia propria Liberalismi.

Dicitur *Systema*, quia non agitur de errore unico et singulari, sed de collectione doctrinarum speciali scopo, methodo ac industria in unum corpus conflatarum, quae congeries primum complectitur quamplurima falsa principia per prelum saepissime laudata, inter se connexa et a Pio IX in Syllabo taxative recensita atque damnata, cujusmodi sunt praecipue: suprematia nationis *(soberanía nacional)*, independentia ordinis moralis *(moral universal)*, exclusio Ecclesiae ejusque influxus a quacumque *civili* institutione *(secularización)*, immunitas conscientiae *(libertad de conciencia)* cum naturali sequela jurium, quae veluti legitima corollaria ex ipsa profluunt, nimirum, libera facultas *cogitationis, discussionis, impressionis, adsociationis* et *religionis* vel cultus: deinde etiam in se continet plures ac diversos organismos politicos et sociales iisdem principiis informatos, quae in praxim reducta distinctam formam induunt, et diversimode sese manifestant in legislatione, externis populorum moribus et publicis imperantium actibus.

Additur *independentiam*, ut exprimatur essentiale constitutivum Liberalismi, qui in hoc praecise consistit, quod auctoritas civilis auctoritati Ecclesiae non amplius subjiciatur; per hanc vocem denotatur genus proximum definitionis, quia, quatenus adstruit independentiam hominis a Deo vel recognitionem juridicam abusus humanae libertatis, in hoc genere cum aliis systematibus convenit, quae etiam conclamant jus quodcumque libe-

re faciendi et statuendi absque subjectione auctoritati Dei.

Subjungitur *Status* ad significandam differentiam specificam, qua praeter genus proximum constare debet quaelibet recta definitio: et sane vocabulo *Status* Liberalismus a Protestantismo, Naturalismo, Rationalismo, et Indifferentismo practico distinguitur; etenim haec omnia systemata de independentia, absoluta autonomia et plena emancipatione disserunt, sed diverso sensu atque alio in ordine. Protestantismus, admissa christiana revelatione, proclamat independentiam hominis ab auctoritate dogmatica seu liberum examen in ordine religioso; Naturalismus *purus* aut absolutus, exclusa idea et notione Supremi omnium Creatoris, statuit independentiam etiam individui a Deo seu liberum examen in ordine mere naturali; Rationalismus sive naturalismus *mitigatus*, rejecta omni revelatione, adstruit independentiam rationis a quacumque auctoritate ad inquirendam et cognoscendam veritatem seu liberum examen in ordine philosophico; Indifferentismus practicus defendit independentiam voluntatis ab omni regula pro actibus eliciendis seu liberum examen in ordine morali; Liberalismus autem, supposita Dei existentia, admissa divina revelatione, atque agnita etiam obligatione eam amplectendi quoad singulos homines, admittit ac tuetur independentiam non individui in se inspecti, neque humanae rationis vel voluntatis, sed societatis civilis, hoc est, potestatis publicae et Status politici ab Ecclesia vel Religione seu liberum examen in ordine sociali.

Ejusmodi Liberalismi conceptus plane colligitur ex doctrina explicita Sedis Apostolicae; siquidem Pius IX germanam hujus systematis acceptionem tradidit, ubi propositionem XXXIX Syllabi damnavit, quae ita se habet: *Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscrito limitibus;* Leo

insuper XIII eamdem doctrinam corroboravit aperte asserens in Encyclica *Libertas: Liberalismus nihil aliud est nisi naturalismus socialis;* sed naturalismus est exclusio et negatio ordinis supernaturalis ac proinde Ecclesiae quoad individuum seu hominem in se spectatum; igitur Liberalismus est negatio vel exclusio Ecclesiae vel Religionis quoad societatem, id est, quoad Statum, quatenus ordinem socialem repraesentat.

Sequitur in definitione *ab Ecclesia vel Religione* ad innuendum errorem liberalem apud catholicos consistere in independentia Status ab Ecclesia; apud acatholicos autem situm esse in independentia Status ab illa Religione, quam veram profitentur.

Denique posteriora haec verba *sive in ipsa societatis constitutione, sive in externa ejusdem gubernatione* addenda duximus, eo quod necesse est, ut principium essentiale, scilicet, independentia Status ab Ecclesia tum in fundamentali societatis constitutione contineatur, tum in actibus auctoritatis civilis deprehendatur, alioquin systema liberale nec perfectum evaderet, nec tali nomine proprie insigniri deberet.

Ex praejacta definitione pronum est inferre duo consectaria magni momenti, quae hodiedum praesertim ante oculos habenda sunt ad tollendam quamcumque aequivocationem et frequentes confusiones vitandas: 1.ᵐ Liberalismum essentialiter *politicum* esse, ita ut, si ab hoc charactere praescindamus, funditus ruat systema liberale, quia deficit sua propria essentia, et omnino deletur specifica ejus differentia; liberalismus enim talis est, quatenus vi hujus systematis societas, status vel auctoritas civilis ab Ecclesia fit independens; unde prorsus eliminanda distinctio, quam propugnatores hujusmodi doctrinae inducere conantur inter liberalismum theologicum et liberalismum politicum: 2.ᵐ idcirco non esse duos Liberalismos, alterum religiosum, malum, damnatum atque rejiciendum; alterum vero po-

liticum, bonum, licite profitendum, vel saltem ut liberam opinionem tolerandum; sed Liberalismum ab Ecclesia recentiori aetate proscriptum *essentialiter* seu quoad suum *esse* constitutivum unum idemque spectatum iri, adeo ut quilibet liberalismus, etiam minimus gradus, qui magna contradictione *catholicus* subaudit, ubi imperat, teste luctuosa experientia, principia Liberalismi damnata admittit, atque in praxi pro publica gubernatione eadem sequitur servatque, licet adjectis nonnullis restrictionibus pure accidentalibus.

254. *Manifestationes.* De progressu et evolutione Liberalismi perpauca loquemur, quandoquidem res omnino explorata est maximeque lugenda cunctas Europae Christianae nationes et universas Americae Latinae regiones labe liberali esse infectas et usque ad viscera depravatas.

Et re quidem vera, quoties tyrannicum dominatum atque generalem rapidamque hujus systematis propagationem cernimus, hoc ominosissimum factum observare nequimus, quin sponte meminerimus illius effati, quod Maximus Doctor S. Hieronymus occasione Arianismi protulit in Dialogo contra Luciferianos: *totus ingemuit orbis, et se Arianum esse miratus est;* hodie etiam occasione Liberalismi exclamare possemus: "totus ingemuit orbis, et se *Liberalem* esse miratus est„. Ejusmodi assertio non est inanis paradoxa, vana declamatio aut merum praejudicium; quod nostris oculis videmus, hoc testamur; nationes et populi, regna et respublicae, gubernia et comitia, provinciae et municipia, civitates et familiae, collegia ei individua, legislatores et imperantes, nobiles et plebii, sapientes et ignari, divites et pauperes, superiores et subditi, patroni et operarii, omnes viribus adinvicem collatis et communi conspiratione inita, vastam associationem spiritu liberali informatam ubivis gentium constituunt.

Utinam, divina gratia opitulante, plures qui adhuc

catholici videri volunt et fortasse catholice vivunt, doctrinam catholicam vere, realiter, pleneque amplectentes, errores Liberalismi absolute et sincere rejiciant, haeresim nostra aetate grassantem ex toto corde et ingenuo animo anathematizent, et de se ipsis repetere audeant, quod in ore plurimorum Episcoporum, qui ariana Ursatii et Valentis fraude decepti formulae fidei Ariminensi subscripsere, ponit inclytus Doctor: *decepit nos bona de malis aestimatio!* Absit a nobis ne quidem remote suspicari Pastores christiani gregis vel Sacerdotes Domini causam Dei et Ecclesiae deserentes huic damnato systemati favorem praestare vel suum assensum praebuisse; altissima providentia et singulari Dei misericordia in Ecclesia Christi hodiedum non habentur novi Ursatii et Valentes, qui depositum fidei tradere et dogmata religionis pervertere conentur: sed inficiari nequit inimicum hominem seminasse zizaniam, atque in agro catholico lupum sub pelle ovina venientem magnam stragem, scissionem ac perniciem attulisse.

Tamen fateri tenemur non omnes, qui nomen catholicum plus minusve sincere, corde vel ore, reapse vel specietenus (mentem et intentionem hominum introspicere nobis non licet) retinent, a recta doctrinae catholicae semita pari ratione et per eadem vestigia descivisse; etenim error liberalis triplicem formam sedulo secernendam praesefert, videlicet, *puram* seu crudiorem, *temperatam* seu mitiorem, atque *hybridam* seu contradictoriam; hinc tres gradus aut manifestationes in Liberalismo discriminari solent: gradus *maximus* seu liberalismus *absolutus* aut *radicalis* nuncupatus; gradus *medius*, quem liberalismum *moderatum* dictitant; et gradus *infimus*, cui nomen liberalismi *catholici* donatum est, denominatio utique absurda, inepta et omni sensu vacua; nam si systema *catholicum* est, elementum liberale doctrinae catholicae pugnans excludit; sin vero *liberale* fuerit, elementum catholicum cum principiis liberalibus inconciliabile repellit.

Liberalismus *radicalis* suprematiam et omnipotentiam Status tuetur tamquam veritatem absolutam et jus impraescriptibile, atque personalitatem juridicam Ecclesiae prorsus inficiatur, ita ut, juxta liberales *puros*, Status sit unice et omnino independens, quin ulli institutioni subordinetur; Ecclesia autem, uti caetera collegia subalternata, ab eo pendeat; formula gradus liberalis *maximi* his verbis continetur: *Ecclesia in Statu*.

Liberalismus *moderatus* proclamat etiam *juridice* et *essentialiter* absolutam Status dominationem, sed tamen personalitatem juridicam Ecclesiae agnoscit, eam considerans ut consociationem perfectam et inaequalem a Statu distinctam: hinc, mutuam utriusque societatis, civilis et religiosae, separationem defendens, Statum independentem vocat, quin Ecclesiae subjiciatur; et Ecclesiam quoque independentem nuncupat, quin Statui subsit; exprimitur gradus *medius* notissima formula: *Ecclesia libera in Statu libero*.

Liberalismus *catholicus* non solum agnoscit personalitatem juridicam societatis religiosae, verum etiam *in abstracto*, hoc est, absolute et speculative loquendo, superioritatem Ecclesiae et subordinationem indirectam Status eidem fatetur; attamen *practice* et *accidentaliter*, non vero *juridice* et *essentialiter*, independentiam Status ab Ecclesia propugnat velut factum definitivum, universale, et communiter apud omnes nationes receptum; quia, uti effutiunt patroni hujus singularis theoriae *hypothesis* appellatae,spectatis rerum adjunctis,actuali societatis humanae conditione, publica regnorum legislatione, praesenti temporum progressu atque cultura, subjectio Status Ecclesiae res prorsus antiquata est, inanis conatus populorum moribus reluctans, et principium hodiedum a regimine publico et sociali constitutione valde absonum: hic gradus *infimus* liberalismi, utpote factis et circumstantiis innixus, constanti mutationi et diversis modificationibus subjacet, ideoque formula

propria caret; nihilominus nobis videtur illi assignari posse sequens regula mere accommodatitia: *Relationes inter Statum et Ecclesiam diversis temporum et rerum adjunctis aptari debent.*

255. *Ecclesiae judicium.* De damnatione systematis liberalis sub quacumque forma spectati et in quolibet sensu sumpti fuse et speciatim agemus, dum ejus confutationem aggrediamur: heic tantum innuere sufficiat hunc perniciosum errorem saepenumero denunciatum ac proscriptum esse, tum a Pio IX in plurimis Allocutionibus, maxime vero in Encyclica *Quanta cura* et Syllabo eidem subjecto; tum a Leone XIII in variis documentis, praesertim autem in celebratissima Encyclica *Libertas*.

ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

256. Confutatio errorum circa Ecclesiae naturam et constitutionem. - 257 1.ª Thesis generalis pro veritate catholica constabilienda: *Potestas regendi atque leges ferendi ex Christi institutione* SOLI ECCLESIAE *jure proprio competit; ideoque Ecclesiasticae Leges et Pontificiae Constitutiones non indigent* ACCEPTATIONE POPULI *vel* CONSENSU PRINCIPUM *ad vim obtinendam.*—258. Demonstretur *prima* pars seu propositio fundamentalis thesis ad evellenda omnia systemata, quae a recto tramite aberrarunt super natura ecclesiasticae potestatis.—259. Ostendatur *secunda* thesis veritas.—260. Evincatur *tertia* assertio thesis.

256. Ad refellendos omnes errores, cunctaque perniciosa systemata adversus naturam et constitutionem Ecclesiae quovis tempore conficta, statuere atque propugnare cogimur septem theses, veluti principia fundamentalia, juridica et inconcussa, quae semper prae oculis habenda sunt, cum de Jure Publico Ecclesiae, sive *Interno*, sive *Externo* agitur.

Prima thesis generalissima doctrinam catholicam hac super re omnino tenendam complectitur; sex reli-

quae pro speciali scopo habent impetere atque evellere praecipua errorum capita, quae vaferrimi Ecclesiae hostes effutire ausi sunt omni tempore, praesertim vero hac novissima aetate contra divinam potestatem, essentialemque constitutionem societatis a Christo Domino institutae.

257. Pro adstruenda igitur et vindicanda catholica veritate sequentem statuimus propositionem: *Potestas regendi atque leges ferendi ex Christo institutione* SOLI ECCLESIAE *jure proprio competit; ideoque Ecclesiasticae Leges et Pontificiae Constitutiones non indigent* ACCEPTATIONE POPULI *vel* CONSENSU PRINCIPUM *ad vim obtinendam.*

Ejusmodi thesis tres partes complectitur: prior ad instar praemissae est fundamentalis, et tota sistitur in stabilienda ac tuenda exclusiva Ecclesiae potestate, tum ad christianum gregem regendum, tum ad leges condendas; aliae duae se habent tamquam verae conclusiones ex propositione fundamentali deductae, quarum altera necessitatem *acceptationis* populi christiani excludit ad valorem juridicum Sacrarum Constitutionum; altera vero etiam penitus elidit consensum Regum vel Principum saecularium ad vim impertiendam ecclesiasticis legibus aut pontificiis decretis.

Adstruitur thesis adversus Marsilium Patavinum, Protestantes, Edmundum Richerium, Justinum Febronium, Gallicanos, Jansenianos, Regalistas caeterosque omnes qui errores perniciosissimos vel falsa systemata commenti sunt circa *subjectum* auctoritatis supremae et potestatis legiferae Ecclesiae, jus regendi legesque condendi tribuentes sive populo christiano aut fidelium coetui; sive principibus saecularibus aut civilibus magistratibus.

Unamquamque hujus generalissimae thesis partem singillatim evincendam curabimus, speciales probationes in medium afferentes gratia evellendi omnia syste-

mata, quae a necto tramite aberrarunt super natura ecclesiasticae potestatis.

258. Probatur 1.ª pars seu propositio fundamentalis thesis, nempe: *Potestas regendi atque leges ferendi ex Christi institutione* SOLI ECCLESIAE *jure proprio competit.*

1.° *Institutione divina* sacerdotii externi, auctoritatis visibilis et specialis hierarchiae a populo seu lacis essentialiter distinctae, uti ex Sacra Scriptura, Traditione christiana omnium saeculorum, Conciliaribus definitionibus, ac praesertim Tridentinis decretis apertissime constat.

Nunc vero, hujusmodi sacerdotio externo, visibili auctoritati atque ecclesiasticae hierarchiae solum et unice demandatum et collatum est jure divino, hoc est, suprema dispositione et expressa Jesu Christi Ecclesiae Institutoris voluntare, *jus* et *officium,* nimirum *facultas* et *munus* seu *potestas* atque *missio* gregem christianum pascendi, cunctos fideles sanctificandi, omnes gentes docendi, praecepta divina Salvatoris proponendi, eorumque observantiam urgendi, et usque ad consummationem saeculi novas leges edendi pro recta gubernatione, ordinata administratione et perpetua firmitate societatis religiosae a Christo Domino fundatae, juxta diversa temporum, locorum ac rerum adjuncta. Igitur potestas suprema et legifera, ex facto positivo seu divina Christi institutione, jure proprio soli Ecclesiae competit, omnino excluso quocumque alio subjecto laico, sive corpore fidelium, sive principatu civili; siquidem tum fideles seu populus christianus, tum magistratus saeculares, etiamsi supremi vel reges aut imperatores sint, intra conditionem mere laicalem continentur.

2.° *Praxi Apostolorum,* qui vi potestatis a Christo immediate acceptae, prouti saepenumero in suis Epistolis attestantur, pro constituenda dilatandaque Ecclesia priscis illis temporibus, ipsi soli, licet sub B. Petro Apostolici Collegii Principe et omnium Ovium Supremo

Pastore, tum regimen susceperunt, Evangelium ubivis gentium praedicantes, Ecclesias fundantes. Episcopos eligentes, atque magnis et praestantissimis Ecclesiis Ephesi et Cretae Timotheum ac Titum praeficientes; tum etiam praeceptaedidere et plures leges tulere, statuentes atque ordinantes non solum ea quae ad disciplinam *internam* spectabant, uti stulte effutiunt Protestantes et Janseniani, verum etiam illa quae ad disciplinam *externam* respiciebant, et quidem in rebus adeo temporalibus et materialibus, cujusmodi erat opus manuum, quod competentiae et auctoritati principum tribuendum videbatur: attamen ex eo quod relationem vel connexionem cum ordine spirituali habebant quaedam temporalia, Divus Paulus eadem quoque potestati ecclesiasticae vindicat.

Et sane, Apostolus ad Thessalonicenses scribens ita ait: *Rogamus vos fratres ut abundetis magis... et operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis* (1); sed qua de causa Apostolus sese immiscet etiam in praecipiendo fidelibus opera manuum ¿Quid hoc cum fine spirituali Ecclesiae et ordine supernaturali? Ipse Doctor gentium immediate declarat: *et nullius aliquid desideretis*, hoc est, ad vitandam cupiditatem et prorsus tollendam omnem servitutem vel necessariam a gentilibus dependentiam: haec erat pars spiritualis et religiosa, de qua cognoscere poterat et debebat Apostolus.

3.° *Martyrio* seu testimonio illorum sanctorum et perillustrium virorum, qui probra, carceres, persecutiones, omniaque tormenta perpeti, sanguinem generose effundere, mortemque etiam fortiter subire non dubitarunt pro tuenda Ecclesiae libertate atque asserenda ejus sanctissima immunitate, veluti S. Eusebius Vercellensis, egregii Praesules et Ecclesiae Patres Sancti

---

(1) I, cap. IV, vv. 10 et 11.

Athanasius et Joannes Chrysostomus, Papa Martinus, Magnus Pontifex S. Gregorius VII, strenuus propugnator jurium ac libertatis Ecclesiae, invictissimus Thomas Cantuariensis, et recentiori aetate inclitus Cancellarius Angliae Thomas Mooro, aliique fere innumeri, quorum meminere Annales Ecclesiastici, eorumque veneranda nomina in Martyrologium sunt relata.

Age jam, Ecclesia, juxta Angelicum Doctorem, errori obnoxia esse nequit, cum judicium profert de martyrio ejusque causa: quando igitur sanctos declarat et tamquam martyres agnoscit hos insignes testes ac defensores ecclesiasticae libertatis et sacrae immunitatis, eo ipso docet, statuit et vindicat exclusivam competentiam et privativam auctoritatem, qua pollent Romani Pontifices, Episcopi atque ecclesiastici Judices ad cognoscenda, discutienda, dirimendaque ea omnia quae ad regimen, politiam et externam Ecclesiae disciplinam spectant.

4.° *Condemnatione* doctrinae contrariae; praeter speciales et notissimas Constitutiones Pontificias, quibus recensiti errores atque adversariorum systemata reprobata fuere, satis sit hoc loco adducere duas propositiones thesi stabilitae directe repugnantes et in Syllabo explicite damnatas: XXXIII—*Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure derigere theologicarum rerum doctrinam*: XLIV—*Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent...*

259. Probatur 2.ª pars thesis, scilicet: *Ideoque Ecclesiasticae Leges et Pontificiae Constitutiones non indigent* ACCEPTATIONE POPULI *ad vim obtinendam.*

Acceptationem populi ad valorem legis pontificiae esse necessariam nonnulli haeretici, praesertim vero Febroniani et Jansenistae eo consilio blaterati sunt, ut quamdam participationem seu interventum populo christiano in regimine Ecclesiae tribuerent, et ita conceptum

monarchicum potestatis supremae a Christo institutae everterent, elementum democraticum in Ecclesiae gubernationem inducendo.

Ad rectam hujus erroris intelligentiam animadvertere oportet *acceptationem* in triplici sensu usurpari posse: 1.° pro *consensu populi*, necessario ad substantiam seu essentiam legis; 2.° pro *voluntate populi*, necessaria ad gignendam obligationem legis jam conditae; 3.° pro *actuali legis observantia*, necessaria ad firmitatem legis constituendam. His praenotatis, ut notio acceptationis rite definiatur, inspiciamus nunc quaenam acceptatio rejicienda sit tamquam falsa et erronea, quaenam vero admitti queat.

1.° Excluditur et rejicitur necessitas acceptationis usurpatae pro *consensu* ad essentiam legis requisito triplici argumentorum genere, videlicet: Sacra Scriptura, Ecclesiae definitionibus et ipsa ratione.

Divinae Litterae in locis toties laudatis (1) nobis aperte tradunt Petrum ejusque Successores Romanos Pontifices independenter a populo et immediate a Christo accepisse potestatem supremam triplici facultate legislativa, judiciali et coercitiva instructam.

Quoad Ecclesiae *definitiones*, superfluum nobis videtur in medium proferre documenta, in quibus proscripta fuere commenta febroniana et janseniana hac de re, cum omnes perfecte norunt Decreta Sacrae Congregationis Indicis et tria Brevia Clementis XIII adversus opus Justini Febronii *De Statu Ecclesiae* expedita, et praecipue celeberrimam Pii VI Const. *Auctorem fidei*, doctrinam Synodi Pistoriensis veluti haereticam respuentem atque damnantem.

Ratio ipsa pro doctrina catholica militat, quandoquidem notio legis, juxta tritam Divi Thomae definitio-

---

(1) Math. capp. XVI, 18 et 19; XVIII, 18; XXVIII ,18-20.

nem: *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata,* minime exposcit consensum populi seu communitatis ad suum *esse* constituendum.

Ex allatata definitione quinque conditiones requiruntur ad essentiam seu substantiam legis, scilicet: *materia*, *forma, finis, auctor* atque *subjectum.* Ratione *materiae (ordinatio rationis),* lex debet esse regula agendi *rationabilis,* hoc est, honesta ordinique conformis, atque *ordinata* ad finem societatis, id est, ita apta, ut ad finem proprium societatis conducat; ratione *formae (promulgata)*, lex seu regula debet esse sufficienter proposita aut promulgata per modum obligationis; ratione *finis (ad bonum commune),* lex respicere debet bonum generale, non autem privatum aut particulare; ratione *auctoris (ab eo, qui curam habet),* lex emanare debet a persona publica, in qua legitime resideat potestas societatis; ratione *subjecti (communitatis),* lex seu regula fertur aut proponitur societati, populo vel communitati, non vero subditis privatis.

At nunquam neque theologi, neque juristae ad naturam legis constituendam, ejusque essentiam determinandam postularunt populi vel communitatis assensum; igitur, etiam abstractione facta a divina revelatione, atque praetermissa Ecclesiae doctrina ejusque dogmaticis definitionibus, sola duce ratione, placitum neotericorum evaderet prorsus ineptum, necnon a jure naturali absonum.

2.° Excluditur et rejicitur insuper necessitas acceptationis sumptae pro *voluntate* recipiendi in se obligationem legis jam conditae, ita ut lex ab arbitrio communitatis vel coetus fidelium pendeat, si non quoad essentiam, saltem quoad vim cogendi; etenim semel statuta hac voluntate tamquam conditione necessaria, ut lex obliget, incurritur in damnationem ab Alexandro VII latam die 24 Septembris anni 1665 adversus sequen-

tem propositionem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.*

Deinde, juxta conceptum proprium ac juridicum ipsius legis nuper expositum, obligatio legis, seu quod idem est, necessitas actiones attemperandi regulae agendi a legislatore propositae non repetenda est a voluntate vel libitu populi aut subditorum, sed necessario et recte derivatur a potestate legitima principis vel superioris regulam seu legem auctoritative proponentis et sufficienter promulgantis.

3.° Quod si acceptatio populi intelligatur pro *actuali legis observantia,* atque in hoc tertio et stricto sensu asseratur acceptationem populi, et in re ecclesiastica fidelium, necessariam censendam esse ad firmitatem *accidentalem* legis efficiendam, non renuimus huic necessitati assentiri; quippe, hac interpretatione praemissa, lex nec vim *essendi*, nec vim *cogendi* ab acceptatione populi recipiat, sed tantum quamdam stabilitatem obtinebit et propter ipsam observantiam in desuetudinem, abrogationem vel derogationem non deveniet.

260. Probatur 3.ª pars thesis, nempe: *Ideoque Ecclesiasticae Leges et Pontificiae Constitutiones non indigent* CONSENSU PRINCIPUM *ad vim obtinendam.*

1.° Evincitur veritas hujus propositionis testimoniis ex Sacris Litteris depromptis; sed cum sat nota et toties repetita habeantur, generale argumentum formulare sufficiat hisce terminis: textus omnes seu loca Novi Testamenti, in quibus agitur de institutione et traditione potestatis supremae a Christo Domino facta pro regenda sua Ecclesia, pro legibus condendis, atque pro transgressoribus vel contumacibus poenis salutaribus coercendis, dumtaxat de Petro et Apostolis loquuntur, et de Regibus ac Magistratibus saecularibus omnino silent; ergo ex Dei dispositione seu juxta Christi voluntatem, solus Petrus ejusque Successores Pontifices Summi, soli Apostoli eorumque Successores Episcopi legitimi

jure proprio et auctoritate exclusiva Ecclesiam regere, leges statuere, judicium ferre, et poenas infligere possunt, quin necessarius sit Principum consensus, interventus, conformitas, annuentia vel ratificatio, ut in societate a Christo condita regimen externum legitime exerceatur, leges fideliter serventur, sententiae religiose exsequantur, et poenae efficaciter adimpleantur.

Et quidem, cum Evangelium taceat, vel Principes hanc potestatem suum consensum ad vim Legum Pontificiarum praestandi per summum nefas et magna cum injuria sibi arrogarunt, vel illam ab Ecclesia, Romanis Pontificibus, Oecumenicis Conciliis aut Sanctis Patribus receperunt; atqui ejusmodi delegatio, concessio vel mandatum non solum non constat in ecclesiasticis monumentis, sed e contra rejectum, reprobatum atque prorsus damnatum apparet; igitur Principes aperta usurpatione egerunt, et Febroniani, Gallicani ac Regalistae sacrilegum crimen attentarunt, et jura Ecclesiae laeserunt.

2.° Ejusmodi perniciosa et falsa theoria ex Gallicanismo et Regalismo deprompta est; jam vero haec exitialia systemata damnata sunt; ergo etiam errores atque theoriae ab eisdem desumptae ecclesiastico anathemate perculsae habentur.

3.° Demum, nostris diebus hoc placitum jansenianum et iniqua Principum exactio stygmate duplicis damnationis, tum Pontificiae, tum Conciliaris, denuo signata est; Pius IX proscripsit propositionem XX Syllabi, quae ita se habet: *Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii* VENIA *et* ASSENSU; et Concilium Vaticanum in Const. de Ecclesia Christi *Pastor aeternus* iterum hunc errorem profligavit: *Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impedire posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati* OBNOXIAM, *ita ut contendant, quae*

ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis PLACITO *confirmentur.*

Ex his, quae hactenus leviter adumbravimus, fas est colligere Ecclesiam potestate propria et suprema a Christo Domino esse insignitam, tum ad gregem christianum regendum, tum ad leges pro temporum opportunitate condendas; ac proinde ejus externam politiam, legesque seu ordinationes quavis aetate editas nulli conditioni aut limitationi vel ex parte Principum, vel ex parte fidelium subesse, ut vim cogendi et valorem juridicum ubique gentium obtineant.

ARTICULUS VI.

SUMMARIUM.

261. 2.ª Thesis adversus errores *democraticos*: *Populo christiano minime competit jus imperandi in sacra vel participandi ecclesiastico regimini.*—262. Probationes Sacrae Scripturae.—263. Praxis Apostolorum.—264. Perpetua Traditio.—265. Objectiones.

261. Doctrina catholica thesi generali constabilita, ad pleniorem rei confirmationem singulos errores articulo I recensitos particularibus propositionibus perstringemus; unde a prima categoria incipientes eos omnes qui elementum *democraticum* in ecclesiasticum regimen inducere conantur, sequenti thesi confutabimus: *Populo Christiano minime competit jus imperandi in sacra vel participandi ecclesiastico regimini.* Ejusmodi thesis triplici argumentorum genere evincitur, nempe, Sacra Scriptura, Praxi Apostolorum et perpetua Traditione.

262. *Sacra Scriptura.* Facultas regendi vel ecclesiastico regimini participandi communitati christianae concessa, juxta divina eloquia, plane refragatur: 1.º *naturae* potestatis Apostolis traditae, quae, utpote *divi-*

na, immediata et *plena,* populum aut coetum fidelium prorsus excludit; 2.° *institutioni* Primatus Petro ejusque Successoribus a Christo Domino collati tamquam auctoritatis *supremae, infallibilis* et *universalis,* quae omnia componi nequeunt cum dependentia a populo; 3.° explicitae D. Pauli *doctrinae* circa originem Apostolatus.

1.° Potestas quam Christus Apostolis contulit fuit [a]) *divina,* uti ex Evangelio S. Joannis constat: SICUT *misit me Pater, et ego mitto vos* (1)—Apostoli mittuntur a Jesuchristo, sicut ipse missus fuerat a Patre; sed ipse quatenus homo missus est cum potestate divina, suprema et absoluta, absque ulla dependentia a populo vel quoqumque alio humano elemento aut terrena institutione; ergo etiam Apostoli (*Sicut*).

Haec potestas divina Apostolis tributa [b]) *immediate* etiam ipsis communicata est, prout aperte liquet ex Evangelio S. Matthaei: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* EUNTES ERGO... (2)—Christus Dominus vi potestatis quae ipsi ab Aeterno Patre, cum humanam naturam assumpsit, data erat in coelo et in terra, suis Apostolis directe atque immediate facultatem impertitur docendi, baptizandi et suorum mandatorum observantiam urgendi; nullus igitur interponitur populus inter Salvatorem potestatem conferentem et Apostolos eadem instructos, immo vero hi omnimoda auctoritate praediti erant, antequam existeret corpus fidelium *(Euntes ergo).*

Demum Redemptor humani generis, volens gentes ad fidem converti, et conversas in unitate fidei ac communionis regi et custodiri, Apostolis tradidit potestatem non solum divinam atque immediatam, verum etiam [c]) *plenam,* ut in loco evangelico nuper laudato legitur: DOCETE *omnes gentes,* BAPTIZANTES *eos in nomine Patris*

---

(1) Cap. XX, v. 21.
(2) Cap. XXVIII, v. 18.

et Filii et Spiritus Sancti; docentes eos SERVARE *omnia quaecumque mandavi vobis* (1)—Juxta haec verba Apostolis demandatum est munus et officium praestantissimum populum Christo generandi et semel generatum recte gubernandi, et quidem pleno jure et omnimoda potestate, hoc est, in ordine doctrinali *(docete)* cum magisterio auctoritativo, in ordine sacramentali *(baptizantes)* cum sacro ministerio, atque in ordine legislativo et disciplinari *(servare)* cum vero imperio; age jam, meridiana luce patet neque populum in Christo regenerandum atque pascendum potestatem recepisse evangelium praedicandi, sacramenta ministrandi, leges ferendi vel regimen externum gerendi, neque coetui fidelium hoc jus deferri posse, quin gravissime laedatur plenitudo auctoritatis Apostolis tributae pro fungendo triplici munere fideles docendi, animas sanctificandi atque gentes dirigendi *(docete, baptizantes, servare).*

2.° Interventus populi in ecclesiastico regimine insuper *institutioni* Primatus B. Petro, Romanisque Pontificibus collati aperte contradicit; etenim potestas primatialis, ex mente ac voluntate Christi in Divinis Litteris luculenter declarata, triplici praerogativa insignita est, *suprematia, infallibilitate* atque *universalitate*; jam vero hae potissimae dotes, quibus Christus Dominus ornare voluit Caput Visibile Ecclesiae a se conditae, quamcumque juridicam populi christiani interventionem omnino explodunt.

a) Et sane auctoritas Petro ejusque legitimis Successoribus divinitus tradita fuit primo *suprema*, uti testatur S. Mattheus: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram* AEDIFICABO *Ecclesiam meam... Et tibi dabo* CLAVES *regni coelorum. Et* QUODCUMQUE LIGAVERIS *super terram, erit ligatum et in coelis*; et QUODCUM-

(1) Matth. eod. loc.

QUE SOLVERIS *super terram, erit* SOLUTUM *et in coelis* (1)—His verbis Petrus constituitur fundamentum Ecclesiae, unaque Principi Apostolorum promittuntur claves regni coelorum atque Dominum in coelis ligaturum aut soluturum id omne quod ipse in terris ligasset vel solvisset; quod si auctoritas Romanorum Pontificum B. Petri Successorum pro regenda, constituenda et congruis legibus munienda Ecclesia a corpore fidelium penderet in exercitio, jam non Ecclesia fulciretur Petra, sed Petrus inniteretur Ecclesia, nec Princeps Apostolorum claves coelestis regni absolute reciperet, nec Deus ratam statim haberet in coelis sententiam sui in terris Vicarii, sed populi confirmationem aut irritationem exspectaret (*aedificabo, claves, ligaveris, solveris*).

b) Deinde auctoritas primatialis, qua Christus Petrum ejusque in posterum Successores decoravit, *infallibilitate* ornata fuit, teste S. Luca: *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut* NON DEFICIAT FIDES TUA: *et tu aliquando conversus* CONFIRMA *fratres tuos* (2)—Hoc in textu Salvator tentationes, haereses atque defectiones in Ecclesia ab ipso condenda fore praedicit; suam orationem pollicetur, ut fides Petri nunquam errore labefactari queat; necnon eidem ejusque Successoribus munus gravissimum committit fratres in recta fide et orthodoxa doctrina confirmandi; si autem populus christianus praecipuam partem in rebus ecclesiasticis haberet, vel ejus concursus pro sacra gubernatione necessarius adesset, prout autumant patroni regiminis democratici, tunc cribratio seu satanae tentatio praevaleret, fides Petri deficere posset, et ordine divino prorsus immutato, fratres Romanos Pontifices Christi

---

(1) Cap. XVI, vv. 18 et 19.
(2) Cap. XX, vv. 31 et 32.

Vicarios ac Petri Successores confirmare deberent (*rogavi, non deficiat, confirma*).

c) Denique jurisdictio Primatus divina ordinatione instituti, uti evangelista S. Joannes docet, ***universalis*** quoque est; complectitur enim sive fideles, sive Pastores secundi ordinis, Supremo Pastori, cui totius christiani gregis cura demandata fuit, subjectos: *Dicit ei* (Petro): *Pasce* AGNOS *meos... Dixit ei: Pasce* OVES *meas* (1)—Heic Petro tribuitur potestas plena, ordinaria atque immediata tum cunctum populum pascendi, tum etiam Episcopos seu Rectores portioni gregis praefectos regendi: at in sententia eorum qui corpori fidelium jus deferunt sese in religionis negotiis et Ecclesiae politia immiscendi, vel juridicum coetus christiani consensum pro firmitate legum sacrarum vel validitate actuum ecclesiasticorum exquirunt, penitus inverteretur ordo a Divino Institutore praestabilitus, quippe non esset jam Petrus qui agnos pasceret, sed e contra agni, hoc est, fideles, populus christianus, subditi religiosi ac membra spiritualia pascerent Supremum Pastorem, Rectorem maximum, Pontificem summum et visibile Ecclesiae Caput, quod quidem a Christi voluntate, evangelica doctrina et unanimi totius antiquitatis sensu plane abhorret (*agnos, oves*).

3.° Postremo, theoria democratica Ecclesiae regimini applicata explicitae D. Pauli *doctrinae* directe repugnat, qui dignitatem et munus Apostolatus cum omnibus juribus huic nobilissimo titulo et praestantissimo officio inhaerentibus a Deo tantum repetit: ***Paulus Apostolus*** NON AB HOMINIBUS, ***neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis*** (2)—Ex hoc paulino testimonio ineluctabiliter colligitur Apostolos pro Ecclesia pristinis temporibus con-

(1) Cap. XXI. vv. 16 et 17.
(2) Ad Gal. cap. I, v. 1.

stituenda, diffundenda atque ordinanda plenitudinem potestatis ita immediate a Christo recepisse, ut eam sine ulla a populo dependentia exercuerint.

263. *Praxis Apostolorum.* Praeterea ex monumentis historicis sinceris ac genuinis nobis constat factum luculentissimum ab ipsis Ecclesiae incunabilis saepius repetitum, videlicet, Apostolos semper per se nominasse atque instituisse Episcopos per omnes civitates absque ullo populi interventu, cujus rei nonnulla testimonia proferre jubat: 1.° in Actibus Apostolorum legimus Paulum et Barnabam peragrasse Ciliciam et alias regiones constituentes per singulas civitates presbyteros, hoc est, episcopos (1): *Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt* (2); 2.° Doctor gentium ad Titum scribens ita inquit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* (3); 3.° Eusebius (4) nobis enarrat D. Paulum ordinasse Sanctum Dionysium episcopum Corinthi et Sanctum Timotheum episcopum Ephesi, atque B. Petrum ordinavisse Evodium Antiochenum, et Ignatium, Linum, Cletum Romae et Marcum Ecclesiae Alexandrinae; 4.° Divus Hieronymus attestatur (5) S. Joannem ordinasse beatum Policarpum episcopum Smyrnensem;

---

(1) Alias animadvertimus nomen *presbyteri* genericum esse et in suo conceptu etiam complecti denominationem specificam *episcoporum*; etenim in Sacra Scriptura haec duo vocabula promiscue usurpantur, sic S. Petrus ait: *Seniores* (πρεσβυτερους) *ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior* (ὁ συμπρεσβυτερος) *et testis Christi passionum* (Epist. I, cap. V, v. 1); et in Actibus Apostolorum legitur: *Conveneruntque Apostoli et seniores* (πρεσβυτεροι) videre de verbo hoc (Cap. XV, v. 6).

(2) Cap. XIV, v. 22.

(3) Cap. I, v. 5.

(4) *Hist. Eccles.* Lib. III, cap. IV, núm. 15.

(5) *De Viris Illustribus*, cap. XVII.

5.° denique, tum ex D. Hieronymo (1) tum ex praelaudato Eusebio Caesareensi (2) scimus Apostolos constituisse prope innumeros episcopos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bityniam.

Recte igitur ex his factis indubiis, quae brevitatis gratia tantum adumbravimus, inferre nobis licet institutionem Episcoporum et externum fidelium regimen primordiis Ecclesiae apud Apostolos fuisse, minime vero penes populum christianum.

264. *Traditio*. Tandem, si sensum totius antiquitatis et doctrinam ab Ecclesia traditam consulamus, denuo videbimus elementum democraticum nunquam juridice ac necessario concurrisse in fidelium gubernationem Episcoporum electionem vel legum promulgationem, quod evidenter patefacit leviter perscrutando Conciliorum canones, Romanorum Pontificum decreta et Sanctorum Patrum sententias.

1.° Canon IV Concilii Nicaeni statuit: *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia ordinari. Si autem hoc difficile fuerit aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in ipsum convenientibus, et absentibus quoque pari modo decernentibus et per scripta consentientibus, tum ordinatio celebretur*. FIRMITAS *autem eorum quae geruntur per unamquamque provinciam*, METROPOLITANO *tribuatur episcopo*; et canon VI ita concludit: *Si quis* PRAETER SENTENTIAM METROPOLITANI *factus fuerit episcopus, hunc magna Synodus definiit episcopum esse non oportere:* nulla in his canonibus fit mentio populi.

Concilium Sardicense, ut videre est in cap. 2. tituli VI. lib. I. *de electione et electi potestate*, reprobat atque etiam communione laica privat eum, qui exigit electum ordinari ex litteris a populo habitis, cum plures de po-

---

(1) *Commentarium* in cap. 25 Matth.
(2) *Hist. Eccles*. Lib. III, cap. IV, num. 5.

pulo corrupti sint. Concilium Laodicenum canone XIII, prout legitur in can. VI. dist. 63, decrevit: *Non est permittendum* TURBIS *electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi.* Concilium Antiochenum can. XVIII declarat: *Si quis episcopus ordinatus, ad parochiam cui est electus minime accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut* POPULUS *vitet, aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam, hic et honoris sit et ministerii particeps.*

Demum, ne longiores simus, Tridentina Synodus in sessione XXIII, cap. IV aperte tradidit: *in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et caeterorum Ordinum, nec* POPULI, *nec cujusvis saecularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a* POPULO, *aut saeculari potestate ac magistratu vocati, et instituti, ad haec ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt; omnes non Ecclesiae Ministros, sed fures, et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse.* Quae quidem doctrina, ut alibi diximus, anathemate can. VII ejusdem sessionis ita sancita est, ut *missi* a populo *aliunde* venire dicantur, eorumque missio *ecclesiasticae* et *canonicae missioni* opponatur.

2.° Quoad Romanos Pontifices pervulgata est in Jure Canonico sententia ad instar regulae et axiomatis a S. Caelestino ad Episcopos Apuliae et Calabriae (1), S. Siricio ad Gallos Episcopos (2) et Stephano Papa ad Archiepiscopum Ravennatis (3) prolata: *Docendus est* POPULUS, *non sequendus.*

Valde etiam trita sunt verba Innocentii III: LAICIS *quantumvis religiosis in Ecclesia nulla est attributa pote-*

---

(1) *In Decr. Grat.* can. 2, dist. 62.
(2) Cap. V.
(3) Can. 12, dist. 63.

stas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi (1).

Denique usque centies retulimus Joannem XXII damnasse ut haereticam doctrinam Marsilii Patavini in Const. *Licet*; itemque Pium VI errores Synodi Pistoriensi proscripsisse in celeberrima Bulla *Auctorem* fidei.

3.° Ecclesiae etiam Patres dictis vel factis, explicitis testimoniis vel sua agendi ratione, necessitatem infitiantur concursus popularis aut juridici plebis consensus pro electione Ministrorum: et sane, ipse S. Cyprianus, cui fuit singularis consuetudo ac persuasio, ut ex ejus scriptis eruitur (2), negotia ecclesiastica graviora agi oportere (non quidem debere) non modo cum presbyteris, verum etiam cum plebe, tamen inquit: *In ordinandis clericis; fratres carissimi,* SOLEMUS *vos ante consulere, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare... Sed exspectanda non sunt testimonia* HUMANA, *cum praecedunt divina suffragia* (3); igitur, juxta Doctorem Africanum, consensus plebis non erat rigorose necessarius, et aliunde casus extraordinarios exclusionis popularis admittebat.

S. Basilius anno 370 Synodum Provincialem habuit in quo Euphronium elegit in Episcopum Nicopolitanum, et postquam electionem absque concursu populi vel optimatum fecerat, Senatui urbis Nicopolitanae scripsit ut eum susciperet hisce terminis: *Dispensationes ecclesiasticae* FIUNT CERTE *ab iis quibus ipsorum commissa fuit praefectura, sed confirmantur a populis. Nam quod ad dilectissimos spectabat Episcopos, adimpletum est; quod superest vestrum est ut dignum putetis bono animo suscipere Episcopum vobis* DATUM *et fortiter rejicere extraneorum conatus* (4); Senatus vero Nicopolitanus ita

(1) Cap. III. *de Constit.*
(2) Conf. ejusdem Epistolam XXVIII.
(3) Epist. 2. Lib. 2.
(4) Epist. 194.

reposuit: *Vos judicastis dignum*; *nos consensum dedimus.*

S. Leo Magnus ad Episcopos Africanos scribens (1) eos reprehendit, quod indignos ordinent ex plebis petitione, quamvis aliunde extra casum tumultus popularis velit attendatur testimonium tum fidelium, tum eorum qui foris sunt (2).

Objectiones.

265. Object. 1.ª *ex Sacra Scriptura* sumpta: In dubium revocari nequit quin saltem ad populum spectet, electio ministrorum et pastorum adeo ut illi dumtaxat spirituali ministerio et jurisdictione fungi debeant, qui a plebe christiana fuerint nominati; et quidem jus coetui fidelium competens evidenter probant tum electio S. Matthiae, tum electio septem Diaconorum *per universum populum* factae,uti ex Actibus Apostolorum capp. I. et VI liquido constat; ergo saltem quoad electionem sacrorum ministrorum admittenda est interventio populi.

Resp. neg. ant et cons.; ad probationes ex Actibus depromptas sic per partes respondemus.

1.° Facta quae ex sacra Scriptura allegantur, tantum ostendunt Apostolos in his duobus casibus vere exceptionalibus speciali de causa congruum ac prudens existimasse interrogare fideles; etenim in primo casu ex sapientissima voluntate B. Petri ille eligendus erat qui fuisset cum Domino a baptismate Joannis usque ad ascensionem, ut testimonium reddere posset: *Oportet ergo*, inquit Princeps Apostolorum, *ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt*

(1) Epist. 85, alias 87. Vid. apud *Decret. Grat.* can. 5. dist. 61.
(2) Epist. 10, alias 89 *ad Episcopos Provinciae Viennensis.*

duos, etc. (1). Agebatur proinde de quaestione facti, quae nullo meliori modo resolvi poterat, quam fidelium testimonio. Similiter in secundo casu Diaconorum, causa sedandi murmur inter Habraeos atque Hellenistas obortum; sapientius et oportunius putarunt Apostoli electionem ipsis fidelibus commendare, ut eos eligerent, qui omnium fiduciam mererentur.

2.° Non omnia, quae egerunt Apostoli, juris divini censeri possunt, uti certe evenit in controversia circa quam versamur; etenim, prout supra historicis documentis comprobavimus, exploratum est Apostolos in caeteris ac prope innumeris casibus per se ordinasse et elegisse Episcopos, quos quamplurimis Ecclesiis praefecerunt.

3.° Asseri nequit tamquam res omnino comperta *universum populum* ad illas electiones convenisse; nam de S. Matthia in alio loco (Act. I, 15) legimus *fere centum viginti*, in alio vero (I. Cor. XV, 6) *visus est plus quam quingentis fratribus simul:* de septem autem Diaconis in Actibus (II,41) dicitur *appositae sunt animae circiter tria millia*, et in eodem libro (IV, 4), occasione claudi a Petro sanati, fertur *Multi.., crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia.* Tantam vero multitudinem eo tempore in unum locum Hierosolymis convenisse nemo est qui credat.

4.° Quicumque in utroque casu convenerunt, non elegerunt, sed *nominarunt*, *designavere*, *praesentaverunt proposuerunt*, uti infertur quoad S. Matthiam ex verbis *statuerunt duos* (Act. I, 23) atque *elegeris* (eod. loc. 24); et quoad septem Diaconos idem colligitur ex verbis *considerate viros boni testimonii... quos constituamus super hoc opus* (Act. VI, 3).

5.° Quae fideles egerunt, ea non jure proprio, sed vi concessionis Apostolorum, eorumque mandato fecere,

(1) Act. cap. I. vv. 21, 22 et 23.

nimirum B. Petri in electione S. Matthiae (Act. I, 21); Apostolorum quoad Diaconos (Act. VI, 2 et 3).

Object. 2.ª: S. Paulus interventum in ecclesiastico regimine populo tribuit, etenim describens qualitates ordinandi in episcopum ait: *Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli* (1); adest igitur elementum democraticum in externa Ecclesiae gubernatione.

Resp. Hoc in loco fit unice mentio populi; sed per ejusmodi verba tantum significatur ordinandum vel eligendum qualitatibus moralibus ita ornari debere, ut integra fama gaudeat tum apud fideles, tum apud infideles. Age jam, cum forma ordinaria, consueta et magis obvia cognoscendi famam ordinandi sit interrogatio ipsius populi, ideo Doctor gentium exposcit *testimonium bonum ab iis qui foris sunt*, ut ita constare possit idoneitas atque dignitas ordinandi; at sicut per textum paulinum nullum jus confertur infidelibus interviniendi electionibus Ministrorum Ecclesiae, sic nec populo adscribi queit facultas juridica sese in sacris electionibus miscendi.

Hinc nec interrogatio populi est absolute necessaria, quippe integritas famae Episcopis ordinantibus aliter innotescere valet, neque testimonium plebis christianae habendum est tamquam suffragium auctoritativum, deliberativum vel consultativum, sed spectandum tantum velut votum *mere informativum:* Ecclesia tamen hunc exquirendi informationem morem semper servavit ex veteri disciplina populum interrogando per formulam *dignus vel indignus,* hodie autem fideles interpellando per denuntiationes, quae a parochis fiunt, atque etiam in ipso ritu in memoriam antiquae disciplinae et verae interpellationis.

(1) I ad Tim. cap. IV, v. 7.

Object. 1.ª ex *traditione* petita: Monumenta remotissimae antiquitatis fidelibus vindicant jus participandi Episcoporum electioni; enimvero S. Clemens I (1), Constitutiones Apostolicae (2), Tertullianus (3), Sanctus Caelestinus (4), S. Leo Magnus (5), Concilium Carthaginense IV (6), aliaque plura Concilia, Patres ac Pontifices, quae nimium esset proferre, requirunt ad novos Episcopos eligendos et constituendos *universae Ecclesiae gratum testimonium, cuncti populi adsistentiam et annuentiam, seniorum praesidentiam, omnium suffragium atque judicium, consensum honoratorum, plebis votum ac desiderium, civium conniventiam et assensum,* et quamplurima id genus.

Resp. Auctoritates objectae, aliaque similia testimonia quae adduci possunt, solummodo evincunt in prima Ecclesia obtinuisse morem populum interrogandi, ejusque testimonium exquirendi in promotione Episcoporum, idque invaluisse, ex voluntate ipsius Ecclesiae, ad implendum monitum Apostoli, minime autem veluti conditionem juridicam et essentialem ad firmitatem electionis vel valorem canonicae institutionis; enim, juxta canonem IV Concilii Nicaeni supra relatum, *firmitas eorum, quae gerebantur per unamquamque provinciam* (ideoque jus confirmandi et consecrandi seu consecrare faciendi) *tantum metropolitano tribuebatur episcopo.*

Object. 2.ª: Sed inter omnia monumenta antiquae traditionis argumentum vere ineluctabile pro causa populi nobis praebet S. Cyprianus, qui luculenter et absolute tradit: *Ipsa maxime plebs habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi: quod et*

---

(1) Epist. I. *ad Cor.* num. 44.
(2) Lib. VIII, cap. IV.
(3) *In Apologetico.*
(4) Citatus a Gratiano can. 18, dist. 61.
(5) Epist. *ad Episcopos provinciae Viennensis in Gallia.*
(6) Can. XXII.

ipsum videmus de DIVINA AUCTORITATE *descendere, ut sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur* (1).

Resp. 1.° S. Ciprianus expresse distinguit *plebem* ab *eligentibus;* ita ut plebi nonnisi *praesentem esse* concedat iis, qui electionem peragant: 2.° judicium plebis *ad testimonium* de *idoneitate* restringit: 3.° in phrasi *plebs habet potestatem vel eligendi* etc. vox *eligendi* latiori sensu sumitur, uti eruitur ex sequentibus verbis *vel indignos recusandi,* quibus Sanctus Martyr explicat electionem, de qua loquitur, sitam esse in hoc, quod sacerdos eligatur coram omnibus, ut quisque possit testimonium perhibere de suis bonis et malis meritis, et ita ille habeat pro se omnium consensum; tunc enim, nondum exacte determinato valore vocabulorum, nomen electionis pro postulatione, expetitione, desiderio vel voto late accipiebatur: 4.° ex loco S. Cipriani citato neutiquam colligitur plebi *divino jure* competere, *ut praesens sit electionibus,* quia *jus divinum* probari nequit ex uno vel altero cujuspiam Patris testimonio, maxime cum diuturna Ecclesiae praxis repugnet: 5.° in commate *de Divina auctoritate descendere* vocabulum *auctoritate* non significat hic *praeceptum,* sed *exemplum,* quod manifeste patet ex ipso contextu; tum quia Doctor Africanus sententiam suam corroborat *exemplis* desumptis ex Veteri Testamento in consecratione Eleazari Aaronis filii, ex Novo autem in electione S. Matthiae et septem Diaconorum; tum etiam quia fatetur non in omnibus provinciis praesentiam plebis in electionibus fuisse adhibitam (*quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur*), quod equidem componi non posset neque cum jure divino, si praesentia plebis exigeretur, neque cum modo loquendi S. Cypriani eas provincias, quae contra-

(1) Epist. 68 alias 67.

riam consuetudinem servabant, nullo pacto reprehendentis.

Object. ex *historia* deprompta: Juxta veterem Ecclesiae praxim, electio Episcoporum fiebat interveniente plebe christiana; ergo inficiari nequit participatio elementi democratici ecclesiastico regimini.

Resp. Ad naturam et extensionem interventionis popularis in sacris electionibus recte finiendam et falsitatem hujus argumenti detegendam, de historia electionum episcopalium haec praemonere sufficit: 1.° Quamvis variae aetates discriminari solent in hac disciplina, quibus distincta electionis methodus servata est; nunquam tamen eadem fuit omnibus locis plane communis, ita ut notabiles varietates non modo in omnibus aetatibus collective, verum etiam in singulis facile deprehendantur, uti in articulo XI capitis II exposuimus praxim unaquaque epocha communiorem recensendo; 2.° Quando monumenta antiquissimae aetatis partem aliquam plebi tribuere videntur in eligendis Episcopis, id intelligendum est, quemadmodum supra innuimus, tantum de testimonio bonae vitae, de voto informativo circa idoneitatem et dignitatem eligendi, de postulatione vel communi fidelium desiderio, non autem de voto deliberativo, suffragio juridico vel facultate auctoritativa et proprie dicta eligendi; enim juxta antiquos canones, praesertim vero ex canone IV Concilii Nicaeni I nuper citato, electio Episcoporum fieri debebat a caeteris Ecclesiasticae Provinciae Episcopis, quod expresse eruitur ex ipso S. Cypriani testimonio, ubi asseritur *plebem praesentem oportere esse eligentibus ad testimonium ferendum,* facta distinctione inter *electores* et *plebem,* eique tantummodo *testis parte assignata*; 3.° Suffragii popularis ratio habenda erat *hoc sensu,* ut ab Episcopis electoribus is non eligeretur, qui communi populi opinione censeretur indignus; vel contra is eligeretur, qui dignissimus omnium consensu haberetur;

quo quidem sensu etiam eorum testimonium, *qui foris sunt*, attendendum esse monuit S. Leo Magnus ad Episcopos provinciae Viennensis scribens; 4.° Praeter hoc testimonium, plebi christianae solum competere poterat facultas *postulandi*, ita tamen ut electores imprudenter populi votum sequi minime deberent; hinc in materia electionis semper invocata fuit velut axioma sententia cononica toties memorata: *Docendus est populus, non sequendus;* 5.° Quoties ex participatione populi turbae, factiones vel tumultus nascerentur, vel ex depravatione morum electiones non fierent secundum Dominum, sed studio partium aliisque praeconceptis finibus, Ecclesia sapienter gerens plebem a quacumque participatione exclusit, et aliter sibi adquisivit informationes de vita et honestate eligendi, uti constat ex Conciliis Laodiceno (can. XII et XIII), Antiocheno I (can. XVI) et Nicaeno I (can. IV); 6.° Demum, cum Concilio Constantinopolitano IV (Oecumenico VIII) asseverare possumus regulariter populum in electionibus *silere oportere ac attendere sibi, usquequo regulariter e Collegio Ecclesiae suscipiat finem electio futuri Pontificis* (1).

ARTICULUS VII.

SUMMARIUM.

266. 3.ª Thesis adversus errores *aristocratico-presbyterales*: *Episcopi sunt jure divino presbyteris superiores, tum quoad potestatem ordinis, tum quoad potestatem jurisdictionis.*—267. Ostendatur superioritas Episcoporum quoad potestatem *Ordinis*.—268. Evincatur praestantia Episcoporum supra presbyteros quoad potestatem *Jurisdictionis*.—269. Argumentum ex Sacris Litteris sumptum.—270. Quid hac super re sensus traditionalis doceat.—271. Argumentum rationis.

266. Elemento democratico ab ecclesiastico regimine penitus excluso, inquirendum superest utrum presbyteris competat potestas regendi vel saltem ali-

---

(1) Post *Act.* X, *Reg.* XXII.

qua participatione jurisdictionis in sacro imperio fruantur. Notum est Presbyterianos, Aërii saeculi IV novatoris et Wicleffitarum ac Waldensium haeresim renovantes, asseruerunt saeculo XVI omnimodam Episcoporum cum presbyteris aequalitatem sive quoad potestatem ordinis, sive quoad potestatem jurisdictionis. Postea vero Richeriani initio saeculi XVII et Jansenistae saeculo superiori Presbyteros, maxime Parochos, plus quam par erat, extulere, eorum potestatem amplificando veluti si immediate atque ordinarie a Deo recepissent.

Contra veteres haereticos et recentiores neotericos qui aristocratiam presbyteralem in Ecclesiam invehunt, sequentem adstruimus thesim: *Episcopi sunt jure divino presbyteris superiores tum quoad potestatem ordinis, tum quoad potestatem jurisdictionis*. Tres partes habet propositio, quarum prima est Episcopos presbyteris esse superiores ratione *ordinis*, altera est illos etiam superioritate pollere ratione *jurisdictionis*, tertia autem affirmat utramque superioritatem Episcopis *jure divino* competere. Pars prima de fide est, prout constat ex definitione Tridentina, Sess. XXIII, can. VII: *Si quis dixerit episcopos... non habere potestatem... ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem, anathema sit*; de potestate ordines seu ordinem conferendi brevissime loquemur, quia hoc munus theologis incumbit. Pars secunda etiam de fide est, utpote his verbis a Tridentina Synodo definita canone praelaudato: *Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores... anathema sit*; de praestantia, quae Episcopis competit supra presbyteros quoad dignitatem, gradum ac potestatem, quae omnia sub generali jurisdictionis nomine comprehendi solent, singillatim agemus, quia controversia juridica ad nostram provinciam attinet. Postrema pars, qua haec praestantia *jure divino* asseritur, licet de fide non sit, cum Tridentinum Concilium id noluerit expresse definire ob contraria aut diversa Pa-

trum suffragia circa hunc doctrinae articulum (1); attamen certa ac rata est apud catholicos adversus Lutheranos; ejusmodi catholica veritas speciali demonstratione non indiget, quippe ex iisdem fontibus quibus probatur Episcoporum praestantia supra presbyteros, evincitur eam ex divino jure descendere.

267. Superioritas Episcoporum quoad potestatem *Ordinis* evidenter liquet ex eo quod Episcopus conferre valet quaedam sacramenta, cujusmodi est Ordo, quorum vel cujus collatio a presbytero attentata prorsus vana atque irrita esset; neque dici potest hanc superioritatem ex delegatione Ecclesiae seu Summi Pontificis procedere duplici potissimum de causa.

1.° Quia, etsi apud viros criticos controvertatur utrum aliquando presbytero fuerit concessa facultas conferendi diaconatum, nemo tamen contendere ausus est posse ei tribui facultatem presbyteratum vel episcopatum conferendi; unde tritum axioma: "Episcopos tantum, non modo sibi inferiores, sed et pares generare posse„ juxta auream S. Epiphanii sententiam ita adversus Aërium scribentis: *Ordo siquidem episcoporum ad gignendos patres praecipue pertinet; hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio, alter* (Presbyterorum) *cum patres gignere non possit, filios Ecclesiae lotionis regeneratione producit* (2).

2.° Quia, licet daremus ex delegatione Romani Pontificis presbyterum conferre posse infimum ordinem hierarchicum seu diaconatum, et confirmationem administrare; nihilominus omnes consentiunt in eo quod retractata ab Ecclesia facultate aut delegatione, invalide attentaret presbyter conferre haec sacramenta, dum Episcopus nunquam expoliari potest facultate eadem

---

(1) Cons. Card. Pallavicini, *Storia del concilio di Trento*, lib. XVIII, cap. 14.

(2) *Haeres.* LXXV, cap. 4.

valide conferendi, quod mirifice corroboravit S. Hieronymus celebri hoc effato: *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? Sola namque Ordinatione superiores* (episcopi) *sunt, atque hinc tantum videntur presbyteris praestare* (1).

Episcopi igitur habendi sunt superiores presbyteris, et quidem *jure divino*.

268. Dogma insuper catholicum praestantiam Episcoporum supra presbyteros quoad potestatem *Jurisdictionis* adstruens, tamquam rem omnino exploratam et jure divino innixam, plena atque certissima evidentia etiam gaudet: frustra igitur Blondellus, Salmasius ac reliqui presbyteriani hunc fidei articulum a Patribus Tridentinis explicite declaratum impetere conati sunt, cum *Scriptura, traditio* et ipsa *ratio* pro veritate assertionis juridico-dogmaticae ineluctabile prorsus suppeditant argumentum.

269. *Scriptura*. Christus Dominus, juxta sacra eloquia, supremam et omnimodam potestatem jurisdictionis Apostolis eorumque legitimis successoribus contulit; ipsis enim traditae claves regni caelorum *(quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis)*, ipsi missi ad pascendum *(pascite)*, ipsi sacro imperio at auctoritativo magisterio insigniti *(euntes ergo, docete, servantes)*: nunc vero soli Episcopi successores sunt Apostolorum; igitur eisdem tantum competit vera et propria jurisdictio in Ecclesia, minime autem meris presbyteris.

Quod soli Episcopi Apostolis succedant, veritas adeo palmaria, certa atque irrefragabilis est, ut vix probatione egeat; omnes siquidem perspicue norunt Apostolos, *subjectum* potestatis a Christo collatae, in gradu episcopali esse constitutos, seu quod idem est, recepisse sacerdotium primi ordinis, *episcopale* nuncu-

(1) *Homil.* XI *in I epist. ad Tim.* num. 1.

patum; atqui omnes et soli Episcopi plenitudinem sacerdotii et sacrum principatum et ostendunt et possident, quia ipsi tantum *sunt positi a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo;* ergo soli Episcopi sunt plene et vere vocari possunt successores proprie dicti Apostolorum.

Vis hujus argumentationis nullo pacto infirmatur ex eo quod nonnulli objicere soleant in Sacra Scriptura praeter Apostolos passim memorari Presbyteros charactere et auctoritate episcopali insignitos; unde fas est colligere Presbyteros nunc temporis posse spectari ex divina institutione tamquam veros successores Presbyterorum tunc temporis, qui, secundum Divinas Litteras, potestatem jurisdictionis et habuerunt, et exercuerunt.

Verum haec difficultas simplici observatione perfacile solvitur; compertum enim est, ut alias monuimus, in Sacris Novi Testamenti Litteris ad Episcopos designandos duo indiscriminatim usurpari verba *Presbyteri (Senioris)* et *Episcopi;* ideoque ejusmodi vocabula vel unum idemque significant ut nomina *identica*, vel si sumantur ut nomina *diversa*, vox presbyter accipitur, ad instar *sacerdotis*, tamquam denominatio *generica*, quae, in sua notione duas species vel gradus sacerdotii complectens, sacerdotium nempe *episcopale* et sacerdotium *mere presbyterale*, aetate apostolica adhiberi consuevit pro designatione gradus episcopalis seu sacerdotii *primi ordinis*.

Et re quidem vera Sacra Scriptura sacerdotii secundi ordinis aut *mere presbyteralis* nunquam meminit: distinctio ac separatio duplicis gradus sacerdotalis, uti ex traditione et Historia Ecclesiastica (1) apparet, vel ab ipsis Apostolis facta est, vel saltem docuerunt eam

---

(1) Vid. de hac re nostram *Introductionem in Jus Ecclesiasticum, cap. I, art. IV, num.* 41.

jure divino fieri posse; sed quaecumque hypothesis fingatur, separatione ab Apostolis facta, juxta doctrinam et voluntatem Christi, ad traditionem necessario confugiendum est gratia inquirendi utrum Apostoli, sacerdotium in duos gradus scindentes, adsignaverint jure divino jurisdictionem propriam et gradui inferiori presbyteratus, vel an institutionem divinam exsequentes presbyteratum segregarunt atque constituerunt velut gradum auxiliarem Episcoporum, a quibus et quorum nomine tantum omnem jurisdictionem accipere et exercere deberent. Jam vero si monumenta catholicae traditionis perscrutemus, hoc postremum profecto enitet.

270. *Traditio.* Antiqua et christiana traditio unanimi consensu a presbyteris quamlibet jurisdictionem propriam abjudicat, ut luculenter evincunt sequentia testimonia: S. Ignatius martyr pro benedictione nuptiarum Episcopum tantum memorat: *Sponsi et sponsae, de sententia episcopi faciunt conjugium, ut nuptiae secundum Dominum sint, non secundum concupiscentiam* (1); Canon XXXVIII Apostolorum praecipit: *Presbyteri et Diaconi sine sententia Episcopi nihil perficiant: ipse enim est cujus fidei populus est creditus;* S. Cyprianus eamdem doctrinam tradit: *Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiae super eosdem praepositos gubernetur* (2); Concilium Ancyranum explicite declarat: *Non licere praesbyteris civitatis sine praecepto Episcopi vel litteris in unaquaque Parochia* (Dioecesi) *aliquid imperare* (3); Laodicenum idem inculcat: *Presbyteros nihil agere debere sine mente Episcopi* (4); hoc ipsum docet Toletanum I anno 400 habitum: *Sine conscientia Episcopi presbyteri nihil agere praesumant*;

(1) Epist. *ad S. Policarpum*, cap. V.
(2) Epist. 27, num. 1.
(3) Can. XII.
(4) Can. V.

demum unanimis pene est Patrum sententia Episcopos successores esse Apostolorum, quemadmodum presbyteri ab iisdem dicti sunt successores septuaginta duorum discipulorum, qui in inferiori gradu a Christo constituti fuerunt; etenim praecedere et praedicare debebant, ubi ipse Dominus cum Apostolis erat venturus, missio equidem mere perfunctoria, quae officium inferius Apostolis importabat, sed non proprie potestatem ordinis, multoque minus jurisdictionis praefigurabat.

271. *Ratio.*—Ipsa ratio veritatem dogmaticae assertionis firmissime roborat; enimvero, si Presbyteri *jure divino* aequales essent Episcopis quoad potestatem jurisdictionis, consequerentur tria incommoda gravissima, vereque absurda: 1.° scinderetur unitas Ecclesiae, quia hac hypothesi non jam, juxta mentem Divini Institutoris, unus pastor unum tantum gregem pasceret, sed singulae dioeceses pluribus pastoribus regerentur; 2.° jurisdictio in actu seu *exercitium* potestatis ordinatione conferretur, non vero per *missionem*, quod doctrinae, praxi et legibus Ecclesiae aperte repugnat; quoniam Episcopi, quaecumque sententia optetur circa originem jurisdictionis, hanc *hic et nunc* exercendam ab Ecclesia vel potius a Romano Pontifice recipiunt; 3.° jurisdictio, Presbyteris in ordinatione communicata, foret a) *irrisoria*, nempe jurisdictio absque jurisdictione seu sine subditis, qui tantum per legitimam missionem assignantur; b) *inutilis*, quandoquidem nunquam exerceretur, quia Ecclesia institutionem ac voluntatem Christi adimplens, eam solummodo Episcopis veluti propriam impertitur; c) *superflua*, nam frustra prius daretur cunctis presbyteris, ut postea ab omnibus auferretur et in unum concentraretur, qui cum ordine caeteris praestet, etiam jurisdictione praefulgeat, atque ita servetur principium unitatis *fiet unum ovile et unus pastor*.

ARTICULUS VIII.

SUMMARIUM.

272. 4.ª Thesis adversus errores *aristocratico-episcopales: Christus Dominus Primatum jurisdictionis in Ecclesiam contulit Beato Petro, in ejus Successoribus perpetuandum.*—273. Probetur 1.ª pars propositionis.—274. Demonstretur 2.ª pars thesis enuntiatae.

272. Praeter errores aristocratico-presbyterales, magni interest confutare etiam errores aristocratiae superioris seu episcopalis, placita nimirum eorum, qui vel asserentes omnes Episcopos esse jure divino aequales Primatum jurisdictionis Summi Pontificis diffitentur, et in Ecclesiam regimen *pure aristocraticum* inducunt, uti Schismatici Orientales a magno Photii schismate et saeculo XVII pervicax apostata Marcus Antonius de Dominis; vel agnoscentes divinam institutionem Primatus Pontificii contendunt Episcopis tribuendam esse jure divino participationem *supremo* Ecclesiae regimini, ita ut potestatem Summi Pontificis restringere queant sive in ordine dogmatico et disciplinari, sive in ordine practico et gubernativo; hujusmodi sunt vel fuerunt Gallicani, Richeriani, Febroniani, Jansenistae, Eybelliani aliique ejusdem furfuris, qui monarchiam *mixtam* nuncupabant formam ecclesiastici regiminis.

Adversus omnes errores *aristocratico-episcopales*, tum veteres, tum recentiores, sequens adstruitur thesis: *Christus Dominus Primatum jurisdictionis in Ecclesiam contulit Beato Petro, in ejus Successoribus perpetuandum.*

Ejusmodi propositio duas partes complectitur leviter pro more nostro demonstrandas: prior pars institutionem divinam Primatus, ejusdemque collationem Petro a Christo factam asserit; altera pars durationem atque perpetuitatem supremae potestatis a Domino institutae respicit; utraque invictissime ex Divinis Lit-

teris, monumentis Traditionis et Ecclesiasticis Definitionibus ostenditur.

273. Probatur 1.ª pars. 1.° *Sacris eloquiis*: Petrus constituitur (Matth. XVI) fundamentum solidissimum Ecclesiae-Eidem promittuntur *singulariter* (ibid.) claves regni coelorum—Ipsi injungitur (Luc. XXII) munus etiam *singulare* et praestantissimum confirmandi fratres in fide—Et insuper committitur (Joann. XXI) *jus* supremum et *officium personale* agnos et oves pascendi.

Vi hujus primatialis potestatis B. Petro divinitus collatae, Scripturae eum nobis exhibent veluti caeterorum Apostolorum principem, a Christo Domino singulari prorsus ratione prae omnibus distinctum et honoratum, ac munia sui Primatus exercentem. Et sane in Novi Testamenti Litteris legimus Petrum in Apostolorum censu constanter primo loco conmemorari (1), quamvis ipse prior non fuerit ad apostolatum vocatus (2); primum item Apostolorum qui Christum redivivum intuitus sit (3); primum qui edixerit alium Judae proditoris loco sufficiendum (4); primum qui Judaeis Christum praedicaverit (5); primum qui tum ipsos tum gentiles in Ecclesiam admiserit (6); primum qui sententiam in Concilio Hierosolymitano tulerit (7); qui Ecclesias universas inviserit (8), qui scripta Pauli probaverit (9), paucis verbis, qui alia plura propria et suprema auctoritate gesserit, ex quibus evidenter infertur Jesum Christum reipsa Petrum constituisse Fundamentum, Caput et Principem Ecclesiae a se conditae.

2.° *Traditione*: Ex universa antiquitate unum prae

(1) Matth. cap. X, v. 2, ubi expresse dicitur *primus*.
(2) Joann. cap. I, vv. 33—41.
(3) Luc. cap. XXIV, v. 34.
(4) Act. cap. I, v. 15 et seqq.
(5) Ibid. cap. II, v. 14 et seqq.
(6) Ibid. cap. X, 34; XV, 7.
(7) Ibid. cap. XV, v. 7.
(8) Ibid. cap. IX, v. 32.
(9) II Petr. cap. III, vv. 15 et 16.

omnibus testimonium laudamus, praeclara et luculenta verba, quae Sanctus Martyr Irenaeus de Ecclesia Romana, cui divina dispositione praeest Summus Pontifex, loquens ita protulit: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem* NECESSE EST *omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, etc.* (1).

3.° *Ecclesiasticis Definitionibus:* Notissima sunt dogmatica Florentini et Vaticani Concilii decreta hac super re, quae heic pro juvanda memoria subjungimus.

Florentini Patres sanxerunt: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur* (2).

Vaticana Synodus in Constitutione dogmatica *de Ecclesia Christi* sequentes edidit canones: *Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et inmediate accepisse; anathema sit* (3). Deinde in eadem Constitutione: *Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in uni-*

---

(1) Lib. III *Cont. haeres* cap. 3.

(2) In *Decreto* seu *definitione.* Apud Hard., Acta concil. tom. IX, col. 986.

(3) Cons. *Pastor aeternus*, cap. I.

versam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit (1).

274. Probatur 2.ª pars. 1.° *Scriptura*: Semel vindicata ac constabilita divina Primatus origine, de hujus institutionis firmitate et duratione judicare debemus secundum mentem ac voluntatem Divini Ecclesiae Conditoris; age jam, Christus Dominus et intendit et voluit, prouti ex luculentissimis Evangelii testimoniis colligitur, Primatum tamdiu perdurare, quamdiu perduret Ecclesia, pro cujus unitate institutus est, ut nempe omnes Christi fideles conveniant sive in *una eademque fide* profitenda, sive in *una eademque charitatis* seu *communionis compage* constituenda, quemadmodum docent Sancti Patres.

Et sane, Sacrae Litterae nobis tradunt Christum Ecclesiam suam instituisse veluti *aedificium*, cui unum primarium fundamentum seu petram fundamentalem supposuit ad illud regendum ne collaberetur; veluti *domum*, cui unum tantum patremfamilias praeposuit, ut ordo et pax asservaretur; veluti *ovile*, cui praefecit unum pastorem, ut ita exsurgeret *unum ovile* et *unus pastor*; veluti *regnum*, cujus imperium uni dumtaxat principi commisit, cui claves seu insigne supremae potestatis contulit; veluti *corpus*, cui propterea caput dedit, a quo singula membra dirigerentur, ac motum quodammodo acciperent: nunc vero, donec stet *aedificatio*, perdurabit petra seu fundamentum ad illud unum aedificium

---

(1) Cap. III.

sustentandum; donec stet *domus*, perdurabit paterfamilias, qui debitum ordinem rectamque administrationem in ea tutetur; donec sit *ovile*, perdurabit pastor ne oves gregis dispergantur; donec existat *regnum*, perdurabit princeps ad divisiones et perturbationes vitandas et claviger qui supremam auctoritatem socialem exerceat; donec vivat *corpus*, erit caput ad unitatem et compagem membrorum efficiendam et conservandam, summatim et sine parabolis, donec exstet Ecclesia, perseverabit Primatus, donec sint fideles docendi, permanebit *Petri cathedra, contra quam nunquam praevaliturae sint superbae inferorum portae* (1), donec maneant populi regendi, gentes convertendae, animaeque sanctificandae, agnoscetur in societate christiana Caput Visibile, regnabit Princeps Unus, reget Pastor Supremus et honorabitur atque coletur Summus Pontifex, Christi Vicarius, Petri Successor et Sedis Romanae Episcopus.

Sed Ecclesia, juxta divinas et solemnes promissiones usque ad consummationem saeculi persistet; ergo usque in finem temporum permanebit auctoritas primatialis a Christo Domino instituta et B. Petro ejusque Successoribus collata.

2.° *Traditione:* Ex prope innumeris testimoniis, quae totius antiquitatis christianae sensum et unanimem Sanctorum Patrum doctrinam patefaciunt, praestantissima S. Leonis Magni verba seligimus, qui ita praeclare ait: *Sicuti permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit... Manet ergo dispositio veritatis, et B. Petrus in accepta fortitudine petra perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit* (2).

Ex hac permanentia divinae institutionis, de qua loquitur S. Leo, exsurgit factum perenne atque inelu-

---

(1) S Augustin. *In psalmo contra partem Donati.*
(2) Serm. III, *De natali ipsius*, etc., edit baller., cap. 2 et 3.

ctabile, videlicet, exercitium perpetuum et constans suprematia Pontificii Primatus omni tempore, in universo mundo, apud cunctas gentes et pro diversis adjunctis: hoc factum spectatissimum vere mirandum optimo jure appellavit egregrius Comes Josephus de Maistre ***realem praesentiam*** Primatus a Romanis Pontificibus administrati et exerciti.

Et re quidem vera, si omnigena historiae et traditionis monumenta inquiramus, firmitatem, praeminentiam et jurisdictionem Primatus divinitus instituti cernimus: 1.° in gestis Romanorum Pontificum, sive cum errores haeresesque damnarunt, sive cum disciplinam in universa Ecclesia sanxerunt, sive cum exortas controversias ubique gentium diremerunt, sive cum Episcopos longe dissitos tum in Oriente tum in Occidente obedire renuentes minis perterruerunt, aut etiam deposuerunt, sive dum alios id genus auctoritatis actus exercuerunt, quibus referta est Ecclesiastica Historia; 2.° in scriptis et agendi ratione Ecclesiae Patrum totius christiani orbis, qui omnes, statim ac haeresis aliqua aut schisma exoriebatur, non solum ad Romanum Pontificem confugiebant, rem totam confestim ad eum deferentes, verum etiam haereticis atque schismaticis strenue opponebant auctoritatem Ecclesiae Romanae, eam vocantes ***petram Ecclesiae principalem*** (1), ***Ecclesiarum omnium matricem*** (2) et ***ex qua unitas sacerdotalis exorta est*** (3), ***Eccclesiam potentiorem cum qua neccesse est convenire omnes qui sunt undique fideles*** (4); 3.° in appellationibus, accusationibus, et purgationibus, quas Episcopi etiam primarii ad Romanum Pontificem undique habuerunt, cum opprimerentur, aut in discrimen aliquod

(1) S. Cyprianus, Epist. LV *ad Cornel.*
(2) Idem, Epist XLV *ad eumd.*
(3) Idem, in Epist. LV cit. et S. Ambrosius in Epist. *ad Gratianum imp.*
(4) S. Irenaeus, *loc. cit.*

vocarentur; 4.° in ipsa agendi ratione haereticorum ac schismaticorum, qui, ut proprios errores aut defectionem cohonestarent, donec spes aliqua illis affulsit vitandi promeritam damnationem, non dubitarunt Romam confugere, Romam se conferre, immo vero Sanctae Sedis auctoritatem extollere, cujus assertionis vades damus Cerdonem, Valentinum, Marcionem, Coelestium, Nestorium, Eutycheten, Pelagium et novissimis temporibus Jansenium, Quesnellum, caeterosque hujus sectae asseclas; 5.° in aperta confessione ipsorum protestantium Lutheri, Calvini, Melanchthonis, Casauboni aliorumque plurium; necnon Graecorum Schismaticorum, Anglicanorum, et Russorum, uti magna testimoniorum copia ostenderunt clarissimus Comes de Maistre (1) et eruditissimus Eslinger (2).

Recte igitur asserere possumus nullum aliud factum esse magis perspectum atque exploratum quovis rei christianae saeculo quam universale et constans exercitium potestatis supremae ratione Primatus Romanis Pontificibus competentis, cum pro ipso constabiliendo mirifice conspirant gesta Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum effata, praxis Episcoporum, agendi ratio haereticorum atque schismaticorum, ingenua dissidentium confessio, acta conciliorum oecumenicorum et omnes fasti, annales et historiae Ecclesiae.

3.° *Ecclesiasticis Definitionibus.* Missam facimus hoc loco Florentinam definitionem circa Romani Pontificis successionem in B. Petri Primatum, quia nuperrime attulimus; satis igitur erit pro perpetuitate Primatus Petri in Romanis Pontificibus dogmatice asserenda et vindicanda sequentem Concilii Vaticani canonem in memoriam revocare: *Si quis ergo dixerit non esse ex*

(1) *Du Pape*, etc.
(2) *Apologie de la religion catholique par des auteurs protestans* art. *Pape.*

ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit (1).

ARTICULUS IX.

SUMMARIUM.

275. 5.ª Thesis adversus errores *archiereucraticos: Auctoritas suprema Primatus a Christo instituti non excludit potestatem ordinariam et gradum divinum Episcoporum, qui ex Dei dispositione Summum Pontificem adjuvant in ecclesiastico regimine.*—276. Testimonia Scripturae.—277. Monumenta Traditionis.—278. Rationum momenta.

275. In Jure Publico Ecclesiastico possunt etiam sustentari, et historia testatur reipsa aliquando irrepsisse, errores veritati catholicae *per excessum* refragantes, cujusmodi sunt falsae eorum assertiones, qui *Ultrapapistae* seu *Exclusivistae* audiunt. Non defuerunt equidem nonnulli, qui opus Christi corrigere et divinam institutionem, plus quam par erat, amplificare ausi, in Ecclesiam regimen induxerunt non jam *mere* monarchicum, sicut loco opportuno ostendimus, sed *exclusive* monarchicum, auctoritatem primatialem citra mentem Divini Institutoris nimium extollentes, simulque potestatem propriam ac ordinariam Episcoporum contra Christi voluntatem deprimentes vel fere in nihilum redigentes.

Ad confutandos ejusmodi errores monarchiae exclusivae, quos *archiereucraticos* nuncupavimus, quia Romani Pontificis potestatem ultra limites divinitus praestitutos extendunt, sequentem vindicandam curabimus thesim: ***Auctoritas suprema Primatus a Christo instituti non excludit potestatem ordinariam et gradum di-***

---

(1) Const. dogmatica *de Ecclesia Christi*, cap. II.

vinum Episcoporum, qui ex Dei dispositione Summum Pontificem adjuvant in ecclesiastico regimine. Pro hac veritate militant luculenta Sacrae Scripturae testimonia, vetustissima Traditionis monumenta atque validissima rationum momenta.

276. *Scriptura.* Si textus sacri Novi Foederis consulantur, undique et perspicue elucebit Episcopatum Dei ordinatione institutum fuisse, quin ullum dubium superesse possit de divina institutione—*Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei—Pascite qui in vobis est gregem Dei*, quapropter gradus episcopalis *juris divini* est sive quoad hierarchiam Ordinis, prout definivit Tridentina Synodus canone centies laudato: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina Ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit* (1); sive quoad hierarchiam Jurisdictionis, sicut docent Tridentini Patres: *Proinde sacrosanta Synodus declarat, praeter caeteros Ecclesiasticos gradus,* EPISCOPOS, *qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere; et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritus Sancto regere Ecclesiam Dei,eosque Presbyteris superiores esse...* (2).

Christus igitur Episcopis commisit Ecclesiam jure proprio et potestate ordinaria regendam sive mediate, sive immediate, licet cum dependentia aut subjectione quoad exercitium a Romano Pontifice. Diximus sive *mediate* sive *immediate*, quia etsi omnes theologi atque canonistae conveniant, quoad potestatem ordinis, eam habere Episcopos immediate à Deo, non omnes tamen pari ratione id ipsum tenent quoad potestatem jurisdictionis; dum enim plures atque insigniores ex ipsis contendunt eam Episcopos a Summo Pontifice derivare,

(1) Sess. XXIII, can. VI.
(2) Ead. Sess. cap. IV.

non desunt aliqui (1) qui sententiam contrariam tuentur.

Attamen in utraque opinione salva tectaque servatur suprematia auctoritatis primatialis, quippe nemo est qui dubitet potestatem jurisdictionis, qua Episcopi divinitus instructi sunt, Summo Ecclesiae Primati ita ex eadem divina dispositione subjici, ut ille possit pro Ecclesiae bono ejus exercitium moderari, imminuere aut etiam omnino tollere; ut enim apposite ad rem ait Benedictus XIV: "Episcoporum jurisdictio, sive sit immediate a Christo, sive a Summo Pontifice, ita semper huic subest ut *consentientibus omnibus catholicis*, ejus auctoritate et imperio limitari atque ex legitima causa omnino auferri possit" (2).

277. *Traditio*. Perpetua Ecclesiae praxis et sensus universalis totius antiquitatis christianae Episcopatum nobis exhibent tamquam gradum hierarchicum divinae institutionis, potestate ordinaria instructum, et a pristina religionis aetate ad nos usque necessaria participatione atque pastorali sollicitudine pro portione gregis regenda donatum. En nonnulla testimonia, quae veritatem nostrae assertionis plane conficiunt.

1.° Apostoli Ecclesias *apud unamquamque civitatem condiderunt*, ut ait Tertullianus (3), et *in singulis Ecclesiis Episcopos constituerunt*, qui ipsas regerent: hinc S. Cyprianus aperte tradidit: *Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet* (4).

2.° Omnes et singuli Episcopi possident *in solidum* partem unius ejusdemque episcopatus, juxta tritum praelaudati S. Martyris Carthaginensis effatum: *Episcopatus unus est, cujus a singulis* IN SOLIDUM *pars tenetur*

---

(1) De hac quaestione vid. cap. II, art. X, ubi res tota late exponitur.

(2) *De Syn. Dioec.*, lib. VII, cap. 8, n. 7.

(3) *De praescript. adv. haeres.* cap. 20.

(4) Epist. 59 alias 55.

(1). Et sane unus est Episcopatus, secundum S. Cypriani mentem, non quidem quoad auctoritatem et jurisdictionem, sed ratione originis, naturae ac identitatis; quatenus omnes episcopatus particulares ab Episcopatu Romano, velut ab origine, exordium sumentes, eique tamquam radici adhaerentes, cum ipso unum pastorale corpus constituunt; unumque efficiunt episcopatum universalem, cujus principatus Romano Pontifici competit: deinde etiam singuli Episcopi partem illius episcopatus unius, universalis et individui *in solidum* tenent, non quod jurisdictio et dignitas omnium Episcoporum eadem sit ac Romani Pontificis, sed ratione ordinis et characteris episcopalis, qui de se indivisibilis est, totusque inest iis omnibus, quibus imprimitur per validam et legitimam consecrationem. Ex praejactis S. Cypriani verbis colligitur tum gradum episcopalem esse juris divini, quippe *unitas* episcopatus in identitate ejus institutionis ac naturae fulciatur, tum Romanum Pontificem nullo pacto posse illum abolere aut ita restringere, ut divina institutio inutilis prorsus evadat, cum singulis Episcopis pars in solidum incumbat unius episcopatus, etsi sub dependentia Supremi Pastoris.

3.° Eadem veritas a Maximo Doctore S. Hieronymo corroboratur, qui hac de re ita scribit: *Si auctoritas quaeritur, orbis major est urbe. Ubicumque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, etc., ejusdem meriti et ejusdem est sacerdotii* (2); loquitur enim Maximus Doctor, sicut S. Cyprianus, non de potestate et jurisdictione, sed de origine, ordine et charactere, atque in hoc sensu asserit omnes Episcopos esse ejusdem meriti et sacerdotii ratione divinae institutionis: unde facile eruitur Romanos Pontifices vi primatus posse profecto episcopalis jurisdictionis exerci-

---

(1) Lib. *De unit. Eccles.* pag. 93.
(2) Epist 146 *ad Evangelium.* Edit. Vallars.

tium limitare, plus minusve imminuere, aut etiam justis de causis omnino auferre; at nulla ratione auctoritate gaudere vertendi in delegatam potestatem propriam et ordinariam Episcoporum, vel a gradu episcopali in Ecclesiae regimine praescindendi, quia, utpote Christi Vicarii, nihil agere valent contra divinam institutionem, res suprema ordinatione praescriptas vel constitutas immutando, abrogando vel derogando.

278. *Ratio*. Suppetunt denique quamplurima rationum momenta pro thesi enuntiata constabilienda, quae tantum insinuare contenti erimus, ne limites nobis propositos transgrediamur.

1.° De institutione, natura atque extensione Primatus sentiendum est secundum expressam Divini Ecclesiae Conditoris voluntatem; jam vero nobis invictissime constat Christum Dominum jurisdictionem, dignitatem et honorem primatialem constituisse certe veluti potestatem supremam, plenam atque a quacumque humana institutione prorsus independentem, sed non tamquam auctoritatem adeo indefinitam et nullis circumscriptam limitibus, ut neque etiam menti et institutioni Divini Fundatoris subjiceretur. Age jam, uno solo limite voluit Christus dignitatem et auctoritatem primatialem circumsepiri, quem nunquam transgredi Petri Successoribus fas esset, et qui sequenti regula exprimi queit: "Romanus Pontifex ea omnia facere potest, quae *in aedificationem* Ecclesiae conferunt; nihil autem efficere valet, quod *in destructionem* Ecclesiae vergat; ac si quid ejusmodi moliretur, nulli censerentur ejus actus.

Atqui Summus Pontifex jurisdictione Primatus in destructionem Ecclesiae abuteretur, si potestatem ordinariam Episcoporum laederet vel gradum episcopalem everteret, siquidem adversus explicitam Christi institutionem ageret; igitur concludendum est auctoritatem primatialem minime excludere potestatem ordinariam et gradum divinum Episcoporum, qui ex Dei dispositione

Summum Pontificem adjuvant in ecclesiastico regimine.

2.° Auctoritas Primatus, quamvis vere sit potestas episcopalis, ordinaria atque immediata super universam Ecclesiam, hoc est, simul complectens omnes Christi fideles, omnesque etiam Episcopos; tamen naturam insitam potestatis episcopalis immutare vel gradum episcopalem supprimere aut abrogare nequit, quia hoc perinde esset ac convellere et penitus e medio tollere ecclesiasticam hierarchiam divinitus institutam.

Enimvero, Episcopatus universalis, quem Romano Pontifici adstruimus et vindicamus, neutiquam episcopatus particulares excludit, immo potius eos supponit; quandoquidem Romanus Pontifex Ecclesiam non regit per Episcopos veluti per ministros aut vicarios suos, sed eos constituit tamquam totidem principes ordinaria potestate munitos ad uniuscujusque Ecclesiae particularis bonum, licet cum debita dependentia in hujus potestatis exercitio a Romana Sede ad servandam unitatem tum fidei, tum communionis in universa Ecclesia. Quod si interdum Summus Pontifex auctoritate sua intervenire tenetur, propter utilitatem vel necessitatem sive Ecclesiae universalis, sive alicujus peculiaris Dioeceseos hoc facit.

3.° Demum, semel agnita legitima Episcoporum dependentia a Pontifice Maximo et Supremo Pastore, unaque admissa suprema Romanorum Pontificum potestate Vicarios nominandi charactere episcopali vel presbyterali insignitos, sive pro novis Ecclesiis constituendis, sive pro Ecclesiis jam constitutis, firmiter adstruenda et necessario profitenda est veluti axioma canonicum atque principium dogmaticum haec veritas: Ex divina institutione, atque ordinarie et regulariter loquendo, Ecclesia regenda est per Episcopos, qui gregi christiano praeficiantur nomine proprio, tamquam veri Pastores, legitimi Principes atque genuini Repraesentantes gradus et dignitatis a Christo Domino institutae; ideo-

que optimo jure asserere possumus auctoritatem primatialem Romanorum Pontificum, Petri Successorum, non excludere potestatem ordinariam et gradum divinum Episcoporum, qui ex Dei dispositione Summum Pontificem adjuvant in ecclesiastico regimine.

ARTICULUS X.

SUMMARIUM.

279. 6.ª Thesis adversus errores *anactocraticos: Christus Dominus Regibus vel Principibus saecularibus nullam contulit potestatem in res spirituales; ideoque nequeunt jus proprium sibi vindicare sese immiscendi in ecclesiastico regimine.*—280. Argumenta pro veritate catholica vindicanda —281. Probatio ex Sacra Scriptura desumpta.—282. Traditionis consensus.—283. Ecclesiae Definitiones.

279. Populo, Presbyteris et Episcopis a *supremo* Ecclesiae regimine exclusis, videndum adhuc remanet num Regibus et Summis Imperantibus vi principatus vel supremae auctoritatis socialis, qua apud gentes et nationes fruuntur, competat jus in sacra aut saltem potestas indirecta sese miscendi in rebus disciplinaribus et externa Ecclesiae politia.

Hac super re de *facto* plures omni aetate et diversa occasione a catholica veritate aberrarunt; de *jure* autem novissimis temporibus, a Protestantismo nempe, varia conficta sunt systemata ea mente et scopo, ut Principibus vindicetur et politicae potestati adscribatur facultas propria ac nativa cognoscendi, judicandi, atque de negotiis ecclesiasticis dirimendi.

Inter omnes vero sectatores, qui ejusmodi deliramenta propugnare et magno aestu diffundere conati sunt, eminent patroni, fautores et adstipulatores Regalismi, sub qua denominatione veniunt errores *anactocratici* nuncupati, eo quod Regibus et Principibus tribuant indebitum concursum et illegitimam participa-

tionem publico Ecclesiae regimini et externo rerum spiritualium moderamini.

Igitur, ut cuncti errores ***anactocrati*** plene disjiciantur et prorsus conterantur, evincendam aggredimur sequentem propositionem: ***Christus Dominus Regibus vel Principibus saecularibus nullam contulit potestatem in res spirituales; ideoque nequeunt jus proprium sibi vindicare sese immiscendi in ecclesiastico regimine.***

280. Quamvis de hac quaestione jam late et fuse actum est propter maximam rei praestantiam duobus distinctis locis, videlicet, capite I, ubi Ecclesiae ***perfectio*** plane explicata est, atque capite II, in quo omni argumentorum genere vindicata fuit ***suprematia*** et ***independentia*** ecclesiasticae potestatis; ac proinde pro tuenda thesi enuntiata possent hic adduci omnes probationes, quas illic attulimus; tamen ad pleniorem hujus veritatis confirmationem tribus rationum momentis, nimirum, Sacra Scriptura, Catholica Traditione et Ecclesiasticis Decretis, iterum ostendemus hoc loco Principes saeculares neque ulla potestate pollere in res spirituales. neque ipsis adesse jus proprium interveniendi in ecclesiastico regimine.

281. Textus Sacrae Scripturae toties laudati, in quibus continetur et definitur natura juridica, character proprius et primaeva institutio auctoritatis socialis et fundamentalis Petro et Apostolis a Christo Domino collatae, distincte atque explicite disserunt de delegatione ***immediata*** et concessione ***personali*** divinae potestatis exclusive facta in favorem eorum, quibus Christus ex suprema sua voluntate munus commisit Ecclesiam a se institutam regendi, constituendi, diffundendi et usque in finem saeculorum perpetuandi, quin habeatur aut inveniatur in Evangelio vestigium ne quidem remotissimum, allusio generalis vel aliqua mentio, utut velata aut implicita, ex qua colligi possit praetensum jus Principum vel saecularium Magistratum.

Igitur iisdem tribuere participationem, concursum, interventionem, competentiam, vel quamlibet facultatem propriam in societatis christianae regimine et externa politia, quocumque nomine vocetur, aperte repugnat et evidenter refragatur evangelicae doctrinae, Christi voluntati et fundamentali Ecclesiae constitutioni.

282. Traditio catholica thesim, quam propugnamus, firmiter corroborat, quandoquidem unanimis Sanctorum Patrum et Summorum Pontificum consensus in hac veritate constabilienda mirifice conspirat.

Prae omnibus Patribus nobis placet in medium proferre verba luculentissima, quibus S. Joannes Damascenus Imperatoribus iconoclastis Orientis suam iniquam agendi rationem improperabat: *Ne tentes, Imperator, ecclesiasticum statum dissolvere. Ait enim Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores: non autem dixit* REGES (1).

Inter Pontifices Maximos, en quomodo loquitur Joannes I: *Si Imperator cotholicus est, filius est, non Praesul Ecclesiae; quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere* (2).

283. Quoad Ecclesiae definitiones et solemnia Romanorum Pontificum decreta, post notissimas Constitutiones et Encyclicas saepenumero allatas, in quibus regalistarum theoria et aulicorum placitum prorsus exploditur, rejicitur et anathematizatur, satis erit, coronidis gratia, in memoriam revocare propositionem XLI Syllabi a venerabili Pontifice Pio IX anno 1864 damnatam, quae ita se habet: *Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra.*

---

(1) Orat. 1 et 2 *de Imag.*
(2) Apud Grat. can. XI, dist. 96.

ARTICULUS XI.

SUMMARIUM.

284. 7.ª et ultima Thesis adversus errores *policraticos*: *Independentia Status ab Ecclesia vel Religione, sive* EXCLUSIVA, *sive* MUTUA, *sive* PRACTICA *a Liberalismo proclamata est omnino rejicienda.*—285. Probetur 1.ª pars hujus propositionis contra Liberalismum *absolutum.*—286. Evincatur 2.ª pars thesis enuntiatae contra Liberalismum *moderatum.*—287. Ostendatur 3.ª pars catholicae assertionis contra Liberalismum *catholicum.*

284. Pro plena refutatione praecipuorum errorum qui Jus Publicum Ecclesiasticum adorti sunt, illud diffitentes vel prorsus pervertentes, nobis superest gravissimam instituere inquisitionem de Liberalismo, haeresi sociali nostrae aetatis, postremo atque, iterum inquam ac nunquam satis repetam, perniciosissimo omnium systematum, quae hactenus Ecclesiam divexarunt et civilem societatem perturbarunt; etenim, teste luctuosa experientia, haec exitialis doctrina atque novissima manifestatio hostilitatis Principum ac Guberniorum adversus divinam Ecclesiae Catholicae institutionem supremamque Romanorum Pontificum auctoritatem omnia concussit, labefactavit et deformavit; et, nisi Deus sua sapientissima et misericordiosissima Providentia res publicas aliter disponat, mentesque Moderatorum societatis superna virtute illuminet, fundamenta religionis, ordinis et moralitatis funditus subvertet, populosque atque nationes in abyssum totalis ruinae, generalis dissolutionis et miserrimae anarchiae celeri gressu praecipites projiciet.

Errores hujus execrabilis systematis *policraticos* appellare minime haesitavimus, quia, uti alibi explicatum est, ubi ejus naturam atque evolutionem delineavimus, essentia Liberalismi posita est in proclamanda independentia *civitatis*, hoc est, societatis civilis seu

status ab Ecclesia vel Religione; quamvis, juxta alias dicta, erroris liberalis asseclae non semper eadem vestigia in defensione hujus damnatae doctrinae insectati sint.

Alii enim qui liberales *rigidiores* vocantur, independentiam juridicam, absolutam et exclusivam Status tenent; alii vero qui liberales *mitiores* subaudiunt, juridicam, absolutam ac reciprocam Ecclesiae et Status independentiam tuentur; alii demum, qui vulgo perque summam anomaliam *catolici liberales* dicuntur, etsi juridicam superioritatem Ecclesiae, saltem in abstracto et absolute loquendo, agnoscant, tamen in concreto independentiam practicam Status in actuali societatis conditione pro aris et focis vindicant.

Nunc vero, ad Liberalismum sub quacumque forma impugnandum, magni interest ostendere falsitatem, malitiam et absurditatem sive Liberalismi *radicalis*, sive Liberalismi *moderati*, sive Liberalismi, nescio quare et quomodo, *catholici* denominati.

Eapropter, ut omnes errores policraticos universali formula amplectamur, septimam atque postremam thesim statuimus: *Independentia Status ab Ecclesia vel Religione, sive* EXCLUSIVA, *sive* MUTUA, *sive* PRACTICA *a Liberalismo proclamata est omnino rejicienda*. Tres partes habet propositio triplici gradationi Liberalismi respondentes, quas singillatim demonstrabimus.

285. Probatur 1.ª pars: *Independentia* EXCLUSIVA *Status ab Ecclesia vel Religione a Liberalismo* ABSOLUTO *proclamata omnino rejicienda est;* utpote impia, absurda et anticatholica.

1.° *Impia* est; etenim implicite vel explicite evertit dogmata fundamentalia religionis, videlicet, veritatem ordinis supernaturalis, possibilitatem revelationis, divinam Ecclesiae originem, Christi divinitatem atque Dei existentiam.

Et re quidem vera, ejusmodi absoluta atque exclu-

siva Status independentia impetit: [a]) *veritatem ordinis supernaturalis*, quia societatem civilem supremam et independentem efficiens in ordine publico ac juridico tum ab Ecclesia, tum a quacumque alia auctoritate vel institutione religiosa, non alia jura et officia admittit, nisi quae ab ipso Statu ideoque a naturali fonte oriuntur: [b]) *possibilitatem divinae revelationis*, si enim eam agnosceret, non omnia juria a societate civili absolute repeteret, sed eatenus Statum spectaret tamquam primordialem et unicum omnis juris fontem, quatenus non constaret revelationis existentia; sed hac in hypothesi semper Statui obligatio incumberet factum revelationis inquirendi, ex qua inquisitione vel ad probabilem ejus cognitionem deveniret, vel saltem revereretur jus probabile subditorum, ne publicis atque irreligiosis legibus legitima eorum libertas conscientiae laedatur: [c]) *divinam Ecclesiae originem*, eo ipso quod Ecclesiam Statui subjiciat, hoc est, societati inferiori et humanae institutioni obnoxiam reddat; equidem, si Ecclesia divina esset, et ut talis haberetur, agnosceretur ab Statu veluti societas juridice praevalens atque suprema auctoritas, cui obtemperare tenentur non solum individua et familiae, verum etiam nationes, regna, universumque genus humanum: [d]) *Christi divinitatem*, nam semel praestabilita suprematia Status tamquam omnis juris, ordinis, relationis atque justitiae unici ac uberrimi fontis, necnon rejecta Ecclesiae divinitate, cum haec institutio prorsus humana appareat, Christus Dominus ejus Conditor vel merus homo devenit, quod absque execrabili blasphaemia asseri nequit, vel nullam societatem religiosam, externam atque visibilem fundavit, quod est turpis haeresis per Wicleffitas, Hussitas et Protestantes stulte propugnata et in Conciliis solemniter anathematizata: [e]) *Dei existentiam*, quoniam praefata independentia Status ab Ecclesia et subjectio Religionis societati civili et auctoritati temporali verum atheismum secum importat; nam si

Status conclamatur independens a Religione, fit independens a Deo; jam vero ejusmodi independentia nihil aliud est quam aperta Dei negatio, cum Deus nec sit, nec concipi queat, quin absoluto, supremo et universali dominio in cunctas res creatas potiatur, ita ut omnia ejus imperio subsint, atque a sua voluntate, sapientia et providentia omnino pendeant.

2.° *Absurda* est; siquidem implicite etiam vel explicite ordinem spiritualem, moralem et socialem inficiatur.

Et sane suprema et exclusiva Status independentia includit negationem: [a]) *ordinis spiritualis*, quia finem ultimum hominis in vita praesenti reponit, prout eruitur ex eo quod Religionem Statui subjiciens finem ultimum et altiorem fini temporali et inferiori prorsus subordinat, quod idem est ac diffiteri naturam et dotes essentiales animae humanae, quae cum sit spiritualis inmortalitate gaudet, et ratione immortalitatis ultra mortalem vitam finem suum assequi debet: [b]) *ordinis moralis*, quia Statum tantum agnoscit tamquam fontem et originem omnium jurium, atque idcirco fundamentum ordinis moralis penitus pessumdat; etenim si jura non innituntur lege aeterna et justitia naturali, sed omnia a Statu independente a Deo proveniunt, tum ordo moralis non habet pro se fundamentum *divinum* in sua origine, *immutabile* in sua duratione et *universale* in sua extensione, sed erit humanus, mutabilis atque relativus, ideoque humanae voluntatis instabilitati et diversis Statuum conditionibus pro varia temporum et regionum adjunctis accommodatus; age jam cuique patet, ubi deficit ratio originis divini, immutabilis durationis ac universalis applicationis, deficere etiam genuinam notionem et necessarium fundamentum ordinis moralis: [c]) *ordinis socialis*, negata enim in regimine publico populorum existentia, necnon possibilitate divinae revelationis, exclusa Supremi Creatoris notione, rejecta qua-

cumque religione, atque everso ordine morali, independentia exclusiva, quam impugnamus, ad ruinam ordinis socialis logice ducit; quippe non adest ordo socialis et felicitas temporalis absque publica tranquillitate; nec habetur tranquillitas publica absque ordine morali; neque ordo moralis consistere potest sine Deo; neque Deus concipitur sine religione; neque religio demum esse valet absque cultu publico et sociali professione.

3.° *Anticatholica* est; nam doctrina Liberalismi radicalis damnata est tum a Leone XIII in Encyclica *Libertas*, quae circa hoc argumentum tota versatur, tum a Pio IX in sequentibus Syllabi propositionibus ex Encyclica *Quanta cura* aliisque quamplurimis Litteris Pontificiis eductis: XXXIX—*Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripta limitibus;* XLII—*In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet*; XLIII—*Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (*vulgo CONCORDATA*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante;* XLIV—*Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere*; XLV—*Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum;* XLVI—*Immo in ipsis clericorum seminariis, methodus studiorum adhibenda civili auctori-*

tati subjicitur; XLIX—*Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent;* LIV—*Reges et principes, non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.*

Probatur 2.ª pars: *Independentia* MUTUA *Ecclesiae et Status a Liberalismo* MODERATO *proclamata omnino rejicienda est*, utpote falsa, societati religiosae et civili noxia et doctrinae catholicae contraria.

1.° *Falsa* est: [a]) quia supponit finem temporalem Status nullo pacto subordinari neque positive neque negative, neque directe neque indirecte fini spirituali Ecclesiae, qui cum fine supremo et ultimo intima et necessaria connexione conjungitur; [b]) quia supponit auctoritatem Ecclesiae non extendi ad Statum, nec hunc illi subjici indirecte seu ratione finis altioris ac nobilissimi, quod plane adversatur catholicae doctrinae, sensui traditionali et ecclesiasticis definitionibus, uti saepenumero demonstratum est in contextu hujus libri; [c]) quia supponit Ecclesiam competentiam tantum habere in foro interno et ad ordinandas res mere internas in finem ultimum; sed non in foro externo et ad judicandas socialiter externas hominum actiones; [d]) quia supponit forum externum independens esse ab interno, quin absolute loquendo eidem uniformari debeat, quasi homo essentialiter et *per se* duplicem haberet judicandi normam, et non unicam, quamvis aliquando *per accidens* discrimen haberi potest inter judicium fori externi et judicium fori interni; [e]) quia supponit Ecclesiam in ordine externo tantum pollere jure communi, illo nempe, quod Status cum majori vel minori restrictione pro suo lubitu caeteris collegiis vel adsociationibus imperfectis confert, quod naturae juridicae Ecclesiae plane repugnat; [f]) quia ipsa formula separationis propria Liberalismi moderati—*Ecclesia libera in Statu libero*—vel ab in-

30

differentismo religioso oritur, ut scite animadvertit Cavagnis, quatenus supponat omnes religiones aeque se habere, saltem pro fine sociali; vel a scepticismo religioso originem ducit, quatenus falso etiam censeat in re religiosa haberi non posse cognitiones socialiter certas, sed tantum opiniones; [s]) denique quia supponit dari posse vere et juridice mutuam independentiam inter duas potestates supremas ac independentes; etenim cum exsurgerent conflictus inter potestatem civilem et ecclesiasticam, quod saepissime evenit, teste quotidiana experientia, vel nunquam solverentur, quod rectae rationi refragatur; vel auctoritas religiosa praevaleret, et jam Status suam independentiam amitteret et Ecclesiae subjaceret; vel praevaleret auctoritas civilis contra Ecclesiam et tunc haec ab Statu fieret dependens, uti contendit Liberalismus absolutus.

In quacumque igitur hypothesi falsitate laborat conceptus independentiae juridicae et mutuae quam adstruit Liberalismus moderatus.

2.° *Noxia* est, tum societati religiosae, tum societati civili; enim in Ecclesiae oppressionem recidit atque in Status damnum redundat.

Detrimentum affert *Ecclesiae*: [a]) quia ipsam privat positiva protectione, quae jure naturali, divino-positivo et humano eidem debetur; [b]) quia Status civilis hujusmodi absoluta independentia fulcitus leges suas condit non solum ab Ecclesia praescindendo, verum etiam passim ei contradicendo, vel culpa legislatorum, qui in re aut in modo limites transgrediuntur Statui praestitutos, vel propter ipsam rei naturam, cum saepe obveniant materiae mixtae ad utrumque forum attinentes, vel ratione subjecti, quod duplici et diverso officio satisfacere tenetur; [c]) quia ob praedictam legum oppositionem crebro fit, ut eadem persona, quae simul est subditus Ecclesiae et civis Status, cogatur poenas subire, damnaque temporalia perpeti ad praecepta religiosa implenda, vel

gratia poenas aut mulctas vitandi contra propriam conscientiam agere et peccatum perpetrare; [d]) quia odium et animadversionem adversus Ecclesiam concitat tamquam in societatem illicitam et subversivam; etenim non agnita a Statu ejus suprematia, coram ipso necessario apparere debet velut associatio suspecta et periculosa, cum suis sociis jubet praetermittere aut infringere leges civiles, quoties divinis praeceptis aut sacris canonibus contradicant; [e]) quia demum haec tam decantata mutua independentia in praxi fere semper in exclusivam transit, atque in suprematiam Status convertitur; et revera, uti ex historia et experientia constat, quotiescumque Ecclesia actus hostiles vel leges injustas alicujus Status rejecit aut improbavit, toties Status obsequiose alias, vi adhibita ut plurimum, auctoritatem Ecclesiae sprevit, Romanos Pontifices et Episcopos parvipendit et supremam independentiam audacter invocans, suas iniquas leges contra mentem ac voluntatem auctoritatis religiosae imposuit.

Insuper independentia mutua *societati civili* maxime nocet, quoniam nationes in atheismum officialem, tyrannidem vel anarchiam recte ducit: [a]) *in atheismum*; si enim societas civilis fit ab Ecclesia independens, eo quod Status seu auctoritas publica et socialis non teneatur Religioni subjici, pronum est inferre potestatem saecularem independentem etiam esse a Deo, ejusque supremis legibus moralibus ac religiosis obtemperare minime obstringi, quod Statum vere atheum constituit; [b]) *in tyrannidem*, quippe Status, cum nomine Ecclesiae, ordinis moralis vel juris agere nequeat, principia moralia et religiosa tantum vi civibus imponere potest; nunc vero ubi vis adhibetur velut supremum jus, exsurget imperium tyrannidis et vulneratur legitima libertas conscientiae; [c]) *in anarchiam*, quia si Status, ne in tyrannidem et violentiam incidat, pro nihilo habet religionem, veritatem et ordinem moralem, ita ut nulla religionis

ac moralitatis principia statuere audeat, unicuique relinquens errorem vel veritatem amplecti, bonum vel malum facere, haeresim vel fidem profiteri, habebitur proculdubio regimen prorsus anarchicum.

3.° *Contraria* est doctrinae catholicae; quandoquidem formula Liberalismi moderati—*Ecclesia libera in Statu libero* - qua adstruitur mutua Ecclesiae ac Status independentia, damnata est in propositione LV Syllabi: *Ecclesia a Status Statusque ab Ecclesia sejungendus est*, quamvis jamdiu a Bonifacio VIII proscriptus fuerat in celeberrima Constitutione *Unam Sanctam* error eorum qui contendebant Reges et nationes Ecclesiae Romanoque Pontifici non subjici: *Subesse Romano Pontifici*, asserebat adversus Philippum IV cognomento *Pulchrum* praelaudatus et strenuus Papa, *omni creaturae humanae declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus, omnino esse de necessitate salutis*. Juxta haec luculenta verba, *de necessitate salutis est* Summos Imperantes, quatenus Moderatores sunt societatis civilis, Romano Pontifici subdi, adeoque juridica et absoluta independentia Status ab Ecclesia, quam tuentur Liberales moderati, merito rejicienda est.

Probatur 3.ª pars: *Independentia* PRACTICA *a Liberalismo* CATHOLICO *proclamata omnino rejicienda est*, utpote contradictoria, Ecclesiae injuriosa atque damnata.

1.° *Contradictoria* est: quia *juridice* doctrinam catholicam agnoscit ac confitetur, *practice* vero doctrinam liberalem admittit et tuetur; sed doctrina catholica et doctrina liberalis, juxta declarationem venerabilis Pontificis Pii IX in propositione ultima Syllabi contentam, simul consistere nequeunt; igitur ejusmodi independentia, quam adeo propugnat et extollit Liberalismus catholicus, contradictionem includit, immo etiam apertam contra Sedis Apostolicae auctoritatem rebellionem.

Ut haec contradictio ex practica independentia

oborta melius innotescat, unaque natura propria atque privativa indoles Liberalismi absurde appellati *catholici* rectius definiatur, operis pretium erit tria secernere in conceptu juridico et sociali prorsus distincta, ***thesim*** nempe ***veram*** absolute tenendam, ***hypothesim necessariam*** aliquando tolerandam, et ***hypothesim systematicam*** omnino rejiciendam, quae a Liberalismo catholico in ***antithesim falsam*** et anticatholicam conversa est.

Thesis vera et catholica circa relationes inter Ecclesiam et Statum ita enuntiari solet: *Ecclesia et Status sejungi non debent, sed intime copulari tenentur, adeo ut servata indirecta Status subordinatione, utraque societas, religiosa et civilis, mutuam concordiam ostendat atque conservet.*

Hypothesis necessaria sic exprimi valet: *Interdum in aliquo regno propter peculiaria regionis vel personarum adjuncta poterit expedire et tolerari partialis separatio Ecclesiae et Status.*

Ex hac definitione vel potius ex praejacta formula legitime eruuntur quinque conditiones, quae desiderantur ad hypothesim necessariam admittendam:

1.ª Ut separatio non sit totalis, absoluta vel radicalis, sed partialis, relativa, specialibus circumstantiis suffulta, ideoque solummodo versans circa aliquod caput publici regiminis principiis liberalibus informandum vel materiam determinatam, de qua viget discrepantia inter catholicos et heterodoxos *(partialis, propter peculiaria adjuncta)*:

2.ª ut separatio tantum permittatur consulta Sede Apostolica et consentiente Romano Pontifice; etenim ad Ecclesiam jure nativo attinet judicare de necessitate relativa vel de convenientia locali hujus tolerantiae, quippe quaestio est de re morali et religiosa (*poterit expedire et tolerari):*

3.ª ut separatio sit temporalis et transitoria, ad majora mala vitanda peracta et ordinata, minime autem perpetua et definitiva (*interdum):*

4.ª ut separatio sit localis, non vero universalis *(in aliquo regno, propter regionis vel personarum adjuncta):*

5.ª ut separatio sit potius negativa quam positiva hoc est, sita in eo quod Status religionem aliquam determinatam non protegat, quin tamen Ecclesiae Catholicae aperte contradicat leges condendo, quae positivum conflictum provocare queant *(expedire):*

6.ª denique, ut separatio concedatur, quantum fieri poterit, salva semper recta doctrina circa normales relationes Ecclesiae et Status, et cum sincero animo quam cito redeundi ad statum juridicum atque normalem; agitur enim de mera tolerantia, in casu particulari, suprà materiam partialem et loco determinato *(tolerari).*

Hypothesis hisce requisitis praedita reputatur velut necessaria, et admitti vel potius tolerari potest tamquam malum minus et omissio boni, absolute et regulariter loquendo, *per se* damnanda, sed ob criticas et exceptionales circumstantias *per accidens* permittenda.

Hypothesis systematica ita se habet: *Liberalismus, quamvis juridice et speculative damnandus et rejiciendus, de facto et in praxi acceptari potest, atque spectatis nostrae aetatis conditione, societatis progressu et bono ipsius Ecclesiae, ad publicum populorum regimen applicari debet.*

Ut patet ex praecedenti formula, error proprius et fundamentalis Liberalismi catholici totus consistit in adstruenda de facto independentia Status ab Ecclesia, id est, in asserendo principio essentiali et communi cuilibet gradui Liberalismi, et quidem tamquam regula universali, norma tuta, methodo systematica et basi firmissima regiminis socialis et politicae gubernationis: ex quo colligere fas est tum palmariam contradictionem hujus singularis systematis; dum enim in ordine *juris* et *theoriae* thesim catholicam admittit atque Liberalismum damnat, simul etiam in ordine *factorum* et socialis *pra-*

xis, hypothesim amplectitur et tuetur, non utique *necessariam* et *particularem* nonnumquam tolerandam, sed *systematicam* et *universalem* prorsus reprobandam; tum etiam colligere licet definitivam conversionem *hypothesis* in *antithesim* abs dubio falsam et anticatholicam, siquidem exceptio in regulam erigitur, factum singulare in principium absolutum, casus particularis in normam universalem, tolerantia localis in systema generale et politicum.

2.° *Injuriosa* Ecclesiae est: [a]) quia independentia practica, velut thesis generalis asserta, importat Ecclesiam non debere impugnare principia Liberalismi, quippe nationes, gubernia et populi in unum colligati veritatem catholicam respuunt; [b]) quia in contemptum doctrinae et auctoritatis Ecclesiae directe vergit, dum inepte intendit catholicam veritatem cum errore liberali conciliare; [c]) quia supponit Ecclesiam scientia et opportunitate orbatam in rejiciendo atque damnando auctoritate sua systemate, quod Catholici liberales laudant et vindicant tamquam magis accommodatum temporum necessitatibus et bono populorum; jam vero Ecclesiae ignorantiam tribuere vel ipsam de imprudenti agendi ratione arguere, non solum est vera injuria, sed etiam maximum opprobrium et cumulus insaniae; [d]) quia assertores hujus independentiae mussitare solent, perinde ac si Ecclesia vel Apostolica Sedes non motu proprio Liberalismum damnasset, sed speciali intuitu aut extranea pressione egisset in sententia damnationis ferenda, quae quidem nequissima praesumptio seu malevola et dolosa insinuatio sacram Ecclesiae independentiam aperte laedit, et apostolicam Romanorum Pontificum libertatem directe impetit.

Hinc optimo jure asseverare possumus characterem essentialem vitiumque fundamentale Liberalismi catholici situm esse in praeponendo proprio judicio et subjectivo criterio Ecclesiae decisionibus ejusque supremae auctoritati.

3.° Postremo, doctrina de independentia practica Status a Liberalismo catholico sustentata novissimis temporibus explicite alias, implicite alias *damnata*, est: [a]) pluribus Syllabi propositionibus, praesertim vero sequentibus: LXXVII—*Aetate hac nostra non amplius expedit, Religionem catholicam haberi tamquam unicam Status religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis;* LXXVIII—*Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere;* LXXIX —*Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam;* LXXX—*Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere*; [b]) a Concilio Vaticano Constitutione Dogmatica De Fide *Dei Filius* ita concludente: *Quoniam vero satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus servandi etiam Constitutiones, et Decreta, quibus ejusmodi opiniones, quae isthic disserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt;* [c]) a Leone XIII, qui in toties laudata Encyclica *Libertas*, postquam errorem Liberalismi catholici hisce verbis insinuasset: *Multi denique rei sacrae a re civili distractionem* (error Liberalismi moderati) *non probant; sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desiderat*, falsam consequentiam, quam forte ex his verbis deducere possent catholici-liberales pro sua sententia, penitus rejecit, Liberalismum catholicum ita denuo reprobans: *Verum secus est de rebus ac doctrinis, quas demutatio morum ac fallax*

judicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, justitia potest: quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae esse jusserit, nihil est tam alienum quam velle, ut ipsa quod vel falsum est vel injustum dissimulanter ferat, aut in iis, quae sunt Religioni noxia conniveat.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Hucusque breviter, prout fert indoles Praelectionum, rejiciendo atque impugnando Liberalismo, pernicioso praesentis centuriae systemati, praecipuas vires et sedulam curam inpendimus: confutatio atque reprobatio hujus novissimi erroris, catholicae doctrinae, bonis moribus et publicae tranquillitati adversantis, sit tessera, formula ac genuina expressio integritatis nostrae fidei, firmitatis nostrae adhaesionis omnibus et singulis Sedis Apostolicae Decretis, necnon sinceritatis nostri amoris erga Sanctam Ecclesiam Catholicam, in qua Dei misericordia nati sumus, cujus communione ingenti animi laetitia fruimur, et intra cujus sinum, divina gratia opitulante spiritum Supremo Creatori tradere confidimus.

Sed primum Juris Publici Ecclesiastici volumen absolvere non possumus,quin a nostris lectoribus sciscitemur: usquequo regnabit nefastum Liberalismi imperium? Quamdiu perdurabit confussio in societatem christianam inducta occasione hujus pervicacis erroris? Quousque in populos ingruet haec postrema calamitas et gravissimum malum societatem civilem et religiosam summopere perturbans?

Nemini datum est durationem hujus novissimae haeresis socialis praevidere aut conjicere; solus Deus, qui futura intuetur, cognoscere potest: unum tantum nobis asserere licet, videlicet, magnam confusionem, quae velut justissimum Dei flagellum, apud nationes

olim catholicas hodiedum ubique et in omni rerum genere grassatur, juxta consuetum Providentiae ordinem, perseveratum iri, usquedum magna populorum scelera et publica regnorum flagitia congrua expiatione deleantur.

Quoad extirpationem tanti mali, media opportuna designare et efficaciora remedia applicare Romano Pontifici et Ecclesiae Pastoribus jure proprio competit: atque heic palam declaramus et sponte fatemur nos divino auxilio fretos ex toto corde et usque in mortem Decisionibus Summorum Pontificum, qui Christi locum obtinent et infallibili magisterio gaudent, et judicio Episcoporum, quibus tamquam Patribus nostris in recta fide commissum est depositum revelationis, esse obtemperaturos; nobis dumtaxat licitum erit vota et desideria magna cum reverentia et absoluta submissione significare: volumus equidem et maxime optamus cribrari triticum in Area Domini, ut granum a palea secernatur, et ita affulgeat splendenti luce veritas et integritas fidei, positiones utriusque partis in hoc magno certamine contendentis recte definiantur, et catholici simplici obtutu a dissidentibus vel acatholicis distinguantur.

Urget proinde *solemnis* damnatio Liberalismi, ut omne effugium, distinctio vel tergiversatio prorsus tollatur e medio societatis christianae; urget insuper pro Domu Israel *explicita* professio fidei catholicae contra errores Liberalismi in muneribus ecclesiasticis obeundis, in canonicis collationibus suscipiendis, atque in illis omnibus publicis actibus, in quibus ejusmodi protestatio de jure exigitur, ut ii, qui in sortem Domini vocati et in sacram militiam cooptati, populum christianum fide ac moribus informare debent, penitus arceantur gravissimo periculo seductionis, assentionis vel cooperationis in errorem aut peccatum Liberalismi; urget demum pro cunctis fidelibus *jurata* promissio omni-

no rejiciendi atque improbandi erronea principia et exitiales theorias, quae memoratum systema constituunt, quoties nomen inscribere velint in catholicas adsociationes, vel canonice recipi postulent in piis confraternitatibus et religiosis corporationibus, ut lupi ab agnis in agro catholico discriminentur, ne illi qui sanam doctrinam circa relationes Ecclesiae et Status non profitentur, vel sua agendi ratione aut positiva cooperatione male sentientes adjuvant, reliquos hac pestifera labe inficiant, catholicasve institutiones pervertant.

Me equidem non latet difficultas rei; in mentem meam turmatim confluunt praecipuae conciliatorum objectiones et tritae prudentum observationes: [a]) post solemnem et dogmaticam Liberalismi condemnationem, nobis dicent, adhuc quamplurimi aulici, pseudopolitici et dubii catholici Liberalismum admittent atque defendent; hoc idem et nos quoque suspicamur, ac veremur, at qui ita egerint, jam non erunt, nec vocari poterunt catholici, neque incautos decipient, sed haeretici declarati apud omnes habebuntur; [b]) plurimi, insuper arguent, professionem explicitam fidei adversus Liberalismum emissam retractare non renuent, cum ratio socialis, ambitio dignitatum vel commodum proprium id deposcat; possibilitatem, immo etiam probabilitatem facti non inficiamur, verum ejusmodi homines minime putabuntur fideles nomine christiano digni, sed inter miserrimos apostatas recensebuntur; [c]) non pauci denique, subjungent, juramenta violabunt et religiosas promissiones contemnent, causam Liberalismi iterum agentes; defectiones quoque fore, et quidem majori numero quam suspicari potest, concedimus; proditores autem suae conscientiae nunquam spectari poterunt boni christiani, sed tamquam publici perjuri in omnium execrationem incurrent.

Quaecumque hypothesis fingatur, semper obtinebitur scopus adeo optatus, nempe, segregatio eorum,

qui re et veritate catholici sunt, ab iis, qui tantum specie et propriae utilitatis intuitu hoc gloriosum nomen portare et ostendere nituntur.

EXPLICIT VOLUMEN PRIMUM

INDEX VOLUMINIS PRIMI.